

PRAELECTIONES
DOGMATICAE

QUAS

IN COLLEGIO DITTON-HALL HABEBAT

CHRISTIANUS PESCH S. J.

TOMUS VII.

TRACTATUS DOGMATICI.

(DE SACRAMENTO PAENITENTIAE. DE EXTREMA UNCTIONE. DE ORDINE.
DE MATRIMONIO.)

CUM APPROBATIONE REVMI VIC. CAP. FRIBURGENSIS ET SUPER. ORDINIS.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII
MDCCCXCVII.
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

TRACTATUS
DOGMATICI.

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE. DE EXTREMA
UNCTIONE. DE ORDINE. DE MATRIMONIO.

AUCTORE

CHRISTIANO PESCH S. J.

CUM APPROBATIONE REVMI VIC. CAP. FRIBURGENSIS ET SUPER. ORDINIS.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII
MDCCCXCVII.
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

BX
1751
P452
1894
v.7

Cum opus, cui titulus est:
„Tractatus dogmatici“ vol. VII.: „De Paenitentia, De Extrema Unctione, De Ordine, De Matrimonio“, a P. Christiano Pesch, nostrae societatis sacerdote, compositum aliqui eiusdem societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo nostrae societatis munitas dedimus.

Valkenburg, die 30. Sept. 1896.

(L. S.)

Henricus Haan S. J.

Praep. Prov. Germ.

Salvo iure proprietatis et translationis.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

INDEX PARTIUM.

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE.

Praenotanda	Pag. 1
-----------------------	-----------

SECTIO I.

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Prop. I. Paenitentia est verum Novi Testamenti Sacramentum	4
Prop. II. Potestas remittendi peccata ecclesiae concessa ad omnia omnino peccata extenditur	11
Prop. III. Potestas remittendi peccata per Sacramentum Paenitentiae est potestas iudicialis	23
Schol. De differentia iudicii paenitentialis a foro externo	27

SECTIO II.

DE MATERIA SACRAMENTI PAENITENTIAE.

ART. I.

SITNE MATERIA, EX QUAE SACRAMENTUM PAENITENTIAE CONSTITUATUR.

Prop. IV. Actus paenitentis: contritio, confessio, satisfactio, recte dicuntur esse materia ex qua Sacramenti Paenitentiae	28
Schol. 1. De manus impositione in Sacramento Paenitentiae	33
Schol. 2. De absolute moribundorum	34

ART. II.

DE DETESTATIONE PECCATORUM.

§ 1. DE VIRTUTE PAENITENTIAE.

Prop. V. Paenitentia est vera virtus nec generalis tantum, sed etiam specialis, ab omnibus aliis virtutibus distincta	36
Schol. 1. Num paenitentia sit virtus infusa	40
Schol. 2. Paenitentia salutaris est actus supernaturalis	40
Prop. VI. Obiectum materiale paenitentiae, ut est actus fugae, est quodvis peccatum personale, ut autem est actus prosecutionis, sunt omnia, quibus iniuria Deo illata compensari potest	41

§ 2. DE CONTRITIONE GENERATIM SUMPTA.		Pag.
Prop. VII.	Actus contritionis peccatori adulto est ad salutem necessarius	43
Coroll.	Paenitentia est necessaria necessitate medii et praecepti	45
Prop. VIII.	Contritio per se debet esse formalis, per accidens autem sufficit virtualis	45
Coroll.	Contritio debet esse appetitive summa et universalis	48
Schol.	Quid ex parte hominis requiratur ad obtinendam remissionem culpae venialis	49

§ 3. DE CONTRITIONE PERFECTA.

Prop. IX.	Contritio caritate perfecta semper iustificat, licet Sacramentum Paenitentiae re non suscipiatur	50
Schol. 1.	Quomodo contritio iustificet	54
Schol. 2.	Num etiam aliud motivum sufficiat ad iustificationem	54
Prop. X.	Ut contritio sit caritate perfecta et iustificet, non requiritur determinatus gradus intensitatis neque determinata duratio temporis	55
Schol.	Num contritio possit esse nimia	58

§ 4. DE ATTRITIONE.

Prop. XI.	Attritio concepta ex metu poenarum, quibus Deus peccatores punit, potest esse actus bonus et salutaris, qui positive excludat voluntatem peccandi	58
Schol.	De amore initiali ad attritionem requisito	64
Prop. XII.	Attritio est dispositio proxime sufficiens ad iustificationem per Sacramentum Paenitentiae obtinendam	65
Coroll.	Obex gratiae quoad Paenitentiam est tantum peccatum non retractatum	70
Schol. 1.	De Sacramento Paenitentiae valido sed informi	70
Schol. 2.	Num contritio debeat formaliter concurrere ad confessionem	72

ART. III.

DE CONFESSIONE PECCATORUM.

Prop. XIII.	Ad Sacramentum Paenitentiae recipiendum requiritur confessio formaliter integra omnium peccatorum mortalium, quae post Baptismum commissa necdum Sacramento Paenitentiae directe remissa sunt	72
Schol. 1.	Quae sint rationes excusantes ab integritate materiali confessionis	78
Schol. 2.	Num confessio necessario verbis fiat	79
Schol. 3.	Num sit de necessitate confessionis, ut paenitens sacerdoti praesenti immediate et per se ipsum revelet peccata sua	80
Prop. XIV.	Peccata venialia non necessario accusanda sunt, constituunt tamen materiam sufficientem absolutionis; et idem valet de peccatis sive mortalibus sive venialibus iam confessione deletis	83
Schol. 1.	Num ad valorem Confessionis necesse sit accusari peccata mortalia dubia	87
Schol. 2.	De indirecta remissione peccatorum	88
Prop. XV.	Neque confessio publica neque confessio privata est de necessitate Sacramenti, sed uterque modus confitendi per se est validus	89
Schol.	Num ecclesia umquam pro peccatis occultis publicam paenitentiam vel confessionem praescripserit	93

ART. IV.

DE SATISFACTIONE.

Prop. XVI.	Minister Sacramenti Paenitentiae per se debet paenitentibus salutare et convenientes satisfactiones imponere	96
Coroll.	Explicatur obligatio satisfactionis imponendae	99
Prop. XVII.	Opera poenalia a confessario imposita habent vim satisfaciendi non solum ex opere operantis sed etiam ex opere operato	100
Schol. 1.	Num remissionem poenae temporalis etiam aliter obtinere possumus quam per opera poenalia	106
Schol. 2.	Num unus homo pro altero satisfacere possit	107
Prop. XVIII.	Satisfactio imposita et ante et post absolutionem impleri potest	108
Schol.	Utrum in vetere ecclesia absolutio sacramentalis data sit ante an post satisfactionem impletam	110

SECTIO III.

DE FORMA SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Prop. XIX.	Forma Sacramenti Paenitentiae consistit in verbis: „Ego te absolvo“ vel aliis aequivalentibus	112
Schol. 1.	Quis sit proprius sensus horum verborum: „Ego te absolvo a peccatis tuis“	114
Schol. 2.	De absolutione condicionata	117
Prop. XX.	Forma absolutionis secundum sensum debet esse indicativa, licet secundum modum loquendi possit esse deprecativa, nisi obstat praeceptum ecclesiae	118
Prop. XXI.	Absolutio dari debet verbis ore prolatis ideoque paenitenti praesenti	124

SECTIO IV.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Prop. XXII.	Sacramento Paenitentiae peccata ita remittuntur, ut numquam propter subsequens peccatum redeant	127
Schol.	Quomodo peccatum dici possit redire	130
Prop. XXIII.	Peccata remissa ne quoad poenam quidem redeunt propter peccatum subsequens	132
Prop. XXIV.	Per paenitentiam, qua peccata delentur, merita mortificata reviviscunt	133
Coroll. 1.	Merita perfecte reviviscunt	139
Coroll. 2.	Omnes habitus infusi amissi redeunt	143
Prop. XXV.	Culpa remissa non semper simul tota poena a Deo remittitur	144
Schol. 1.	Quid sit in Sacramento Paenitentiae res et Sacramentum	148
Schol. 2.	Num Paenitentia sit unum Sacramentum	148

SECTIO V.

DE SUBIECTO ET DE NECESSITATE SACRAMENTI
PAENITENTIAE.

Prop. XXVI. Sacramentum Paenitentiae est omnibus post Baptismum graviter lapsis iure divino necessarium	149
Schol. 1. Num ecclesia potuisset praecipere confessionem, nisi Christus eam praecepisset	160
Schol. 2. Num ecclesia possit in hac lege dispensare vel eam abrogare	161
Prop. XXVII. Nihil contra necessitatem confessionis probant vel factum Nectarii vel doctrina S. Chrysostomi	162
Prop. XXVIII. Praeceptum divinum confessionis obligat peccatores baptizatos saltem in articulo mortis et etiam interdum extra articulum mortis	168
Schol. De lege ecclesiastica annuae confessionis	171

SECTIO VI.

DE MINISTRO SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Prop. XXIX. Minister Sacramenti Paenitentiae est solus sacerdos	173
Schol. De confessione laicis vel diaconis facta	175
Prop. XXX. Praeter potestatem ordinis requiritur potestas iurisdictionis, ut sacerdos valide absolvere possit	176
Schol. 1. Num quisvis sacerdos possit absolvere a peccatis venialibus	181
Schol. 2. De approbatione	182
Prop. XXXI. Iurisdictio et approbatio variis modis limitari possunt	183
Schol. De iurisdictione dubia et probabili	187
Prop. XXXII. Recensentur obligationes ministri Sacramenti Paenitentiae	189

APPENDIX.

DE INDULGENTIIS.

Prop. XXXIII. Indulgentia est remissio poenae temporalis post deletam culpam Deo solvendae, ab ecclesia extra Sacramentum ex thesauro Christi et Sanctorum auctoritative ex iusta causa concessa	195
Prop. XXXIV. Exstat in ecclesia thesaurus constans ex satisfactionibus Christi et Sanctorum	206
Prop. XXXV. Ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias	211
Schol. 1. Indulgentia conceditur potestate iurisdictionis	219
Schol. 2. De condicionibus lucrandae indulgentiae	219

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Praenotanda	220
-----------------------	-----

SECTIO I.

DE EXSISTENTIA ET ESSENTIA EXTREMAE UNCTIONIS.

ART. I.

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

Prop. XXXVI. Extrema Unctio est verum Novi Testamenti Sacramentum	221
Schol. De Marc. 6, 13	226

ART. II.

DE ESSENTIA EXTREMAE UNCTIONIS.

Prop. XXXVII. Materia remota Extremae Unctionis est oleum olivarum benedictum, materia autem proxima est ipsa unctio	227
Prop. XXXVIII. Forma Extremae Unctionis est oratio significans effectum Sacramenti	231
Schol. Extrema Unctio est unum Sacramentum	234

SECTIO II.

DE EFFECTIBUS EXTREMAE UNCTIONIS.

Prop. XXXIX. Effectus Extremae Unctionis absoluti sunt augmentum gratiae sanctificantis et deletio reliquiarum peccati seu confortatio animi, conditionatus vero effectus est restitutio sanitatis corporis	235
Schol. 1. De re et Sacramento Extremae Unctionis	238
Schol. 2. Quando effectus huius Sacramenti conferantur	239

SECTIO III.

DE SUBIECTO ET NECESSITATE EXTREMAE UNCTIONIS.

Prop. XL. Subiectum Extremae Unctionis est adultus baptizatus, periculoso morbo laborans	240
Schol. 1. Num adsit praeeptum divinum sub gravi obligans ad susceptionem Extremae Unctionis	243
Schol. 2. De iteratione huius Sacramenti	243

SECTIO IV.

DE MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS.

Prop. XLI. Minister ordinarius Extremae Unctionis est sacerdos habens curam animarum pro suis subditis, delegatus autem potest esse quisvis sacerdos	244
Schol. De caerimoniis Extremae Unctionis	246

	Pag.
DE SACRAMENTO ORDINIS.	
Praenotanda. De statu clericali	247
SECTION I.	
DE EXSISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS.	
ART. I.	
DE SACRAMENTO ORDINIS IN GENERE.	
Prop. XLII. Ordo est verum Novi Testamenti Sacramentum	248
Schol. De tempore institutionis huius Sacramenti	251
ART. II.	
DE ORDINIBUS MINORIBUS.	
Prop. XLIII. Ordines minores non sunt Sacramenta	251
ART. III.	
DE SUBDIACONATU.	
Prop. XLIV. Subdiaconatus non est Sacramentum	258
ART. IV.	
DE ORDINIBUS SACRAMENTALIBUS.	
Prop. XLV. Diaconatus est Sacramentum	260
Schol. De diaconissis	264
Prop. XLVI. Presbyteratus est Sacramentum	265
Schol. 1. De presbyterissis	267
Schol. 2. De sacerdotio omnium Christianorum	267
Prop. XLVII. Episcopatus est Sacramentum	269
Schol. Quot sint ordines	272
SECTION II.	
DE ESSENTIA SACRAMENTI ORDINIS.	
Prop. XLVIII. Materia Sacramenti Ordinis est impositio manuum, forma vero oratio, quae cum hac impositione iungitur	273
Schol. De supplenda traditione instrumentorum ommissa	280
SECTION III.	
DE EFFECTIBUS SACRAMENTI ORDINIS.	
Prop. XLIX. Effectus Sacramenti Ordinis est augmentum gratiae, character, potestas spiritualis	281

	Pag.
SECTION IV.	
DE SUBIECTO SACRAMENTI ORDINIS.	
Prop. L. Subiectum capax ordinum usque ad presbyteratum inclusive est solus et omnis mas baptizatus; subiectum ordinis episcopalis est sacerdos	283
Schol. Quid requiratur ad ordines licite suscipiendos	287
SECTION V.	
DE MINISTRO ORDINUM.	
Prop. LI. Ordinum minister ordinarius quoad valorem est quilibet episcopus, quoad liceitatem episcopus proprius	287
Schol. 1. Ordo episcopatus a tribus episcopis conferri debet	289
Schol. 2. De ordinationibus factis ab episcopis haereticis vel schismaticis	291
Prop. LII. Ex delegatione simplex presbyter potest esse minister quorundam ordinum	294
Schol. Utrum solus summus pontifex an etiam episcopus presbyterum delegare possit ad conferendos ordines minores et subdiaconatum	296
SECTION VI.	
DE CAERIMONIIS ORDINATIONUM	
	297
DE SACRAMENTO MATRIMONII.	
Praenotanda. De Matrimonio, ut est officium naturae	301
SECTION I.	
DE EXSISTENTIA SACRAMENTI MATRIMONII.	
Prop. LIII. Matrimonium est verum Novae Legis Sacramentum	309
Schol. Quando institutum sit Sacramentum Matrimonii	319
Prop. LIV. Sacramentum Matrimonii nihil aliud est nisi ipse contractus matrimonialis Christianorum, ita ut contractus sine Sacramento inter Christianos exsistere non possit	320
Coroll. Sacramentum Matrimonii est res transiens	324
Schol. De variis contractibus matrimonialibus, qui num Sacramentum sint, disputatur	324
1. De Matrimonio non-Christianorum	324
2. De Matrimonio infidelium conversorum	324
3. De Matrimonio infidelis cum fidei	325
4. De Matrimonio per procuratorem vel per litteras inito	326
Prop. LV. Matrimonium essentialiter perficitur per consensum de praesenti	327
Coroll. De essentia Matrimonii	338

SECTIO II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI MATRIMONII.

- Prop. LVI. Materia et forma Sacramenti Matrimonii sunt ipsa verba (vel alia signa), quibus consensus exprimitur 338

SECTIO III.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI MATRIMONII.

ART. I.

DE VINCULO INDISSOLUBILI MATRIMONII.

§ 1. DE INTERNA INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

- Prop. LVII. Sacramentum Matrimonii efficit vinculum inter virum et mulierem intrinsecus plane indissolubile 341
 Schol. 1. Utrum interna indissolubilitas matrimonii rati oriatur ex Sacramento tantum an etiam ex ipso contractu naturali 344
 Schol. 2. De obligationibus, quae ex vinculo coniugali oriuntur 349
 Prop. LVIII. Ne ob adulterium quidem alterius coniugis coniux vinculum matrimoniale solvere potest 349

§ 2. DE EXTERNA INDISSOLUBILITATE ET DISSOLUBILITATE MATRIMONII.

- Prop. LIX. Matrimonium infidelium, etiam consummatum, solvi potest quoad vinculum, quando, altero coniuge manente in infidelitate, alter ad fidem convertitur 355
 Schol. 1. Num privilegium Paulinum etiam pro iis valeat, qui convertuntur ad sectam haereticam christianam 363
 Schol. 2. Num matrimonium in infidelitate contractum solvatur etiam per professionem religiosam coniugis conversi 364
 Schol. 3. Potestne Matrimonium solvi, si ex coniugibus fidelibus alter incidit in infidelitatem? 364
 Prop. LX. Vinculum Matrimonii rati per professionem religiosam alterutrius coniugis solvitur 364
 Schol. Cur susceptio ordinis sacri vel vota simplicia non solvant vinculum Matrimonii rati 368
 Prop. LXI. Matrimonium ratum ex iusta causa auctoritate summi pontificis solvi potest 368
 Prop. LXII. Matrimonium ratum et consummatum est etiam extrinsecus prorsus indissolubile 371

ART. II.

DE VINCULO EXCLUSIVO SACRAMENTI MATRIMONII.

- Prop. LXIII. Sacramentum Matrimonii efficit vinculum exclusivum, quo durante coniuges inhabiles fiunt ad secundum Matrimonium cum aliis personis 373
 Schol. De variis significationibus vocabuli concubinae 377
 Prop. LXIV. Soluta vinculo prioris Matrimonii novae nuptiae licitae sunt 379

SECTIO IV.

DE SUBIECTO ET DE NECESSITATE SACRAMENTI MATRIMONII.

- Prop. LXV. Subiectum ad Sacramentum Matrimonii valide et licite ineundum sunt Christiani adulti, habiles, nondum ligati, in contrahendo liberi, nulla lege ecclesiastica impediti 382
 Prop. LXVI. Sacramentum Matrimonii nulli homini per se est necessarium ad salutem; immo praestat status caelibatus 388

SECTIO V.

DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII.

- Prop. LXVII. Ministri Sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes 395
 Schol. De caerimoniis Sacramenti Matrimonii 396

SECTIO VI.

DE ECCLESIAE IN MATRIMONIUM POTESTATE.

- Prop. LXVIII. Ecclesia habet potestatem a Christo acceptam statuendi pro suis subditis impedimenta Matrimonii dirimentia 398
 Schol. Dubium esse non potest, quin ecclesia potestatem habeat statuendi impedimenta matrimonialia etiam pro haereticis 400
 Prop. LXIX. Potestas constituendi impedimenta dirimentia Matrimonii pro baptizatis est solius ecclesiae 401
 Schol. 1. De potestate gubernii civilis in Matrimonium 403
 Schol. 2. De matrimonio civili 407

APPENDIX.

DE CAELIBATU CLERICORUM 408

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE.

PRAENOTANDA.

1. *De necessitate Sacramenti Paenitentiae.* „Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam, in Baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitute et daemone potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Paenitentiae, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur.“ Ita Conc. Trid. (sess. 14, c. 1; *Denzinger, Enchir.* 774).

Pertinet igitur Sacramentum Paenitentiae ad secundam classem Sacramentorum, seu est unum ex iis Sacramentis, quae quidem instituta sunt ad sanctificandos homines singulos qua tales, quae tamen non per se requiruntur sed per accidens, suppositis scilicet peccatis propriis, quae homo post Baptismum commisit.

2. *Nomen* vero huic Sacramento inditum est ab aliqua eius parte, i. e. ab actu, quem subiectum ponere debet, ut fructum eius percipiat. *Paenitentia* (*μετάνοια*) duo potissimum significat:

- a) *retractationem* prioris voluntatis, licet forte non malae;
- b) *detestationem* et satisfactionem culpae praeteritae.

3. *Hunc alterum sensum plerumque vox habet in Sacra Scriptura*, ut: „Ipse me reprehendo et ago paenitentiam in favilla et cinere“ (Iob 42, 6); „Vae tibi, Corozain, vae tibi Bethsaida; quia, si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes paeniterent (*μετενόησαν*)“ (Luc. 10, 13). Cf. Iob 2, 12. 13. Matth. 3, 8; 12, 41. Marc. 1, 4. Luc. 5, 32; 13, 5. 2 Cor. 7, 9 etc.

Hanc paenitentiam Lactantius ita describit: „Is, quem facti sui paenitet, errorem suum pristinum intellegit, ideoque Graeci melius et significantius *μετάνοιαν* dicunt, quam nos latine possimus resipiscientiam dicere. Resipiscit enim ac mentem suam quasi ab insania

recipit, quem errati piget; castigatque seipsum dementiae et confirmat animum suum ad rectius vivendum; tum illud ipsum maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur" (Inst. div. l. 6, c. 24; *M* 6, 722).

4. Utramque vero notionem paenitentiae S. Augustinus complectitur his verbis: „Non sufficit mores in melius commutare et a factis malis recedere [prioris generis paenitentia], nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per paenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis [alterius generis paenitentia]" (Serm. 351, n. 12; *M* 39, 1549). Cf. *Bellarmin.*, De Paenit. l. 1, c. 7¹.

5. Ab alio actu paenitentis, i. e. ab accusatione propriorum peccatorum hoc Sacramentum vocatur „*Confessio*" (ἐξομολόγησις, ἐξαγόρευσις). Neque raro apud SS. Patres Latinos vocatur „*manuum impositio*" a ritu, quo peccatores olim reconciliari solebant, quamvis haec vox per se non ad sacramentalem absolutionem, sed ad canonicam paenitentiam referatur.

6. *Definiri* potest Sacramentum Paenitentiae: Est Sacramentum, quo homini contrito, confesso, parato ad satisfaciendum per iudicalem sacerdotis sententiam peccata post Baptismum commissa remittuntur. *Physice* hoc Sacramentum perficitur actibus paenitentis et absolutione sacerdotis, *metaphysice* est Sacramentum, quo homo per sententiam iudicalem a peccatis absolvitur.

7. *Divisio tractatus* ea erit, quae indicata est ab initio tractatus de Sacramento Baptismi (n. 347), ita tamen, ut propter materiae amplitudinem alio capite acturi simus de existentia, alio de materia, alio de forma Sacramenti. De caerimoniis huius Sacramenti nil dicendum est, quia vix ullae praescriptae sunt.

Pro appendice addetur quaestio de indulgentiis.

Solent quidem plurimi theologi in hoc tractatu prius agere de virtute paenitentiae, deinde de Sacramento. Sed ut maior conformitas servetur inter tractatus de singulis Sacramentis, de virtute paenitentiae, quantum satis erit, dicemus in quaestione de materia Sacramenti.

8. *Gravitas huius tractatus*. „Quodsi diligentiam, quae a parochis in unoquoque argumento adhibenda est, ex rei, quam tractant, magnitudine et pondere metiri oportet: omnino fatebimur eos numquam in

¹ Eadem est significatio verbi germanici „büssen" = „wieder gutmachen", „bessern". Unde Sacramentum Paenitentiae (Buss sacrament) est Sacramentum, in quo et actus paenitentis et signum sacramentale suo modo concurrunt ad gratiam producendam.

huius loci explicatione adeo diligentes futuros esse, ut satis videri possit; quin etiam de hoc Sacramento, quam de Baptismo, eo accuratius agendum est, quod Baptismus semel tantum administratur neque iterari potest: Paenitentiae vero toties necessitas imposita est, quoties post Baptismum peccare contingat. Ita enim a Tridentina Synodo dictum est Sacramentum Paenitentiae non secus lapsis post Baptismum ac Baptismum nondum regeneratis ad salutem necessarium esse; vulgataque illa S. Hieronymi sententia ab omnibus, qui deinceps res sacras tradiderunt, magnopere comprobatur: Paenitentiam esse secundam tabulam (In Is. 3, 8). Ut enim confracta navi unum vitae servandae perfrugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere: ita post amissam Baptismi innocentiam, nisi quis ad Paenitentiae tabulam confugiat, sine dubio de eius salute desperandum est. Haec autem non ad pastores solum, sed ad reliquos etiam fideles excitandos dicta sunt, ne forte in iis rei maxime necessariae incuria reprehendatur" (Catech. Rom. P. 2, c. 5, n. 1).

SECTIO I.

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Prop. I. Paenitentia est verum Novi Testamenti Sacramentum.

9. *Nota.* Cum Paenitentia intellegatur illud Sacramentum, quo peccata post Baptismum commissa remittantur, ad probandam thesin duo demonstranda sunt:

a) Christum instituisse aliquod signum, quo applicato peccata hominis baptizati remittuntur;

b) hoc signum esse diversum a Baptismo; si a Baptismo distinguitur, cum ceteris Sacramentis confundi nequit.

10. *Haeretici* usque ad saec. XVI vix umquam hoc Sacramentum simpliciter negarunt; sed quidam eius virtutem ad certa peccatorum genera restringi dixerunt, ut *Montanistae*. Ita Tertullianus iam Montanista factus in libro De pudicitia c. 2 (M 2, 986) delicta, inquit, „dividimus in duos exitus. Alia erunt remissibilia, alia irremissibilia.“ Intellegit autem remissionem, quam peccator „ab episcopo consequi poterit“; nam a Deo solo concedit omnia peccata remitti posse (l. c. c. 18; M 2, 1018). Eandem fuisse doctrinam quorundam *Novatianorum* testantur *Socrates* (H. E. l. 7, c. 25; M 67, 789) et *S. Ambrosius* (De Paen. l. 1, c. 2, n. 6; M 16, 467), quamvis *Novatianus* ipse omnem Ecclesiae potestatem remittendi peccata negasse a quibusdam dicatur. *S. Epiph.*, Haer. 59, n. 1 (M 41, 1018); *S. Athan.*, Ep. 4 ad Serap. n. 13 (M 26, 654); *S. Pacianus*, Ep. 3 (M 13, 1063); *S. Ambrosius*, De Paenit. l. 1, c. 3 (M 16, 469).

Lutherus (in libro De captivitate Babylonica) connumerat quidem Paenitentiam inter Sacramenta Novae Legis; circa finem autem libri addit: „Paenitentiae Sacramentum, quod ego his duobus [Baptismo et Eucharistiae] accensui, signo visibili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi quam viam ac reditum ad Baptismum.“ Similiter *Melanchthon*, *Zwinglius* (De vera et falsa relig.: c. de Sacramentis), *Calvinus* (Inst. l. 4, c. 19, § 15), alii Paenitentiam non esse nisi Baptismi recordationem docuerunt (cf. *Bellarmin.* l. 1, c. 9; *Wirceburg.* n. 94).

Inter nostrae aetatis *Protestantes* summa confusio viget, dum alii particularem, alii generalem tantum confessionem admittunt; alii con-

fessionem institutum esse divinum, alii humanum volunt; alii solis „ministris“, alii etiam laicis facultatem absolvendi tribuunt. Omnes autem in hoc fere consentiunt singulorum libertati committendum esse, utrum confiteri velint necne¹.

Arg. I. Ex S. Scriptura.

11. a) Christus post resurrectionem apparens apostolis ait: „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit iis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur iis, et quorum retinueritis, retenta sunt.“ — Ἐν τῶν ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται [ἀφέωνται] αὐτοῖς· ἔν τῶν κρατῆτε, κρατῆται (Io. 20, 21 sqq.).

His verbis Christum dare apostolis potestatem aliquo modo remittendi peccata tam evidens est, ut ne *Protestantes* quidem negent, sed hanc potestatem exerceri dicunt sive per Baptismum et susceptionem in ecclesiam sive per praedicationem redemptionis sive per disciplinam externam ecclesiasticam. Sed has et similes explicationes, in quantum exclusive intelleguntur, reicimus probando tria:

a) Christum dedisse apostolis potestatem vere et proprie remittendi peccata;

β) hanc potestatem esse distinctam a potestate baptizandi;

γ) eandem potestatem competere successoribus apostolorum.

12. Ad a): „Remittere peccata“ secundum naturalem significationem verborum et secundum usum S. Scripturae est ita liberare aliquem a

¹ „Die reformirte Kirche verwirft gemeinsam mit der lutherischen den Beichtzwang sowohl im allgemeinen als wie die gesonderte Aufzählung aller Sünden, die Genugthuung durch Bussübungen und damit zugleich die Stellung des Geistlichen als Richters. . . . Indem die Reformirten keinen Amtsauftrag, die Vergebung der Sünden wirkungsfähig zuzusprechen, anerkennen, wissen sie nur von einer institutio und consolatio in Fällen besonderer Gewissensnoth, wobei es gleichgiltig ist, ob diese bei einem Laien oder Geistlichen gesucht wird. . . . Die neuere Exegese, auch bei den Lutheranern, pflegt zwar im biblischen Beweis (Io. 20, 23) auch nur bei der allgemeinen Wirkung der praedication evangelica stehen zu bleiben; aber als symbolische Lehre steht durch das Hauptstück von den Schlüsseln im kleinen Katechismus und demgemäss bei den alten DD. der lutherischen Kirche fest, dass es zu dem besondern Auftrage der Diener des Evangeliums gehöre, Bussfertigen die Sünden an Gottes statt zu vergeben, und Unbussfertigen dieselben zu behalten, mit der entsprechenden Thatwirkung bei Gott selber wie bei den Menschen. Andererseits ist zuzugestehen, dass nach correct lutherischem Amtsbegriffe kein exclusives Absolutionsrecht aus der Ordination abzuleiten sei. Wohl aber wird umgekehrt zu sagen sein, dass bei der damit verbundenen Verantwortlichkeit niemand, dem solches zu thun nicht amtlich befohlen ist, ohne Gefährde seiner selbst sich herausnehmen wird, in solchen Fällen mehr zu thun als den Bruder brüderlich zu trösten, für das Begehren ausdrücklicher Absolution dagegen ihn seinerseits selbst an das Amt des Wortes und der Sacramente weisen wird. An sich kann die Institution der Beichte als solche in aller Form nur für eine kirchliche Einrichtung erklärt werden“ (V. Zeszschwitz, Real-Encyclopädie für protest. Theologie II, 224 sqq.).

peccato, ut peccati culpa coram Deo non iam gravet animam, et consequenter est infundere gratiam; nam inter statum gratiae et peccati nullum medium agnoscit revelatio christiana. Nemo igitur potestate innata potest peccata remittere nisi solus Deus. Quare cum Christus paralytico dixisset: Ἀφίενται σοι αἱ ἁμαρτίαι (Matth. 9, 2), Pharisei murmurabant: „Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?“ Christus autem, ut ostenderet, „quia Filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata“, patravit miraculum (Luc. 5, 21 sqq.).

Hanc igitur potestatem, quam ipse a Patre habet, Christus communicat cum apostolis: „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos“, i. e. et ad eundem finem et eadem potestate instructos. In specie autem determinat hanc potestatem per verba: „Quorum remiseritis peccata...“ Cum igitur sensus verborum „remittere peccata“ sit omnino determinatus (cf. etiam Matth. 6, 12. 14; Marc. 11, 26), apostoli necessario intellegebant sibi dari eandem potestatem, quam Christus sibi attribuerat, cum diceret: „Remittuntur tibi peccata.“ Quia autem haec potestas in se est divina, dat iis Spiritum Sanctum, cuius auctoritate peccata remitterent: „Accipite Spiritum Sanctum...“ Nisi igitur quis probet ex contextu hunc sensum repugnare, omnino dicendum est *apostolos accepisse potestatem vere et proprie remittendi peccata*, ita ut haec coram Deo sint deleta. Neque ulla ratio est, hanc potestatem restringendi ad solas *poenas* vel ad solam externam disciplinam. A fortiori arbitrarium est explicare ita: „Quorum *declaraveritis* peccata esse remissa“; nam hoc non est explicare sed detorquere; neque ullibi in Novo Testamento verba ἀφίενται ἁμαρτίας hoc sensu usurpantur; et in hoc ipso textu apostoli dicuntur ita remittere peccata, ut consequenter Deus ipse remittat: „Quorum remiseritis, remissa sunt.“ Ergo agitur de remissione efficaci, non de sola declaratione inefficaci.

13. Ad β): *Haec potestas distincta est a potestate baptizandi*; nam potestas hic apostolis data indefinite extenditur: Ἐν τῶν ἀφῆτε. Atqui Baptismo semel tantum peccata deleri possunt. Ergo hic alia potestas confertur. Similiter potestas hic collata est potestas iudicialis et ad remittendum et ad retinendum (id quod postea explicabitur). Atqui potestas baptizandi nullo modo est potestas iudicialis neque est potestas retinendi peccata (Suarez, Disp. 17, sect. 2, n. 27). Denique Christus Baptismum et alia occasione et aliis verbis et ad alium finem et sub determinato ritu instituit. Ergo duo haec confundi nequeunt. Quamvis igitur verba Christi aliquo modo ad Baptismum applicari possint, et a SS. Patribus vere applicentur (S. Ambros., De Paenit. l. 1, c. 8; M 16, 476), tamen hic non est sensus proprius verborum, neque verba possunt exclusive de Baptismo intellegi, ut expresse definivit Concilium Tridentinum sess 14, can. 2 (Denzinger l. c. 790). SS. Patres clarissime haec duo Sacramenta inter se distinguunt, unde notum illud:

paenitentiam esse „secundam post naufragium tabulam“ (Tertull., De Paenit. c. 4; M 1, 1233).

14. Ad γ): *Haec potestas non fuit solis apostolis collata, sed permanet in ecclesia*. Eodem enim modo data est haec potestas atque aliae potestates docendi, baptizandi, Eucharistiam conficiendi etc. Atqui omnes fatentur has potestates manere in ecclesia. Ergo etiam potestas remittendi peccata. Porro finis huius potestatis manet usque ad consummationem saeculi; semper enim aderunt peccatores, qui remissione indigeant. Atqui si finis potestatis est perpetuus, etiam potestas ipsa debet esse perpetua, ut iam S. Pacianus (Ep. 1 ad Semp. Novat. n. 6; M 13, 1057) monet: „An tantum hoc [remittere peccata] solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet et Spiritum Sanctum dare solis et solis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis quam apostolis imperatum est... Si ergo et Lavacri et Chrismatis potestas, maiorum et longe charismatum, ad episcopos inde descendit, et ligandi quoque ius adfuit et solvendi.“

15. His autem probata est existentia Sacramenti Paenitentiae, quia hoc Sacramentum nihil aliud est nisi exercitium potestatis remittendi et retinendi peccata. Sola dubitatio esse potest de *signo sensibili*, quia Christus nihil dicit de tali signo. Nihilominus cum unus homo alteri non possit convenienter remittere peccata nisi verbis dicendo: „Remitto tibi peccata“ vel simili sensibili modo, Christus dicendus est voluisse apostolos suos hoc modo indicare hominibus remissionem vel retentionem peccatorum, et hac orali absolutione uti ut signo sensibili huius Sacramenti. Haec explicatio tam naturalis et obvia est, ut nemo de hoc signo externo ab apostolis in remissione peccatorum adhibendo umquam dubitaverit. Certe enim noluit Christus actu mere interno peccata remitti vel retineri, ita ut homines prorsus ignorarent, utrum peccata sua remissa an retenta essent.

16. *Hanc explicationem textus sanxit Concilium Tridentinum* (sess. 14, can. 1) his verbis: „Dominus Sacramentum Paenitentiae tum praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum Sanctum... Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes magna ratione ecclesia catholica tamquam haereticos exposuit atque condemnavit. Quare verissimum hunc verborum Domini sensum sancta haec Synodus probans et recipiens damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei et Christi evangelium annuntiandi contra huiusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent“ (Denzinger l. c. 774).

17. b) *Duo alii textus*, qui ad Paenitentiae Sacramentum referuntur, sunt Matth. 16, 19 et 18, 18, qui textus explicati sunt in tractatu de vera ecclesia (n. 274, 287 sqq.). His locis Christus non promittit in specie potestatem remittendi peccata per Sacramentum Paenitentiae, sed promittit potestatem clavium secundum totam amplitudinem, intra quam Sacramentum Paenitentiae tamquam pars praecipua includitur; nulla enim re magis ocluditur ingressus in regnum caelorum quam peccatis nondum remissis. Unde recte dicimus Christum illis locis etiam Sacramentum Paenitentiae promississe, quemadmodum Sacramenta quoque Baptismi, Confirmationis, Eucharistiae prius promisit et postea instituit.

Arg. 2. Ex SS. Patribus.

18. Cum saeculo III. *Novatiani* docere coepissent non posse ab ecclesia peccata, saltem graviora, post Baptismum commissa remitti, statim haeretici habiti et in Synodo Romana sub Cornelio papa damnati sunt (*Euseb.*, H. E. I. 6, c. 43; *M* 20, 615). Ergo illa aetate persuasio vigeat in ecclesia traditam esse a Deo ecclesiae potestatem omnia peccata remittendi.

19. Contra Novatianum scripsit ad Antonianum S. Cyprianus Ep. 55, in qua (n. 29; *H* 2, 647) inter alia dicit: „Quodsi invenimus a Paenitentia agenda neminem debere prohiberi et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, per sacerdotes eius pacem posse concedi, admittendus est plangentium gemitus et Paenitentiae fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest, qui ex toto corde paenituerint et rogaverint, in ecclesiam debent interim suscipi et in ipsa Domino reservari.“ Idem in l. De lapsis c. 29 (*H* 1, 258): „Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in saeculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio et remissio [facta] per sacerdotes apud Dominum grata est.“

20. S. Pacianus Novatianos copiose refutat Epistulis ad Sympronianum datis, quarum tertia sic habet (n. 1): „Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me confertis undique propositionibus destinasti, Symproniane frater, hoc continet: Quod post Baptismum paenitere non liceat, quod mortale peccatum ecclesia donare non possit, immo quod ipsa pereat recipiendo peccantes... Quis hoc vindicat, frater? Moyses? an Paulus? an Christus? ... Nullus horum, inquires. Quis ergo? Novatianus hoc praecepit... At vel quando, frater, quibusve temporibus? ... Post trecentos prope annos dominicae passionis... Ergo a Christi usque ad Decii principatum nullus intellegens? Post Decium denique omnis episcopus impatiens; omnes alii dissoluti, qui se miscere

perditis mallent, qui perire cum miseris, qui alieno vulnere vulnerari? Novatiano vindice iustitia liberatur; auctore corrigitur, quidquid erravit.“ Post multa alia venit ad illud argumentum, quod ecclesiae data est potestas omnia aut solvendi aut ligandi (n. 11): „Iam quam argute caput illud absolvis, quod ego posui, datam episcopis potestatem, ut, quae ligassent in terra, ligata essent in caelis. Dicis hoc non ad fideles sed ad catechumenos pertinere, ut baptizandis scl. adhuc populis solvi liceret crimina vel teneri.“ Hoc refutat eo, quod apud Matth. 16, 19 sermo est de fidelibus, non de infidelibus. Provocat ad S. Cypriani doctrinam et ait (n. 24): „Lege igitur diligentius Cyprianum meum, lege totam De lapsis epistolam, lege aliam, quam ad Antonianum dedit, ubi exemplis omnibus Novatianus urgetur: iam scies, quid de paenitentium curatione pronuntiet. Cyprianum loquor vestra oppugnantem et catholica iura retinentem. Tertullianum post haeresim (nam multa inde sumpsistis) ipsum epistula sua, et ea ipsa, quam catholicus edidit, audies confitentem posse ecclesiam peccata dimittere.“ In prima epistula iam solverat objectionem solum Deum posse peccata ignoscere. Respondet (n. 6): „Verum est, sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod apostolis dicit: ‚Quae ligaveritis in terris, ligata erunt et in caelis. Et quaecumque solveritis in terris, soluta erunt et in caelis‘ (Matth. 16, 19)? Cur hoc, si ligare ac solvere hominibus non licebat? An tantum hoc solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet et Spiritum Sanctum dare solis et solis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis quam apostolis imperatum est... Si ergo et Lavacri et Chrismatis potestas, maiorum et longe charismatum, ad episcopos inde descendit, et ligandi quoque ius adfuit et solvendi“ (*M* 13 1051 sqq.).

21. Origenes (De orat. n. 28; *M* 11, 527): „Is, in quem Iesus insufflavit, quemadmodum in apostolos... is dimittit, quae dimitteret Deus, et insanabilia peccata retinet, ministrans... soli dimittendi potestatem habenti Deo. Sic autem habent in evangelio secundum Ioannem, quae de remissione ab apostolis concedenda scripta sunt: Accipite Spiritum Sanctum...“

22. S. Ambrosius (De Paenit. l. 1, c. 2, n. 6; *M* 16, 467): „Aiunt [Novatiani] se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum peccatorum potestatem reservent. Immo nulli maiorem iniuriam faciunt, quam qui eius volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in evangelio suo dixerit Dominus Iesus: ‚Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur iis, et quorum detinueritis, detenta sunt‘, quis est ergo, qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat oboedientiam ut peccatum et alliget et relaxet, haeresis

in altero immitis, in altero inoboediens" (cf. c. 3 et c. 8, n. 36 et l. 2, c. 2, n. 12).

23. S. Ioan. Chrysostomus (De sacerdot. l. 3, n. 5; *M* 48, 643): „Potestatem acceperunt [sacerdotes], quam neque angelis neque archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: ‚Quaecumque ligaveritis . . .‘ Habent quidem ii, qui in terra imperant, potestatem ligandi, verum corpora solum; hoc autem vinculum ipsam attingit animam caelosque transcendit; ac quaecumque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit quam omnem caelestium potestatem? nam, ‚quorum‘, inquit, ‚remiseritis peccata . . .‘ Quae maior hac potestas fuerit? . . . Insania enim manifesta est, tantum principatum despiciere, sine quo neque salutem neque promissa bona consequi possumus . . . Neque enim tantum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa condonare possunt" (l. c. n. 6; *M* 48, 645).

24. S. Augustinus hanc regulam statuit: „Si a catechumeno factum est [homicidium], Baptismate abluitur; et si a baptizato, paenitudine et reconciliatione sanatur" (De adult. coni. l. 2, n. 16; *M* 40, 482). „Quae autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa" (l. c. l. 1, n. 35; *M* 40, 470). Plura postea (n. 41. 216. 365).

25. S. Leo M. (Ep. 108, c. 2; *M* 54, 1011): „Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Paenitentiae medicinam spes vitae reparatur aeternae, ut, qui regenerationis dona violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent; sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Iesus hanc praepositis ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem paenitentiae darent et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent."

Cf. *S. Basil.*, Adv. Eunom. l. 5 (*M* 29, 718); *S. Athanas.* (?), Tractat. in illud „Profecti in pagum" (*M* 28, 174); *S. Gregor. M.*, Hom. 26 in Evang. l. 2, n. 4 et 5 (*M* 76, 1199).

26. *Arg. 3.* Paenitentiam esse Sacramentum docent omnes theologi sine ulla haesitatione et sine ulla dissensione, ita ut doctrina haec inde ab apostolorum temporibus usque ad nostram aetatem nulla facta interruptione tradita appareat. Immo omnes ecclesiae orientales, etiam haereticae et schismaticae, eandem fidem profitentur (cf. *Denzinger*, Rit. orient. I, 100 sqq.).

27. *Arg. 4.* Definitiones Conciliorum habentur in *Conc. Later. IV* (*Denzinger*, Enchir. 357. 363), in *Conc. Flor.* (*Denzinger* l. c. 594), in *Conc. Trid.* sess. 14, can. 1—3 (*Denzinger* l. c. 789—791).

28. *Arg. 5.* *Confirmatio ex Ratione.* Quam apte hoc Sacramentum institutum sit, facile intellegitur. Sicut enim Deus ecclesiae dedit potestatem vitam supernaturalem hominibus dandi et conservandi, ita etiam conveniebat hanc vitam peccato amissam per ecclesiae ministerium restitui. Addit quoque haec potestas magnam dignitatem ecclesiae, dilectae Christi sponsae, et hominum erga eam reverentiam et oboedientiam auget. Porro rectus ordo exigit, ut homo, qui peccando subtrahere se voluit Dei dominio, a peccato liberari nequeat, nisi propter Deum se humiliter subiciat creaturae. Ex altera vero parte quantae sit consolationis hoc Paenitentiae institutum peccatoribus vere contritis, facta loquuntur.

Prop. II. Potestas remittendi peccata ecclesiae concessa ad omnia omnino peccata extenditur.

29. *Nota.* Haec thesis, quamvis in praecedenti contineatur, tamen ideo statuenda est, quia speciales quaedam obstare videntur difficultates, tum scripturisticae tum historicae, quominus potestas ecclesiae facta ad omnia omnino peccata extendatur.

Montanistae inter peccata, quae ab ecclesia remitti posse negabant, recensebant homicidium, idololatriam, blasphemiam, adulterium, fornicationem, apostasiam a fide. *Novatiani* ab initio sacrificatis et libellaticis Paenitentiam denegabant, deinde hunc rigorem ad omnia gravia crimina extendisse, postea vero iterum ad quaedam enormia peccata coartasse videntur. Unde factum est, ut de eorum doctrina non raro contradictoria apud veteres scriptores inveniantur.

Docent *Morinus* (De Paenit. l. 10, c. 1; cf. l. 9, c. 19. 20), *Martène* (De ant. eccl. rit. t. 1, c. 6, n. 2), *Arnaldus* (De frequenti communionem p. 2, c. 15), alii in vetere ecclesia quibusdam peccatoribus simpliciter negatam esse absolutionem, et ad hanc praxim *Iansenistae* revertendum esse dicebant.

30. Prius videamus difficultates, quae ex S. Scriptura fiunt, deinde quae ex Traditione oriuntur. Ut Traditionis sive doctrina sive praxis rite intellegatur, imprimis *distinguenda est Paenitentia publica et privata*. Haec posterior confessione, absolutione, satisfactione privata absolvetur, illa vero prior coram plebe et episcopo in ecclesia agebatur. Publica paenitentia aut sponte suscipiebatur aut erat canonibus praescripta, et in hoc casu dicebatur canonica, quamquam non omnis canonica erat publica. Si publica et canonica paenitentia fiebat secundum quattuor gradus flentium, audientium, substratorum, consistentium, dice-

batur sollemnis, quae tota paenitentia interdum dicitur exomologesis (cf. Frank, Die Bussdisciplin der Kirche [Mainz 1867] p. 34 sqq.), quamvis haec vox possit solam quoque confessionem significare. Neque vero omnis publica paenitentia erat etiam publica confessio; nam poterat aliquis post privatam confessionem paenitentiam publicam agere. Diversi autem gradus paenitentium in orientali tantum ecclesia observati fuisse videntur; et pro solis gravissimis criminibus haec paenitentia imponebatur. Hi, qui publicam et canonicam paenitentiam peragebant, *κατ' ἐξοχήν* paenitentes vocabantur (cf. S. August., Serm. 352, c. 3; M 39, 1558 et De symbolo ad Catech.). Horum publica absolutio dicebatur „reconciliatio“, quae non necessario dabatur statim cum privata absolute; sed haec ab illa poterat longo tempore separari; de qua re postea plura.

31. Cum inde a primis saeculis criminibus certis certae poenae canonicae statuerentur, postea haec statuta in libros collecta sunt, qui dicuntur *Libri paenitentiales*. Nullus ex his libris est, qui ab universa ecclesia agnitus aut a romano pontifice praescriptus sit, sed omnes sunt privatorum hominum aut episcoporum elucubrationes factae in usum sacerdotum, ut hi scirent, quomodo officio confessarii fungi, quas quaestiones ponere, quae monita dare, quas poenas infligere deberent. Praeterea Paenitentiales per decursum temporis saepe valde immutata et corrupta sunt. Nulla igitur in his libris inest auctoritas definiendi quicquam circa fidem et mores, contra nonnulli ex iis falsa et sanae doctrinae repugnantia continent. Libros paenitentiales ediderunt inter Protestantes maxime *Wasserschleben* (Die Bussordnungen der abendländischen Kirche. Halle 1851), inter Catholicos *Schmitz* (Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche. Mainz 1883). Dr. Schmitz defendit existentiam alicuius Libri paenientialis, qui fuerit ecclesiae romanae proprius, quam alii plerique negant, cum omnes Libri Paenitentiales sint anglo-saxonicae aut francicae originis (cf. *Wetzer und Welte*, Kirchenlexikon, ed. 2, s. v. „Beichtbücher“, et *Zeitschrift für kath. Theologie* [Innsbruck 1884] p. 176 sqq.).

Pars I. Doctrina S. Scripturae.

32. Doctrina Scripturae clare patet ex textibus in praecedenti thesi allatis. Cum enim Christus dixerit: „Quaecumque solveritis...“ et „quorumcumque remiseritis peccata“, efficitur apostolos posse omnium hominum omnia peccata, nullo excepto, remittere. Nulla enim a Christo facta est limitatio sive quoad personas, sive quoad genus, sive quoad numerum peccatorum. Ergo potestas ecclesiae ad omnia omnino peccata extenditur.

Sed obstare videntur haec:

33. a) Matth. 12, 31. 32. „Ideo dico vobis: Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia (ἡ τοῦ

πνεύματος βλασφημίας) non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.“

De hoc textu S. August. ait (Serm. 71, c. 5; M 38, 449): „Forte in omnibus Sanctis Scripturis nulla maior quaestio, nulla difficilior invenitur.“ Cur tam difficilis? Quia ecclesiae persuasum erat se posse plane omnia peccata remittere, ut ibidem c. 4 exponit Augustinus. Postquam enim enumeravit varia peccata, „qualia sunt vel adulteria, vel homicidia, vel ipsa discessio, sive omni modo a nomine christiano, sive a catholica ecclesia“, de his statim pronuntiat: „Paenitentia quorumcumque criminum in ecclesia non negatur.“ Ergo textus ille erat ita explicandus, ut nulla exceptio statuaretur. Ceterum non apparebit tanta difficultas, dummodo attendatur, quid sit peccatum contra Spiritum Sanctum. Hoc autem facile inveniemus, si cogitaverimus isto loco non esse sermonem de potestate ecclesiae remittendi peccata, sed de remissione peccatorum, quatenus fit ab ipso Deo. Deus autem nullum peccatum ideo non remittit, quia non potest remittere, sed quia non vult; et rursus non ideo non vult remittere, quia ex sua parte paratus non est ad omnia peccata remittenda, cum contrarium saepe affirmaverit (Ez. 33, 11. 12. Ioel 2, 32 etc.). Ergo aliquid obstat ex parte peccatoris. Atqui ex eius parte nihil aliud obstat nisi *positiva impaenitentia*, qua non vult uti gratia sibi oblata. Ergo hanc vocat Christus peccatum contra Spiritum Sanctum, quod numquam remittetur.

34. Ita SS. Patres textum explicarunt. S. August. I. c.: „Quem potentia Dei ad paenitentiam adducit, ipse secundum duritiem cordis sui et cor impaenitens thesaurizat sibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius... Haec omnino impaenitentia non habet remissionem neque in hoc saeculo neque in futuro.“ Idem docet in inchoata expositione in Ep. ad Rom. n. 14 sqq. (M 35, 2097 sqq.). In Enchiridio c. 83 docet eum ipsum committere hoc peccatum, „qui in ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam divini muneris largitatem et in hac obstinatione mentis diem claudit extremum.“ Eodem modo textum explicant alii SS. Patres.

35. Et haec explicatio omnino quadrat cum contextu. Nam Pharisaei evidentissimis miraculis cognoverant Deum in Christo et per Christum operari, et nihilominus dicebant Christum in Beelzebub haec omnia fecisse. Quare Christus ad eos ait: Si scandalizati fuissetis de humilitate humanae meae naturae et merum hominem me putantes me blasphemavissetis, esset quidem magnum peccatum, sed veniae capax. Cum autem intellexeritis Deum in me operari, et opera Dei diabolo adscribatis, vobis ipsi occluditis viam veritatis et conver-

sionis. — Agitur igitur de pertinaci et quasi diabolica aversione a veritate revelata¹. Cfr. *S. Thomas*, In ep. ad Rom. c. 2, lect. 1 in fine. Alias expositiones vide apud *Bellarminum*, De Paenit. l. 2, c. 16.

36. b) 1 Io. 5, 16. „Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.“

Peccatum ad mortem est apostasia a veritate cognita; ergo redit ad eandem malitiam, de qua Christus loquitur in textu praecedenti. Non vetat quidem apostolus pro apostatis orare, sed non praecipit, quia apostata non habet idem ius, quod fideles habent, ut pro iis oretur, sed est excommunicatus et consequenter participatione orationum publicarum privatus. Nihil vero dicit apostolus, utrum ecclesia tale peccatum remittere possit necne.

37. c) *Hebr. 6, 4—6*. „Impossibile est enim eos, qui semel illuminati sunt (*τοὺς ἅπαις φωτισθέντας*), gustaverunt etiam donum caeleste et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad paenitentiam (*πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν*), rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes.“ Apostolus scribit ad Iudaeos conversos, qui ob magnas persecutiones in periculo apostasiae erant. A quo summo malo ut eos deterreat, apostolus iis graphice depingit, quanta beneficia a Deo acceperint. Illuminati enim erant per doctrinam et gratiam fidei, gustaverant experientia interna dulcedinem legis christianae et maxime pacem conscientiae a peccatis liberatae, participes facti erant Spiritus Sancti, sive per Sacramentum Confirmationis sive per charismata, sive alio modo; sciebant, quid evangelium iis promitteret pro futuro saeculo, quae promissa tunc iam quodammodo implebantur per miracula et signa extraordinaria, quae ea aetate tam frequenter fiebant. Iam, inquit apostolus, si post tanta beneficia accepta nihilominus a fide defeceritis, impossibile est vos rursus renovari ad paenitentiam.

38. Quid est hoc „rursus renovari ad paenitentiam“? Duplex responsum est: *SS. Patres* vix non omnes dicunt apostolum Iudaeis in

¹ Bene Dr. Schanz in h. l.: „Wer diese Thaten [Christi] als Werke des göttlichen Geistes erkennt oder erkennen muss, und dennoch ihm böswillig widerstrebt oder ihn gar lästert, der macht sich einer Sünde schuldig, welche weder in diesem noch in jenem Leben verziehen werden kann. . . . Man darf dabei aber nicht bei einem einmaligen Aussprechen einer solchen Lästerung gegen den erkannten Heiligen Geist stehen bleiben, denn die Apostel haben die Bekehrungsversuche nie auf ein Gesamtzustand zu betrachten, dessen Aeußerung die Einzelsünde ist. Dieser Zustand besteht aber in der Verstocktheit gegen die als göttliche Offenbarung erkannte Wahrheit.“

memoriam revocare unam tantum, non duplicem esse in ecclesia paenitentiam per Baptismum. In hac explicatione sensus verborum apostoli est: Post apostasiam non iam habebitis medium tam facile et tam perfectum, quo cum Christo reconciliemini, quam est Baptismus. „Nam revera, qui semel renovati ceciderunt, renovari amplius non possunt. . . . Neque alteram quis usurpare lotionem potest, quod unus Baptismus sit unaque renovatio.“ Ita *S. Epiphanius*, Haer. 59, n. 2 (*M* 41, 1019). Eodem modo *S. Athan.*, Ep. 4 ad Serap., n. 13 (*M* 26, 655), *S. Chrysost.*, Hom. 9 in Hebr. n. 3 et 4 (*M* 63, 78 sq.), *S. Ioan. Damascenus*, De fide l. 4, c. 9 (*M* 94, 1109), *S. Ambros.*, De Paenit. l. 2, c. 2 (*M* 16, 497), alii. Itaque auctoritate haec expositio quam maxime commendatur. Sed obstat contextus; nam apostolus rationem, cur non possint renovari, hanc reddit, quod cum tot tamque extraordinariis Dei beneficiis cooperati non sint. Atqui haec ratio est nulla, cur Baptismus repeti nequeat. Nam etiam is, qui infans baptizatus et statim ad apostasiam seductus est, antequam ullum tale donum acceperit, non magis iterum baptizari potest.

39. Quare posteriores exegetae (cum *S. Hieronymo*, Contra Iovin. l. 2: *M* 23, 286) aliam dant explicationem et dicunt sensum apostoli esse homines, qui tantis gratiis abusi sint et in tam aperta rebellione contra veritatem cognitam versentur, non posse resipiscere. Licet enim hoc non absolute impossibile sit per extraordinarium miraculum gratiae, tamen, cum tantum miraculum non sit expectandum, de misero statu talium hominum desperandum esse¹.

Salmeron in h. l. notat utramque explicationem esse catholicam et admitti posse. Alteram explicationem sequuntur *Lyra*, *Vasquez*, *Ribera*, *Cornelius-a Lapide*, *Menochius*, *Tirinus*, *Ad. Maier*, hac aetate exegetae omnes (cf. *Inst. propaed.* n. 586).

40. d) *Hebr. 10, 26. 27*. „Voluntarie enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quaedam expectatio iudicii et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios.“

Sensus est: Qui a christiana religione ad iudaismum defecerint, nullum habebunt sacrificium ad Deum placandum; nam sacrificia Veteris Legis sunt abrogata et unicum sacrificium Novae Legis, i. e. sacrificium crucis, reiecerunt. Ergo manebunt in peccatis suis.

¹ „Sie zur Sinnesänderung zu erneuern ist unmöglich, sie sind und bleiben verloren; denn der Abfall nach solchen Gnadenerfahrungen, wie sie Vers 4 und 5 beschrieben sind, ist eine vollständige Verhärtung und Verstockung des Herzens, ein muthwilliges Sündigen, wofür es keine Entschuldigung mehr gibt, jene Sünde gegen den Heiligen Geist, von der geschrieben steht, dass sie weder hier noch jenseits werde vergeben werden.“ (*Zill*, Der Brief an die Hebr. [Mainz 1879] in h. l.)

Pars II. Doctrina veteris ecclesiae.

41. Praeter ea, quae in priori thesi allata sunt, multa alia exstant, quibus evidenter ostenditur, secundum doctrinam SS. Patrum nullum omnino peccatum a potestate clavium exceptum fuisse.

Iam S. Polycarpus (Ep. ad Philip. c. 6; *F* 1, 273) monet: „Presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga cunctos, aberrantia reducentes . . . non severi nimis in iudicio, scientes nos omnes debitores esse peccati. Si ergo deprecamur Dominum, ut nobis dimittat, debemus et nos dimittere; nam coram Domini et Dei oculis sumus, et omnes ante tribunal Christi stare et unumquemque pro se rationem reddere oportet.“

S. Hilarius (In Matth. c. 18, n. 10; *M* 9, 1022): „Neque fas est nos ex praescripto legis dandae veniae numero concludi, cum per evangelii gratiam sine modo nobis a Deo fuerit indulta.“

S. Ambrosius (De Paen. l. 1, c. 3, n. 10; *M* 16, 469): „Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.“

Et (l. 2, c. 3, n. 19; *M* 16, 501): „Evidentissime Domini praedicatione mandatum est etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde et manifesta confessione peccati paenitentiam gerant, Sacramenti caelestis refundendam gratiam.“

S. Augustinus (De agon. christ. c. 31; *M* 40, 308): „Nec eos audiamus, qui negant ecclesiam Dei omnia posse peccata dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intellegunt et nolunt credere datas ecclesiae claves regni caelorum, ipsi eas de manibus amiserunt.“

Et (Serm. 352, n. 9; *M* 39, 1559): „Fuerunt, qui dicerent quibusdam peccatis non esse dandam paenitentiam, et exclusi sunt de ecclesia et haeretici facti sunt. In quibuscumque peccatis non perdit viscera pia mater ecclesia.“

Idem docet S. Gelasius (*M* 59, 105).

42. *Difficultates* autem, quae ex Patrum scriptis contra doctrinam tam clare propositam moventur, ad varias classes redigi possunt:

a) Patres simpliciter repetunt verba Scripturae supra relata, quo in casu explicatio iam proposita est adhibenda.

b) Interdum historice tantum referunt quaedam peccata de facto non remitti, non propter defectum potestatis clavium, sed quia tales peccatores non sunt dispositi ad recipiendam absolutionem.

c) Non raro tantum magnam difficultatem conversionis efferunt.

d) Saepe quoque dicunt peccatum aliquod esse irremissibile, quia propter enormitatem suam meretur non remitti.

Ita Patrum doctrinam iam explicat S. Thomas: Peccatum „dicitur irremissibile, non quod nullo modo remittatur, sed quia, quantum est de se, habet meritum, ut non remittatur, et hoc dupliciter: uno

modo quantum ad poenam; qui enim ex ignorantia et infirmitate peccat, minorem poenam meretur; qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem, unde eius poena minuatur . . . Alio modo potest intellegi quoad culpam, sicut aliquis dicitur morbus incurabilis secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturae vel inducit fastidium cibi et medicinae, licet talem morbum Deus possit curare. Ita etiam peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea, per quae est remissio peccatorum. Per hoc tamen non praeccluditur via remittendi et sanandi omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur“ (2, 2, q. 14, a. 3).

43. Quosdam textus in specie videamus:

Hermae Pastor (Mand. 4, c. 3, n. 6; *F* 1, 399): „Post vocationem illam magnam et sanctam si quis tentatus a diabolo peccaverit, unam paenitentiam habet. Sin autem subinde peccat et paenitentiam agit, non prodest homini eiusmodi; *difficile* enim vivet.“

Hic sermo non est de potestate clavium, sed dicitur difficile esse, post iteratos lapsus seriam paenitentiam agere. „Unam paenitentiam“ intellegit publicam.

Sim. 6, c. 2 (*F* 1, 367) dicit eos, qui deliciis se dederint, habere spem paenitentiae; eos vero, qui simul Deum abnegaverint, non habere spem. Hoc verum est, non propter defectum potestatis clavium, sed propter defectum fidei ad paenitentiam requisitae. Propterea Sim. 9, c. 26, n. 5 (*F* 1, 547) ait: „His igitur paenitentia est, si non ex praecordiis inventi fuerint denegasse, si vero ex praecordiis inventus quis fuerit denegasse, nescio an possit vivere.“ Auctoritas huius scriptoris, quia adeo clare docet omnibus omnino paenitentibus veniam praesto esse, a Catholicis obiciebatur Montanistis. Tertullianus autem studet eius auctoritatem elevare vocans eum „apocryphum pastorem moechorum“, cuius „scriptura sola moechos amat“ (De Pudic. c. 10 et c. 20; *M* 2, 999 et 1020). Ceterum obscura doctrina Pastoris est obiectum disputationis inter doctos, quae disputatione postulat longiores inquisitiones, quam quas hic instituere possimus.

44. S. Athanasius (Ep. 4 ad Serap. n. 9 sqq.; *M* 26, 650 sq.) docet eos, qui ex malitia negent divinitatem Christi, non posse veniam consequi. Sed cur? „Qui enim negant Filium, quem rogans obtinere poterit propitiationem? aut quae vita ei exspectanda, qui repulit eum, qui dicit: Ego sum vita?“ (n. 23.) Hoc idem est ac dicere: Qui pertinaciter infidelis est, salvari nequit. Sic ipse explicat in quodam fragmento in Matth. (*M* 27, 1286): „Observandum est non dixisse Christum blasphemanti et postea paenitenti remissionem dandam non

esse, sed blasphemanti et in blasphemia perseveranti, siquidem condigna paenitentia peccata omnino eluit.*

*Auctor operis De lapsu virginis consecratae*¹ inter opera S. Ambrosii ita virginem lapsam alloquitur (c. 8; *M* 16, 379): „Tu, quae iam ingressa es agonem paenitentiae, insiste misera; fortiter inhaere tamquam in naufragiis tabulae, sperans per ipsam te de profundo criminum liberari. Inhaere paenitentiae usque ad extremum vitae, nec tibi praesumas ab humana die veniam dari, quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quae enim proprie in Dominum peccasti, ab ipso solo te convenit in die iudicii exspectare remedium.“

Propter haec verba quidam scriptorem huius sermonis haeresis Novatianae accusarunt. Sed immerito. Nihil aliud est nisi exaggeratio rhetorica, qua peccatrici studet persuadere, ne umquam sibi blandiatur se satis paenitentiae pro tanto delicto fecisse, sed usque ad vitae finem in operibus paenitentiae perseveret. Ceterum saepe in eodem sermone, si serio paeniteat, ei veniam promittit.

Haec exempla sufficiant ad ostendendum, cuius generis sint difficultates, quae ex doctrina SS. Patrum contra Propositionem nostram fieri possunt.

Pars III. Praxis veteris ecclesiae.

45. Tertullianus Montanista factus Catholicis obicit eos etiam gravissimis criminibus veniam non denegare. „Audio edictum esse propositum, et quidem peremptorium, pontifex scl. maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: „Ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto“ (De pudic. c. 1; *M* 2, 981).

Et iterum: „Si, inquit [Catholici], aliqua paenitentia caret venia, iam nec in totum agenda tibi est; nihil enim agendum est frustra. Porro frustra agetur paenitentia, si caret venia. Omnis autem paenitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur; quia non erit agenda, si frustra agitur. Porro frustra agetur, si venia carebit. Merito utique ita opponunt [Catholici Montanistis], quoniam huius quoque paenitentiae fructum, i. e. veniam [seu remissionem peccatorum], in sua potestate usurpaverunt“ (l. c. c. 3; *M* 2, 985). In eodem autem libro Catholicis varia falso imponere videtur (cf. *Morin*. De Paen. l. 9, c. 19. *Frank*, Bussdisciplin p. 851 sqq.).

46. Revera iam S. Paulus apostolus hominem, qui crimine vel apud gentes horrendo uxorem patris sui duxerat, post duram paenitentiam ecclesiae restituit (2 Cor. 2, 5—11).

S. Ioannes Evangelista invenem a se conversum sed postea relapsum et latrocinii aliisque sceleribus famosum ad paenitentiam

¹ Fortasse *Nicetas*, episcopus civitatis Remesianae (Romacianae) in Dacia (initio saeculi V), de quo saepius loquitur S. Paulinus Nolanus. Sunt, qui eum habeant auctorem hymni „Te Deum“.

reduxisse dicitur, „nec prius abscessit, quam illum ecclesiae restitisset magnumque sinceræ paenitentiae exemplum et iteratae regenerationis ingens documentum et conspicuae resurrectionis trophaeum omnibus ostendisset“ (Euseb., H. E. l. 3, c. 23; cf. l. 4, c. 23; *M* 20, 255. 386).

S. Irenaeus (Adv. haer. l. 1, c. 13, n. 7; *M* 7, 591) narrat quasdam mulieres, quae a Marco haeresiarcha ad haeresim et moechiam seductae erant, facta exomologesi etiam publica receptas esse in ecclesiam, dum aliae, quas peccata confiteri pudebat, plane a fide defecerint.

47. Obicitur quod Cyprianus testatur in Ep. 55, n. 21 (*H* 2, 638): „Apud antecessores nostros quidam de episcopis istie in provincia nostra dandam pacem moechis non putaverunt et in totum paenitentiae locum contra adulteria clausurunt“.

At non quaeritur, quid nonnulli episcopi fecerint, sed quid ipsa ecclesia fecerit. Huius autem praxim fuisse contrariam patet ex verbis Cypriani statim sequentibus, quibus excusat illos episcopos, quod non obstante diversa sua praxi „non ecclesiae unitatem vel duritiae vel censurae suae obstinatione ruperunt, ut, quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Ecclesia separaretur“. Ceterum ne illi quidem episcopi putabant se non posse veniam concedere, sed non expedire. Erat igitur quaestio non dogmatica sed disciplinaria.

48. Conc. Eliberitanum (a. 306) pro variis gravissimisque criminibus hanc poenam statuit: „Placuit nec in finem eum communionem accipere.“

Sed hic communitio intellegitur sacra Eucharistia, qua illi homines privabantur. Nullibi vero statuitur eos non debere absolvi a peccatis suis (cf. *Hefele*, Conciliengeschichte I, § 13, p. 155 sqq. *Frank*, Bussdisciplin p. 739 sqq.). Eodem modo hoc communionis nomen in similibus aliorum Conciliorum decretis intellegendum est (*Palmieri*, De Paen. p. 87 sqq., ubi etiam aliae quaedam difficultates solvuntur).

Ceterum inter Catholicos a priori constare debet non potuisse ecclesiam ulli peccatori, dummodo vere paeniteret, absolutionem denegare, quia non solum potestatem, sed etiam obligationem absolvendi habet. Hinc denegatio absolutionis in tali casu fuisset aut inobedientia contra Christi legem aut error in fide. Utrumque autem est impossibile. Quibus suppositis haec in specie notanda sunt:

49. a) *Ecclesia universalis absolutionem non denegavit iis, qui studiose usque ad extremum vitae periculum paenitentiam distulerunt*, ut asserit *Morinus* (De Paen. l. 10, c. 1). Fecerunt id quidem nonnulli episcopi, sed Coelestinus I graviter hoc vituperat (Ep. 4 ad episc. prov. Vien. et Narb. n. 3; *M* 50, 431): „Agnovimus, paenitentiam morienti-

bus denegari nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se ille expediri desiderat, liberare . . . Desperavit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non creditit."

50. S. Leo M. (Ep. 108) postquam dixit omnibus in articulo mortis dandam esse reconciliationem, ita pergit (n. 5; *M* 54, 1013): „Oportet unumquemque Christianum conscientiae suae habere iudicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, et illius temporis angustias eligat, quo vix inveniatur spatium vel confessio paenitentis vel reconciliatio sacerdotis. Verum, ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut et actio illis paenitentiae et communionis gratia, si eam, etiam amisso vocis officio, per indicia integri sensus postulant, non negetur."

51. Conc. Nicaen. can. 13 de lapsis, qui paenitentiam publicam nondum finiverant, statuit: „De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua et canonica servetur, ut, si quis egreditur de corpore, ultimo et maxime necessario viatico non privetur. Quodsi desperatus aliquis accepta communione supervixerit, sit inter illos, qui in oratione sola communicant, donec statutum tempus compleatur. Generatim vero et nullo excepto, quolibet excedente et Eucharistiam flagitante, episcopus cum probatione impertiatur." Illud „necessarium viaticum" (*ἐπιτόμιον*) alii absolutionem, alii communionem, alii utrumque simul intellegunt (*Hefele*, Conciliengesch. I, 417. Cf. *Innoc. I*, Ep. 6, c. 6, Conc. *Arausic. I* (a. 441) can. 3 et *Pii VI* Damnatio propositionis 38 Syn. Pistoriens. *Denzinger* I. c. 1401).

52. b) *Vetus ecclesia non prohibuit, quominus a peccatis absolverentur ii, qui post sollemnem paenitentiam relapsi essent.*

Est contra *Morinum* (l. 5, c. 29) et alios, qui confundentes paenitentiam publicam cum privata, negabant veniam concessam fuisse peccatoribus relapsis, quia iis non licebat secundo paenitentiam publicam agere; quae tamen res sunt longe diversae.

Ita *Origenes* in *Levit. Hom.* 11, n. 2 (*M* 12, 532 sq.): „Apud Christianos si adulterium fuerit admissum, non est praeceptum, ut adulter vel adultera corporali interitu puniantur . . . Nunc non infertur poena corpori, nec purgatio peccati per corporale supplicium constat, sed per paenitentiam . . . Quod et si aliquis est, qui forte praeventus est in huiusmodi peccatis, admonitus nunc verbo Dei, ad auxilium confugiat paenitentiae, ut, si semel admisit, secundo non faciat, aut, si et secundo aut etiam tertio praeventus est, ultra non addat. Est enim

apud iudicem iustum poenae moderatio non solum pro qualitate, verum etiam pro quantitate." Nihilominus dicit: „In gravioribus criminibus semel tantum paenitentiae conceditur locus" (in *Lev. Hom.* 15, n. 2; *M* 12, 561).

53. S. Ambrosius (*De Paen.* l. 2, c. 10, n. 95; *M* 16, 520): „Merito reprehenduntur, qui saepius paenitentiam agendam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent paenitentiam, iterandam postea non putarent; quia, sicut unum Baptisma, ita una Paenitentia, quae tamen publice agitur; nam cotidiani nos debet paenitere peccati; sed haec delictorum leviorum, illa graviorum."

54. Idem docet S. August. in Ep. 153, n. 7 (*M* 33, 656), ubi huius rei rationem reddit: „Caute salutariterque provisum est, ut locus illius humillimae paenitentiae semel in ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset aegrotis, quae tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit." Sed statim addit, omnibus, etiam relapsis, privatam paenitentiam concedendam esse.

Cum igitur ex una parte SS. Patres solam paenitentiam publicam expresse nominent, et ex altera parte saepe doceant nullum omnino peccatum esse sine spe veniae, nisi velimus sine ratione dicere eos sibi ipsis contradixisse, fateri debemus absolutionem privatam nulli peccatori paenitenti negatam fuisse.

S. Ioanni Chrysostomo a suis adversariis obiebatur: „Quod licentiam peccantibus praebet sic docens: Si iterum peccasti, paeniteat iterum; et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sanabo" (*Photius*, *Bibl.* c. 59; *M* 103, 111).

55. Interrogatus *Siricius* papa ab *Himerio* *Tarraconensi* de talibus relapsis ita scribit (Ep. n. 6; *M* 13, 1137): „De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam Sedem credidit consulendam, qui acta paenitentia tamquam canes et sues ad vomitus pristinos et ad volubra redeunt et militiae cingulum et ludicras voluptates et nova coniugia et inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus quia iam suffugium non habent paenitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione coniungantur. Sacrae mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint, a dominicae autem mensae convivio segregentur; ut hac saltem districtione correpti et ipsi in se sua errata castigent et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscaenis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari."

Ergo a) negatio publicae paenitentiae cum concessione veniae coniungebatur.

b) Quia relapsi sola communione in vita privandi, in morte vero donandi dicuntur, signum est de absolutione iis danda omnino non fuisse dubitatum. Ceterum sine privata paenitentia et absolutione admissi non fuissent ad orandum cum fidelibus (cf. *Frank*, *Bussdisciplin* p. 811 sqq. 875 sqq.).

56. c) *Clericis maioribus in graviora crimina lapsis vetus ecclesia veniam non negabat.* Publica quidem paenitentia clericis in quibusdam ecclesiis non concedebatur primis saeculis, ut testatur Siricius in Ep. ad Him. n. 18; *M* 13, 1145: „Illud quoque nos par fuit providere, ut, sicut paenitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita et post paenitudinem et reconciliationem nulli umquam laico liceat honorem clericatus adipisci.“ Similiter S. Leo M. in Ep. 167 ad Rusticum Narbonensem (inquis. 2; *M* 54, 1203): „Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut, qui in presbyterali honore aut in diaconi gradu fuerint consecrati, pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant paenitendi, quod sine dubio ab apostolica traditione descendit. . . . Unde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.“ Ceterum in aliis ecclesiis clericos admissos fuisse ad publicam paenitentiam multis argumentis probat *Frank* (l. c. p. 468 sqq.). Hoc expresse statutum est in variis Synodis, ut in *Synodo Tolet.* XIII can. 10. Concilium Arausic. I can. 4 statuit: „Clericis petentibus paenitentiam non est deneganda.“ Privatam autem absolutionem iis non fuisse negatam inde constat, quod statuitur clericos pro gravibus criminibus deponendos, non vero communione privandos esse, ne bis idem crimen puniatur. Ita *can. apost.* 25. Concilium vero Eliberitanum can. 76 statuit: „Si quis diaconum se permiserit ordinari et postea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum acta legitima paenitentia post triennium accipere communionem; quodsi alius eum detexerit, post quinquennium acta paenitentia accipere communionem laicam debere.“ Pro aliis vero criminibus etiam communione privabantur, ut *ibid.* can. 18 (alia apud *Frank* l. c.).

57. d) In Gallia a potestate saeculari, ut videtur, mos crudelis introductus erat, capitis damnatis denegandi absolutionem, donec a. 1397 a Carolo VI abrogatus est (*Morinus* de Paenit. l. 10, c. 1). Quantopere haec consuetudo fuerit contra intentionem ecclesiae, multae Synodi testantur, ut *Synod. Moguntina* (a. 847) can. 27 (*Hefele*, *Conciliengesch.* IV, 128), *Wormatiensis* (a. 868) can. 80 (l. c. p. 372), *Triburiensis* (a. 895) can. 31 (l. c. p. 556), aliae. Ceterum sensus ecclesiae patet ex decretis supra citatis Concilii Nicaeni, Leonis, Coelestini (cf. *Decret. Clement.* l. 5, t. 9, c. 1, ubi ille abusus graviter vituperatur).

Prop. III. Potestas remittendi peccata per Sacramentum Paenitentiae est potestas iudicialis.

58. *Nota.* Cum hactenus ostensum sit ecclesiam habere potestatem omnia peccata post Baptismum commissa remittendi, ulterius quaeri potest, utrum haec remissio fieri debeat per modum doni mere gratuiti an per actum iudiciale.

Priore modo peccata remittuntur in Baptismo, in quo peccatori omnia peccata simpliciter condonantur, ut neque ullam de factis suis rationem reddere neque ullam pro male factis satisfactionem praestare debeat. Alio vero modo peccata remitti possunt ita, ut secundum ea, quae peccator fecit vel non fecit, sententia feratur, i. e. auctoritative aliquod ius ei asseratur vel aliqua obligatio ei imponatur. Haec est actio iudicialis; iudex enim est minister iustitiae et quidem iustitiae legalis, quatenus legem universaliter existentem alicui individuo applicat. Unde definiri potest: *Iudex est magistratus publica auctoritate instructus ad ferendam sententiam in causa reorum iuxta normam legis et merita hominis rei.* Iudicium vero, ut est actus iudicis, est sententia iudicis, qua reus post debitam accusationem et testificationem absolvitur aut condemnatur.

59. *Duplex igitur elementum est, quod ad potestatem et actum iudiciale requiritur:*

a) quod *iudex auctoritative sententiam dicere potest*, et per hoc iudex opponitur arbitro, qui per se nullam auctoritatem habet;

b) quod *sententiam ferre debet non secundum beneplacitum suum, sed secundum normam legis et pro merito hominis*, cuius causa agitur, et per hoc actus iudicialis distinguitur ab actu mere gratioso. Ut autem iudex munere suo fungi possit debito modo, ipsum iudicium praecedat necesse est iudicialis cognitio causae, ut legaliter constet, quid homo fecerit, quid non fecerit. Hic autem actus non est de ipsa essentia sententiae iudicialis, sed ad eius debitum exercitium ut condicio praerequiritur; immo ab aliis, quam ab ipso iudice fieri potest, ut saepe fit in iudiciis criminalibus, in quibus iurati declarant, utrum accusatus crimen commiserit necne, et dein secundum hanc declarationem iudex fert sententiam.

Ut igitur constet potestatem ecclesiae datam esse potestatem iudiciale, probandum est ecclesiam accepisse potestatem efficaciter ligandi et solvendi idque non pro libitis, sed secundum legem a Christo latam et secundum ea, quae peccator fecit vel non fecit.

60. *Thesis negatur ab omnibus Protestantibus*, qui saepe quidem concedunt, ecclesiam posse dimittere peccata, negant autem hoc debere fieri iudicialiter, cum ecclesia simpliciter et sine ulla iudiciali actione absolutionem omni petenti concedere debeat.

61. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

Verba, quibus Christus apostolis promisit et tradidit potestatem remittendi et retinendi peccata (Matth. 18, 18; Io. 20, 23), apostoli necessario intellegebant de potestate iudiciali sibi tradita.

Atqui Christus illis verbis eam potestatem apostolis tradidit, quam apostoli sibi tradi necessario intellegebant. Ergo Christus illis verbis tradidit apostolis potestatem iudicalem.

Cum minor huius argumenti sit evidens, quia Christus non poterat aliud suis verbis dicere velle, quam quod apostoli auditis verbis necessario intellegebant — sola maior argumenti est probanda.

62. *Prob. maior. a) Ex comparatione illorum verborum cum tota doctrina de regno Messianico.*

Christus Dominus in terram descendit, ut regnum aliquod conderet, quod regnum Messianicum a prophetis praedictum (e. g. Ps. 2) a Iudaeis summo desiderio expectabatur. Hoc regnum proxime appropinquare docebat Ioannes Baptista (Matth. 3, 2). Hoc regnum praedicans ipse Salvator iter faciebat per civitates et castella (Luc. 8, 1; 9, 11). Huius regni indolem multis parabolis illustrabat (Matth. 13). Maxime autem post resurrectionem suam de hoc regno unice fere instituebat apostolos (Act. 1, 3), ut mirum non sit nullam ex Christi doctrinis altius in eorum mentibus inhaesisse quam hanc regni Messianici ideam (Act. 1, 6). Iam vero apostoli intellegebant ad omne regnum bene institutum requiri etiam supremam gubernandi, leges ferendi, iudicandi potestatem, unde frequens illa disputatio, quis eorum altiore in hoc regno locum occupaturus esset (Matth. 18, 1; Marc. 9, 33; Luc. 9, 46), et petitio matris filiorum Zebedaei, „ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo“ (Matth. 20, 20). Quas quidem disputationes et petitiones Christus corripuit, at non ita, ut negaret se institutum esse in suo regno magistratus et iudices. Contra, verbis maxime perspicuis promisit apostolis se iis talem daturum esse auctoritatem, ut, quicumque eos non audiret, censendus esset ethnicus et publicanus, i. e. exclusus ab ecclesia (Matth. 18, 17), et ut, quaecumque solvissent in terra, soluta essent in caelis, et quae ligassent in terra, ligata essent in caelis (Matth. 18, 18). In hac autem suprema et universali ligandi solvendique potestate iudicialis quoque potestas includitur. Ergo hanc apostoli sibi promitti necessario intellegebant. Unde cum postea audirent verba illa: „Quorum remisistis peccata“ (Io. 20, 23), non poterant rationabiliter aliud cogitare nisi sibi iam dari partem istius potestatis, quam Christus antea promiserat. Et eos revera verba ita intellexisse constat ex eorum agendi et loquendi modo (cf. 1 Cor. 5, 1 sqq.; 2 Cor. 13, 10). Immo ipsa verba in se aliter non poterant rationabiliter intellegi.

63. *b) Ex ipsq tenore verborum.*

Imprimis enim *potestas illis verbis tradita est potestas auctoritative* (i. e. non ut meri arbitri et hominis privati) ligandi et solvendi eos, qui criminum contra legem Christi patratorum rei sint. Nam potestas clavium secundum scripturasticum loquendi usum est vera et suprema potestas legifera et iudicialis, ut ostenditur in Tractatu de ecclesia (n. 274). Ita etiam verba remittere vel retinere peccata non significant mere theoreticam sed practicam et auctoritativam declarationem, ut iam antea dictum est. Ergo prius elementum potestatis iudicialis, i. e. sententia auctoritativa causam finire posse, inest in ea potestate, quam Christus apostolis tradidit.

64. Porro autem *haec potestas non est pure gratiosa* sicut potestas baptizandi. Nam Christus non solum potestatem solvendi et remittendi, sed etiam potestatem ligandi et retinendi dedit. Unde *Concilium Tridentinum* sess. 14, c. 5 loquitur de „retentionis sententia“. Supposito enim peccatores lege Christi obligari ad confitenda peccata sua, effectus iuridicus denegatae remissionis in eo est, quod paenitens ex iure obligatus manet ad peccata sua iterum subicienda clavibus ecclesiae, et hoc non per iniuriam sed iuste vi potestatis iudicialis. Haec retinendi potestas considerari potest aut respectu culpae aut respectu poenae. Respectu culpae est mere negativa, quatenus minister Paenitentiae auctoritative declarare potest peccatorem aliquem non esse absolvendum; nam iudex quilibet, et a fortiori minister Christi, non facit reum, sed supponit. Respectu autem poenae est potestas positiva, quatenus minister huius Sacramenti statuere potest, quam poenam dare seu quam paenitentiam agere debeat homo pro peccatis suis; cui sententiae qui se non subicit, a peccatis liberari nequit. Hunc esse naturalem sensum verborum Christi facile intellegitur, quia Christus, cum daret potestatem aut solvendi aut ligandi, certe noluit, ut apostoli sine ulla ratione et pro arbitrio alios absolvent, alios non absolvent, aliis graves, aliis leves paenitentias imponent; sed voluit, ut hoc fieret pro merito eius, de quo ageretur. Ergo etiam alterum elementum potestatis iudicialis inest in potestate apostolis tradita, quod iudex debet sententiam ferre secundum leges regni et secundum merita hominis rei. Quod elementum tamquam condicionem praerequirat cognitionem criminum; unde haec quoque ad tribunal paenitentiae pertinet.

Ergo „potestas a Christo collata apostolis est potestas delegata a principe societatis, h. e. Deo; est potestas necessaria (i. e. cui homines rei se subtrahere non possunt), eaque instructi apostoli eorumque successores sententiam pro merito ferunt in causis violati iuris divini, vel absolutionis vel negatae absolutionis, qua reos vel ab obligatione solvunt, vel sub obligatione retinent atque poenae alicuius obligationem imponunt. Etsi autem Baptismo tollatur obligatio reatus culpae et poenae, tamen id fit ad modum (meri) beneficii, non per sententiam

latam; nec obligatio tollitur eo actu, qui sit actus potestatis, quae possit simul tollere et imponere obligationem; nec tollitur actu, qui sit actus potestatis remittendi peccata, sed sequitur ad actum, quo Sacramentum Regenerationis administratur" (Palmieri, De Paenit. p. 113).

65. *Arg. 2. Ex doctrina SS. Patrum.*

Inde a primis saeculis in ecclesia existebat *tribunal paenitentiale* cum suis iudicibus, testibus, legibus, poenis; et pro hoc instituto provocabant ad verba Domini Matth. 18, 18 et Io. 20, 23. Ita *Tertull.* (Apolog. c. 39; *M* 1, 468); *Const. apost.* (l. 2, c. 11 sq.; *M* 1, 611); *S. Ambros.* (De Paenit. l. 1, c. 2, n. 7; *M* 16, 468); *S. Hieron.* (Ep. 14, n. 8; *M* 22, 352); *S. August.* (De civ. Dei l. 20, c. 9; *M* 41, 672); *S. Greg. M.* (l. 2 Hom. 26 in evang., n. 9; *M* 26, 1199). Cf. *Frank*, Bussdisciplin l. 2. Ergo vetus ecclesia intellegebat illis verbis sibi traditam esse potestatem iudicalem. Praeterea SS. Patres hoc disertis verbis docent.

66. *S. Hilarius* (In Matth. c. 18, n. 8; *M* 9, 1021): „Ad terrorem autem metus maximi, quo in praesens omnes continerentur, immobile severitatis apostolicae iudicium praemisit, ut quos in terris ligaverint . . . et quos solverint . . . hi apostolicae conditione sententiae in caelis quoque aut soluti sint aut ligati.“

S. Ioan. Chrysost. (Hom. 5 de verb. Is. n. 1; *M* 56, 130 sq.): „Sacerdoti solum in caelis collocatum est et caelestia administrandi habet potestatem. Quis haec dicit? Ipse caelorum rex: „Quaecumque enim ligaveritis. . . .“ Quid cum hoc honore conferri potest? A terra iudicandi principalem auctoritatem sumit caelum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur servum, et quidquid hic in inferioribus iudicavit, hoc in supremis comprobatur.“

S. Hieronym. (Ep. 14 ad Heliod. n. 8; *M* 22, 352): „Absit, ut de his [sc. de clericis] quicquam sinistrum loquar, quia apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus, qui claves regni caelorum habentes quodammodo ante iudicii diem iudicant.“

Constitut. apost. (l. 2, c. 11; *M* 1, 614) de episcopo dicunt: „Potestatem habes iudicandi eos, qui peccarunt. Quoniam vobis episcopis dictum est: „Quodcumque ligaveritis. . . .“ Iudica igitur, episcope, potestate fretus tamquam Deus.“

Cf. *Chrysost.* De sacer. l. 3, n. 5; *M* 48, 643; *Ambros.*, In Ps. 38, 14, n. 37; *M* 14, 1057; *Greg. M.* Hom. 26 in evang.; *M* 76, 1197.

67. *Arg. 3. Ex Concil. Trident.* (sess. 14, c. 5).

„Dominus noster Iesus Christus, e terris ascensurus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tamquam praesides et iudices,

ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint; qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient“ (*Denzinger* l. c. 779).

Et can. 9: „S. q. d. absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicalem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti. . . . A. S.“ (*Denzinger* l. c. 797).

68. *Arg. 4. Confirmatio ex ratione theologica.*

„Conveniens fuit longe aliter remitti peccata ante Baptismum commissa, et quae post illum committuntur; nam illa priora remittuntur per modum regenerationis, et ideo prorsus delentur et magna facilitate. Item quia illa peccata committuntur ante illuminationem fidei et ideo ex parte habent aliquam excusationem, propter quam facilius venia de iis conceditur. At vero peccata commissa post Baptismum et fidei illuminationem, ex eo capite graviora sunt et medicinam postulant acerbiorum, ut ponderavit Paulus ad Hebr. 6 et 10, ac propterea remedium adversus haec peccata per modum iusti iudicii institui debuit. Quod etiam expediebat, ne hominibus christianis ex facilitate veniae peccandi occasio dari videretur. Potestas igitur ad remittenda haec peccata iudiciaria est. Et in hoc fundantur fere omnia, quae ad Sacramentum rite exercendum necessaria sunt“ (*Suarez*, De Paen. disp. 16, sect. 1, n. 11).

69. *Schol. De differentia iudicii paenitentialis a foro externo.*

Ecclesia, cum docet sacerdotes esse iudices a Christo constitutos, nihil aliud vult nisi eos habere potestatem ferendi efficacem sententiam et obligationem ferendi sententiam pro merito paenitentis, ut patet ex *Conc. Trid.* sess. 14, c. 5. Unde nulla in eo est difficultas, quod hoc iudicium sub aliis respectibus longe differt a iudicio fori externi, et maxime civilis. Christus enim Paenitentiam instituit in *favorem* hominum et ad *remittenda* peccatorum crimina, et consequenter proxime ad bonum privatum paenitentium; forum vero externum criminale instituitur maxime propter bonum publicum scilicet ad *vindicanda* crimina et ad puniendos reos, secundo ad liberandos innocentes. Ceterum ne sacerdos quidem debet absolvere nisi eum, qui pro peccato compensationem Deo exhibuit, et ita rectum ordinem aliquo modo restituit; sed quia delegatus Dei est, ea compensatione contentus esse debet, quae ipsi Deo sufficit. Hoc autem est proprium huius fori, quod per sententiam peccator fit iustus, id quod in nullo alio foro accidit, et sic haec potestas iudicialis est multo excellentior potestate iudicis humani. Contra damnare peccatorem ad poenas aeternas sacerdos non potest, tum quia actus peccati immediate sequitur determinatus reatus poenae, quem Deus ipse statuit, tum quia Poenitentia est Sacramentum, i. e. instrumentum gratiae, non vero damnationis.

Ergo multiplex quidem discrimen intercedit inter iudicem in foro humano et iudicem in foro sacramentali. Sed nulla inde contra thesin nostram difficultas oritur, quia ecclesia non docet existere perfectam aequalitatem inter utrumque iudicium, sed solum docet ministrum Paenitentiae esse iudicem, qui auctoritative ferat sententiam pro merito paenitentis.

SECTIO II.

DE MATERIA SACRAMENTI PAENITENTIAE.

ART. I.

SITNE MATERIA, EX QUA SACRAMENTUM PAENITENTIAE CONSTITUATUR.

Prop. IV. Actus paenitentis: contritio, confessio, satisfactio, recte dicuntur esse materia' ex qua Sacramenti Paenitentiae.

70. *Nota:* a) Considerata existentia Sacramenti Paenitentiae et essentia metaphysica, qua est Sacramentum iudicialis absolutionis, sua quasi sponte quaestio oritur, quae sit essentia physica huius Sacramenti. Ostendimus enim in Tractatu de Sacramentis in genere omnia Sacramenta Novae Legis physice perfici materia et forma. Unde idem valere debet de Sacramento Paenitentiae. Supponimus interim, quod postea per partes probabimus, ad Paenitentiam necessario requiri contritionem, confessionem, absolutionem, satisfactionem. Iam cum absolutio sit sine dubio id, quod huic Sacramento det ultimam determinationem, inter omnes convenit eam esse formam huius Sacramenti. Consequenter tria reliqua, quae ad Paenitentiam requiruntur, sunt materia, qua hoc Sacramentum perficitur. Et eatenus de hac re nulla est neque esse potest inter theologos disputatio. Etiam hoc omnes concedunt peccata paenitentis post Baptismum commissa posse vocari materiam remotam, quia sunt id, quod ante actus paenitentis et absolutionis tamquam obiectum horum actuum praesupponitur.

71. b) Sed imprimis patet nullam esse materiam remotam, ex qua hoc Sacramentum constituatur; nam materia remota ex qua est illa res, quam Christus instituit ut signum sanctificativum. Atqui peccata non sunt instituta ut signum sanctificativum, quamvis hoc aliquo modo doceat *Card. de Lugo* (De Paen. disp. 12, sect. 2, n. 37). Ergo... Ratio autem, cur hoc Sacramentum et etiam Sacramentum Matrimonii non habeant materiam remotam ex qua, haec est, quod signum sacramentale totum quantum absolvitur actionibus; actiones autem non indigent speciali applicatione, qualis requiritur in materia proprie dicta,

ut est aqua et oleum; et sub hoc respectu Paenitentia habet maiorem similitudinem cum Sacramento Matrimonii quam cum aliis Sacramentis (cf. *S. Thomas* 3, q. 14, a. 1).

72. c) Porro quod materiam proximam attinet, acerrima disputatio est inter theologos, utrum actus paenitentis sint materia ex qua huius Sacramenti necne.

Scotus docet: „De Paenitentiae Sacramento dico, quod ista tria [contritio, confessio, satisfactio] nullo modo sunt partes eius, quia, ut dictum est disp. 14, q. 4, Paenitentiae Sacramentum est illa absolutio facta certis verbis. Huius autem nulla pars est contritio... neque confessio... neque satisfactio... Haec tamen tria ad Sacramentum Paenitentiae ad hoc, ut digne recipiatur, requiruntur vel praevia vel sequentia...“ (In 4, d. 16, q. 1, n. 7).

Magistrum suum sequuntur Scotistae, ut *Bosco* (De Paen. disp. 7, sect. 2, concl. 3, n. 69) et multi alii, quos vide apud *Gury-Ballerini* t. 2, n. 414 in nota.

S. Thomas docet: „Materia proxima huius Sacramenti sunt actus paenitentis“ (3, q. 84, a. 2; cf. a. 1 et a. 3).

Idem docent Thomistae, ut *Gonet* (De Paen. disp. 1, a. 3), ex Societate Iesu *Bellarmino*. (De Paen. l. 1, c. 15), *Toletus* (In 3, q. 84, a. 1, concl. 3), *Suarez* (De Paen. disp. 18, sect. 2, n. 2), *Vasquez* (In 3, q. 84, a. 1, dub. 2, n. 6), *de Lugo* (De Paen. disp. 12, sect. 2, n. 12). Et haec est nunc longe communissima sententia theologorum¹.

¹ Negat quidem *Ballerini* (Opus theologicum morale V, 7) *S. Thomam* esse ex numero eorum, qui doceant actus paenitentis esse partes constitutivas Sacramenti Paenitentiae. Sed errat. *S. Thomas* sibi hanc obiectionem proponit: „Videtur, quod Paenitentia non sit Sacramentum... quia non adhibentur aliquae corporales res, sub quibus divina virtus operetur salutem...“ Respondet ita: „Nomine corporalium rerum intelleguntur large etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in hoc Sacramento, sicut aqua in Baptismo vel chrisma in Confirmatione... Si qui actus humani sunt in talibus Sacramentis [Baptismo, Confirmatione], non sunt de essentia Sacramentorum, sed dispositive se habent ad Sacramenta. In illis autem Sacramentis, quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles sunt loco materiae, ut accidit in Paenitentia et Matrimonio“ (3, q. 84, a. 1 ad 1). „Actus paenitentis materialiter quoddammodo se habent in hoc Sacramento, non autem in Baptismo et Confirmatione“ (ibid. a. 3 ad 1). „Quartum Sacramentum est Paenitentia, cuius quasi materia sunt actus paenitentis, qui dicuntur tres Paenitentiae partes“ (De artic. fidei et ecl. Sacramentis [editio Vivès] XXVII, 180). In ipso Commentario in Sententias, ad quem provocat *Ballerini*, *S. Thomas* discrete docet actus paenitentis esse de essentia vel de substantia Sacramenti (In 4, d. 17, q. 3, a. 3, quaestiunc. 2 ad 1, et quaestiunc. 4 in corp.). Quod autem ibidem indicat in hoc Sacramento paenitentium exteriorem non habere virtutem sanctificandi (4, d. 22, q. 2, a. 1, quaestiunc. 1 ad 2), hoc ipse ita explicat, ut actus paenitentis non habeant causalitatem sacramentalem, ut sunt actus virtutis, sed paenitentia exterior „est Sacramentum ut signum et causa simul, si coniungatur actus paenitentis cum actu ministri“ (l. c. quaestiunc. 2). In Summa vero agens de quaestione, „utrum peccata sint propria materia huius Sacramenti“, hanc obiectionem movet: „Videtur, quod

73. d) Cum igitur inter Catholicos constet tres actus paenitentis ad hoc Sacramentum requiri, potest primo fieri *quaestio nominis*, num scilicet hi actus aliquo vero sensu dici possint vel debeant materia Sacramenti Paenitentiae. De hac autem re post *Conc. Trid.* non potest esse dubium, quia Concilium docet hos actus esse partes et quasi materiam huius Sacramenti (sess. 14; c. 3; *Denzinger* l. c. 776). Ergo saltem Scoti loquendi modus est corrigendus, neque amplius dicendum est actus paenitentis nullo modo esse partes Sacramenti.

74. e) Porro autem altera *quaestio est de re*, utrum scilicet etiam actus paenitentis an sola absolutio sacerdotalis sint a Christo instituta ut *signum efficax gratiae*. Qui enim negant actus paenitentis causare ex opere operato gratiam, quamvis fortasse dicant illos actus materiam et partes Sacramenti Paenitentiae, re tamen cum Scoto consentiunt.

Illi autem, qui contra Scotum affirmant contritionem, confessionem, satisfactionem esse vero et proprio sensu materiam Sacramenti, nihilominus non omnibus his actibus eandem causalitatem ascribunt. Nam contritio per se est aliquid internum et eatenus tantum fit signum sensibile, quatenus confessione exprimitur. Itaque sola confessio *per se* est materia Sacramenti, quia sola per se est sensibilis, et sic fortasse rem intellexit *Durandus*, qui dicit solam confessionem esse materiam Sacramenti, contritionem vero esse dispositionem, et satisfactionem esse fructum Sacramenti (In 4, disp. 16, q. 1). E converso autem confessio, in quantum est mere historica narratio factorum, non est signum gratiae, sed tale signum est, in quantum fit in ordine ad recipiendam absolutionem; ut autem fiat hoc modo, debet esse accusatio dolorosa seu debet includere contritionem. Satisfactio autem, in quantum essentialiter ad Sacramentum requiritur, non est satisfactio actu praestita, haec enim ad integritatem tantum pertinet, sed voluntas accipiendi satisfactionem, quam confessarius debito modo praescripserit, quae voluntas ipsa est satisfactio quaedam.

f) Ceterum bene notandum est *secundum quem respectum actus paenitentis sint pars materialis Sacramenti*. Possunt enim considerari dupliciter: a) ut sunt actus supernaturaliter meritorii sive de condigno sive de congruo, et sic non sunt materia Sacramenti, quia Sacramenta gratiam non conferunt ex opere operantis, sed ex opere operato;

peccata non sint propria materia huius Sacramenti. Materia enim in aliis Sacramentis per aliqua verba prolata sanctificatur, et sanctificata effectum Sacramenti operatur. Peccata autem non possunt sanctificari. *Respondet*: „Duplex est materia, scilicet proxima et remota. . . . Dictum est autem, quod materia proxima huius Sacramenti sunt actus paenitentis. . . . Ergo dicendum, quod ratio illa procedit de proxima materia Sacramenti“ (3, q. 84, a. 2). — Hic igitur S. Thomas docet actus paenitentis per formam Sacramenti sanctificari, et sanctificatos effectum Sacramenti operari.

β) ut sunt a Christo Domino instituti, ut simul cum absolutione sint signum movens Deum ad dandam gratiam, et sic praeter et ultra omne meritum paenitentis gratiam producant. Hoc igitur altero sensu sunt pars Sacramenti, illo vero priori sensu non sunt materia Paenitentiae, sed dispositio quaedam ad gratiam recipiendam.

His igitur suppositis melius dicendum videtur actus paenitentis esse vere et proprie materiam Sacramenti Paenitentiae.

75. *Arg. 1.* Secundum constantem ecclesiae doctrinam omnia Sacramenta perficiuntur materia et forma. Atqui materia et forma per se significant partes constituentes, et hoc sensu haec vocabula omnibus concedentibus in plerisque Sacramentis intelleguntur. Ergo idem dicendum est de Sacramento Paenitentiae, nisi solido argumento ostendatur, cur hic exceptio statuenda sit.

76. *Arg. 2.* Eugenius IV docet: „Quartum Sacramentum est Paenitentia, cuius quasi materia sunt actus paenitentis“ (*Denzinger* l. c. 594); *Conc. Trid.* sess. 14, c. 3: „Sunt quasi materia huius Sacramenti ipsius paenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui, quatenus in paenitente ad integritatem Sacramenti ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Paenitentiae partes dicuntur“ (*Denzinger* l. c. 776).

Hisce igitur declaratur actus paenitentis ita esse quasi materiam Paenitentiae, ut sint partes eius. Atqui si essent mera condicio praevia et hoc sensu vocarentur quasi materia, non essent partes, ut ipse Scotus expresse docet; nam condicio non est pars rei. Dicuntur autem quasi materia, quia non sunt res substantialis sicut aqua aut oleum. Quae explicatio fulcitur auctoritate Catechismi Rom.: „Neque vero hi actus quasi materia a Sancta Synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habeant, sed quia eius generis materia non sunt, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo et chrisma in Confirmatione“ (P. 2, c. 5, n. 13). Ille enim terminus „quasi materia“ desumptus est ex opusculo *S. Thomae* De articulis fidei et ecclesiae Sacramentis (edit. Vivès XXVII, 180). Ergo eo sensu explicandus est, quo ipse S. Thomas explicavit, quae est explicatio Catechismi Romani (S. th. 3, q. 84, a. 1 ad 1 et a. 2 et a. 4 ad 3). Dicit autem Concilium haec omnia „ad integritatem Sacramenti“ requiri, quatenus, si vel sola satisfactio actu praestita desit, Sacramentum manet imperfectum, licet absolute, ut Sacramentum existat, sola contritio et confessio et voluntas satisfactionis requiratur. Ita *Cat. Rom.* l. c. n. 22.

Porro si actus paenitentis dicerentur quasi materia, eo quod non essent vera materia, etiam *absolutio dicenda esset quasi forma*, quia in rebus sensibilibus forma, cui non respondet materia, non est vera forma. Atqui absolutio semper simpliciter forma, numquam quasi forma dicitur.

77. Ceterum alibi nominatur materia Paenitentiae sine addito „quasi“, ut in Conc. Trid. sess. 14, c. 2: „Hoc Sacramentum multis rationibus a Baptismo differre cognoscitur, nam, praeterquam quod materia et forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet . . .“ (Denzinger l. c. 775). In Rituali Rom.: „Cum ad illud Sacramentum [Paenitentiae] constituendum tria concurrant: materia, forma et minister, illius quidem remota materia sunt peccata, proxima vero sunt actus paenitentis, nempe contritio, confessio, satisfactio“ (De Sac. Paen. c. 1, n. 1). Ad quae verba notandum est actus paenitentis aut dici materiam circa quam, sicut peccata, aut materiam ex qua. Atqui non dicuntur materia, circa quam absolutio versatur, quia paenitens non absolvitur a contritione et confessione. Ergo dicuntur materia ex qua¹.

78. *Arg. 3.* Illa est pars constituens Sacramenti, in qua efficacia ad producendam gratiam Sacramenti inest. Atqui haec efficacia est in actibus quoque paenitentis. Ergo.

Prob. min. Conc. Trid. sess. 14, can. 3 haec habet: „Docet S. Synodus Sacramenti Paenitentiae formam, in qua praecipue vis eius sita est, in illis verbis positam esse . . .“ (Denzinger l. c. 776). Ergo vis Sacramenti etiam in alia re sita est, non in sola forma. Atqui non potest esse vis Sacramenti nisi aut in forma aut in materia. Ergo hoc Sacramentum habet materiam, in qua etiam efficacia eius sita est; quae materia nihil aliud esse potest nisi actus paenitentis.

79. *Arg. 4.* Paenitentia a Christo instituta est ad modum iudicii. Atqui iudicium intrinsecus consistit non in sola sententia iudicis sed etiam in actibus accusatoris et testium. Ergo etiam confessio, qualem Christus praescripsit, pertinet ad internam constitutionem Sacramenti Paenitentiae. Sententia autem iudicis recte considerari potest tamquam forma, qua accusationes et probationes ut materia informantur. Est autem notandum cognitionem iudicalem nequaquam idem esse

¹ Ait Ballerini (Opus mor. V, 5): „Si Patres Tridentini statuere voluissent illas partes ad essentiam Sacramenti pertinere, num adeo idiotae erant, ut non scriberent: *ad essentiam*, sed inscite dicerent: *ad integritatem*. Ignorabantne duo haec infinito intervallo distare? Sed merito notam hanc addit Palmieri (l. c. p. 6): „Nimis forte urgetur haec formula: *pertinere ad integritatem Sacramenti*. Nam etsi videatur difficultatem creare illi sententiae, quae vult eas [contritionem scl. et confessionem] essentielles esse Sacramento: non minus certo immo maius negotium facessit alteri sententiae. Etenim in hac sententia hi actus sunt tandem dispositiones subiecti requisitae; atqui inauditum est in theologia dispositiones suscipientis Sacramentum dici pertinere ad integritatem eius: quando e contrario nihil prohibet id ipsum de partibus essentialibus affirmare; nam vere e. g. et recte dicitur corpus pertinere ad integritatem hominis. Ceterum partes integrantes (quamvis Trid. Synod. hac praecisa formula non utatur) sunt partes non extrinsecae sed intrinsecae toti et eiusdem constitutivae, ut in corpore brachia, crura etc.“

atque quamlibet notitiam causae, quam iudex habet. Cognitio enim iudicialis ea sola est, quam iudex ex accusatione et testium responsionibus haurit. Sin iudex vellet sententiam ferre sine accusatore et testibus, iudicium semper et ubique esset invalidum. Iudicium autem sacramentale hoc peculiare habet, quod ex natura rei accusator et testis non potest esse alius nisi ipse paenitens. Unde ipsius paenitentis confessio est pars essentialis iudicii sacramentalis.

80. *Obiectiones* contra hanc sententiam praecipue sunt hae:

1. Solus sacerdos est minister Sacramenti. Atqui si confessio dolorosa esset materia, etiam paenitens esset minister Sacramenti. Ergo confessio dolorosa non est materia.

Resp. Conc. mai.; nego min. et cons. Neque enim, quicumque aliquid confert ad conficiendum Sacramentum, est minister eius, sed solus is, qui vel materiam et formam simul ponit, ut in Baptismo, vel qui formam materiae applicat et ita hanc quoque ad dignitatem Sacramenti elevat, ut fit in Eucharistia. Ita in suppositione, quod tactus physicus instrumentorum pertineret ad materiam Ordinis, nemo tamen diceret tangentem se ipsum ordinare. Sicut etiam in alia conditione rerum non ille, qui materiam attulit, dicitur fecisse statuum, sed qui formam superinduxit materiae. Similiter igitur solus sacerdos absolvit (cf. *de Lugo*, De Paen. disp. 12, sect. 2, n. 29 sqq.). Aliud responsum est apud *S. Thomam* 3, q. 84, a. 1 ad 2.

2. Id est Sacramentum Paenitentiae, quod est signum iudicialis remissionis peccatorum. Atqui sola absolutio est tale signum. Ergo sola absolutio est Sacramentum Paenitentiae.

Resp. Conc. mai.; nego min. et cons. Nam etiam ipsa confessio dolorosa a Christo instituta est signum remissionis peccatorum. Immo in omni iudicio tota vis non est a sola sententia iudicis, sed pendet etiam a probationibus allatis.

Reliquae obiectiones ex iis, quae dicta sunt, facile solvuntur.

81. *Schol. 1.* De manus impositione in Sacramento Paenitentiae.

Sacramentum Paenitentiae interdum vocatur apud Patres latinos „manus impositio“, quia haec in administratione huius Sacramenti adhibebatur. Attamen hanc caerimoniam non esse partem essentialem Sacramenti inde patet, quod iam diu in desuetudinem abiit. Neque SS. Patres eam necessariam putabant. Erat eorum aetate triplex manus impositio circa paenitentes in usu: prima, quacum probabiliter iungebatur absolutio sacramentalis, dabatur, quando paenitens recipiebatur in numerum paenitentium; altera, quae nullo modo erat absolutio, sed toties repetebatur, quoties paenitentes ante missam fidelium ex ecclesia dimittebantur; tertia, quando paenitentes cum ecclesia publice reconciliabantur. Nullam ex his manuum impositionibus essentialem habitam fuisse eo ostenditur, quod ab iis immunes erant paeni-

tentes presbyteri et diaconi, licet ad sacram Communionem admitterentur. Similiter morientes paenitentes Communionem accipiebant sine tertia illa impositione manuum, et propterea, si reconvalescebant, rursus debebant inter paenitentes stare, ut constat ex *Conc. Araus.* I can. 3 et ex (vulgato) *Conc. Carthag.* IV, can. 78. Ergo manus impositio non considerabatur necessaria ad accipiendam absolutionem (cf. *S. Thomas* 3, q. 84, a. 4).

82. Schol. 2. De absolutione moribundorum.

Cum quaestione de materia Paenitentiae altera quaestio cohaeret, num absolvi possint moribundi sensibus destituti, qui nullum signum confessionis dederunt. Nulla difficultas est, quando moribundus expressit desiderium faciendi confessionem; quia talis expressio est confessio satis formalis et pro circumstantiis prorsus sufficiens. Sed difficultas oritur, quando moribundus nullum tale desiderium expressit. Si enim confessio sensibilis est de essentia Sacramenti, ibi non potest esse Sacramentum, ubi non est confessio sensibilis; si vero confessio requiritur solum ut condicio praevia, Sacramentum existere posse videtur sine sensibili confessione, dummodo obiective aliqua confessio adsit. Ita saltem quidam putare videntur.

83. Olim *sententia negans* posse umquam dari absolutionem sine aliqua confessione sensibili praevia, fuit communior. Card. de Lugo, postquam (De Paen. disp. 17, sect. 3) quattuor scriptores pro sententia affirmativa attulit, ita (n. 39) pergit: „Merito alii omnes pro certo supponunt non posse conferri absolutionem sacerdotalem, nisi ex parte paenitentis praecedat saltem petitio seu desiderium confitendi.“ Pro qua opinione de Lugo citat *Suarez* (Disp. 23, sect. 1, n. 13), *Vasquez* (Q. 91, a. 2, d. 1, n. 1), *Coninck* (Disp. 5, n. 28 et disp. 7, dub. 10, n. 96), *Layman* (lib. 5, tr. 6, c. 22, n. 4) etc. Alii etiam citantur apud *S. Alphonsum* (l. 6, n. 482, dub. 2), qui addit: „Ratio [huius sententiae] brevis sed valdeurgens est, quia tunc deest materia Sacramenti, quae debet esse sensibilis.“ Praeterea vero de Lugo et alii notant in omnibus statutis ecclesiasticis absolutionem moribundi semper alligari huic conditioni, si voluntatem confitendi aliquo modo manifestaverit. Ita e. g. *Rituale Rom.* de Paen. c. 1, n. 24. Ergo, si nullum signum huius voluntatis dederit, non est absolvendus.

84. Nihilominus iam *Lacroix* (De confess. n. 1162) verba *Moya* affert dicentis oppositam sententiam sua aetate esse communem; et secundum *S. Alphonsum* „sententia communior affirmat posse et debere absolvi“ (l. c. et 483). Sed etiam ii, qui defendunt hanc affirmativam sententiam, vocant eam probabilem tantum et docent absolutionem dandam esse sub conditione. Licet enim supponamus confessionem dolorosam requiri solum ut condicionem sine qua non, tamen, ubi talis

condicio deest, Paenitentiae Sacramentum non magis existere potest, quam si desit pars aliqua essentialis. Propterea etiam Scotistae aliquam probabilem explicationem excogitare debent, quomodo in casu proposito aliqua sensibilis confessio adsit, sine qua character iudicialis Paenitentiae non servatur (cf. *Bosco*, Disp. 7, sect. 9, concl. 6). Non igitur apparet, cur, ut quidam aiunt (*Gury-Ballerini* II, n. 506, nota), quoad praxim sententia Scotistarum melioris condicionis sit quam opposita; nam ipsi Scotistae concedunt Sacramentum Paenitentiae necessario administrandum esse per modum iudicii, et iudicium concipi non posse sine accusatione aliqua.

85. Ergo omnes et Scotistae et alii ad has vel similes *explicationes* recurrerunt. Supponunt duo principia certa:

a) in casu extremae necessitatis omnia remedia, etiam tenuiter probabilia, posse et debere tentari;

b) ergo in tali casu licere uti materia dubia ad administranda Sacramenta saltem necessaria, si materia certa haberi nequeat. Atqui materia dubia pro Paenitentia in casu proposito semper adesse videtur.

Nam, inquiunt, 1. homo, qui catholice vixit et Sacramenta frequentavit, eo ipso manifestavit se velle etiam tempore mortis a sacerdote cum Deo reconciliari. Sed haec est aliqua generalis confessio coram tota ecclesia et etiam sacerdotibus facta (cf. *Benedict. XIV.* de Synod. l. 7, c. 15, n. 9).

Immo hoc videtur valere de omni homine, qui, licet non adeo pie vixerit, tamen numquam ab ecclesia recessit; nam hoc modo ostendit se cupere saltem hora mortis per ecclesiam cum Deo reconciliari. Supponitur autem hominem, antequam sensibus destitueretur, elicuisse actum supernaturalis attritionis, quia sine attritione nullum Sacramentum fructuose suscipi potest a peccatore. Patet hanc explicationem adhiberi vix posse ad hominem et acatholicum et impium; si autem fuit acatholicus quidem, sed cum bona fide studuit tamquam pius christianus vivere, similis praesumptio habetur atque de Catholico.

86. 2. Alii recurrunt ad gemitus et varios motus hominis moribundi, quibus dicunt eum forte velle desiderium confessionis manifestare. Quae explicatio, licet sit tenuiter tantum probabilis, tamen in extremis non est spernenda, praesertim cum liceat in his rebus sequi *S. Alphonsum*, qui l. c. hanc explicationem suam facit.

Semper autem manet verum in casu, in quo nullo signo perceptibili homo sensibus destitutus desiderium confessionis manifestaverit, valorem Sacramenti esse valde dubium, ideoque longe securius remedium Extremae Unctionis numquam omittendum esse, ubi applicari potest.

ART. II.

DE DETESTATIONE PECCATORUM.

§ 1.

DE VIRTUTE PAENITENTIAE.

Prop. V. Paenitentia est vera virtus nec generalis tantum, sed etiam specialis, ab omnibus aliis virtutibus distincta.

87. *Nota.* Cum inter actus, qui materiam Sacramenti Paenitentiae constituunt, primus sit actus contritionis, de eo proxime agendum est. Sed quia hic est actus virtutis paenitentiae, solent theologi hoc loco quaedam de virtute paenitentiae praemittere. Posset quidem de hac re agi in tractatu de virtutibus; sed quia paenitentia formalissime sumpta non est virtus, quae per se nequitur cum aliis virtutibus sed per accidens tantum, scilicet suppositis peccatis, quae per paenitentiam reparanda sunt, propterea hic, ubi de reparatione peccatorum agitur, apte quoque paenitentia tractatur.

Quid paenitentia secundum usum biblicum et ecclesiasticum significet, iam ab initio Tractatus dictum est (n. 2). Constat igitur paenitentiam esse detestationem et dolorem de peccatis commissis, in quantum sunt offensa Dei et nos privant Dei amicitia. Neque enim hic agimus de paenitentia vel mala vel mere naturali, sed de paenitentia bona et salutari.

88. Lutherus erravit docens paenitentiam esse solam novam vitam, non vero detestationem peccatorum. „In usu Scripturae Sacrae paenitentia non dicitur dolor, sed mutatio mentis et consilii“, inquit in Sermone de paenitentia (1518), in quo etiam hanc propositionem statuit: „Verissimum est proverbium et omnium doctrina de contritionibus hucusque data praestantius: de cetero non facere summa paenitentia, optima paenitentia nova vita“, quae propositio damnata est a Leone X. in Bulla „Exsurge Domine“ art. 7 (Denzinger I. c. 631).

89. Conc. Trid. sess. 14, c. 4 definivit: „Contritio, quae primum locum inter dictos paenitentis actus habet, animi dolor est ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero“ (Denzinger I. c. 777, cf. can. 13; Denzinger I. c. 800).

Thesis nostra habet duas partes; dicimus enim:

- a) paenitentiam, i. e. detestationem peccatorum, esse veram virtutem, seu paenitentiam agere esse actum virtuosum ponere;
- b) paenitentiam esse specialem virtutem, ab aliis virtutibus distinctam. Interim tamen abstrahimus a distinctione inter habitum huius virtutis et actum huius virtutis; cum sola differentia huius virtutis ab aliis virtutibus in quaestionem veniat.

Pars I. Paenitentia est vera virtus.90. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Secundum Sacram Scripturam actus paenitentiae a Deo lege praescribuntur. Atqui Deus non praescribit lege nisi actus virtutum. Ergo paenitentia est virtus.

Maiores argumenti constat ex multis locis S. Scripturae: „Convertimini et agite paenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris“ (Ez. 18, 30; cf. Matth. 3, 2; 4, 17; Luc. 13, 3 etc.).

Minores non indiget probatione, quia omnis legislator intendit facere cives virtuosos, et Deus quidem vult facere homines supernaturaliter virtuosos.

91. *Arg. 2.* Ex natura rei.

Ita argumentum formatur a S. Thoma: „Paenitere est de aliquo prius a se facto dolere. . . . Dolor [autem] vel tristitia dupliciter dicitur: uno modo secundum quod est passio quaedam appetitus sensitivi, et quantum ad hoc paenitentia non est virtus sed passio; alio modo secundum quod consistit in voluntate, et hoc modo est cum quadam electione; quae quidem si sit recta, necesse est, quod sit actus virtutis. Dicitur enim, quod virtus est habitus electivus secundum rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam, ut aliquis doleat, de quo dolendum est; quod quidem observatur in paenitentia, de qua nunc loquimur; nam paenitentia assumit moderatum dolorem de peccatis praeteritis cum intentione removendi ea. Unde manifestum est, quod paenitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus vel actus virtutis“ (3, q. 85, a. 1).

92. In qua expositione omnia, quae de hac re dicenda sunt, continentur; sed nonnulla explicatione indigent, ut rite intellegantur.

Paenitentia dicitur consistere in eo, quod quis *assumit* moderatum dolorem, quia paenitentia est in voluntate, quae libere vult dolere de peccato, non vero est in involuntariis motibus sensitivis. *Moderatus* debet esse dolor, quia virtus stat in medio, et sic paenitens aequae abesse debet ab exultatione et a desperatione de peccato commisso. *Dolor* hic nihil aliud intellegitur nisi ipsa detestatio et displicentia peccati (quamvis secundum strictiorem acceptationem dolor sit potius necessaria consequentia detestationis peccati, ut recte docet Suarez, Disp. 3, sect. 4, n. 3), quam detestationem solemus exprimere his verbis: „Vellem non peccasse.“ Horum autem verborum sensus non est expressio merae velleitatis circa rem impossibilem, quasi velimus efficere, ut id, quod factum est, non sit factum, sed est efficax expulsio omnis affectus ad peccatum, ita ut homo non iam velit id, quod antea voluit, sed contrarium, et sic vellet non peccasse, si esset possibile; quae voluntas si perfecta est, ex Dei acceptatione habet

valorem delendi peccati, acsi peccatum numquam fuisset; si vero imperfecta est, ad hoc disponit. Ergo per actum paenitentiae *physice* mutatur dispositio voluntatis, *moraliter* vero destruitur ipsum peccatum factum secundum reatum culpae et poenae. Ex una enim parte homo gratia adiutus actibus paenitentiae sive elicitis sive imperatis, quantum in se est, recompensat iniuriam Deo illatam, et ex altera parte divina misericordia hanc recompensationem accipit et removet reatum culpae et poenae. Hoc est, quod vocat S. Thomas „removere peccata“, qui est finis paenitentiae (cf. 3, q. 85, a. 1 ad 3. — Suarez, Disp. 3, sect. 2, n. 6 sqq. et sect. 3; De Lugo, Disp. 4, sect. 2).

Pars II. Paenitentia est virtus specialis.

93. Olim quidem nonnulli theologi, ut *Altisiodorensis* et *Franciscus Maironis*, docebant paenitentiam esse virtutem generalem seu complecti omnes virtutes, quatenus paenitentes ob motivum formale cuiuslibet virtutis peccata virtuti opposita detestantur. Negant igitur hi theologi esse aliquam virtutem, quae per se solam possit detestari quaelibet peccata. Alii putabant paenitentiam esse virtutem caritatis, quatenus homo ob amorem Dei dolet de offensa Dei. Ita *Durandus*, 4, d. 14, q. 2. Alii, ut *Caietanus*, volebant actum paenitentiae procedere simul a virtutibus caritatis, religionis, iustitiae vindicativae. Ex caritate peccatum displicet, ex religione peccator culpam confitendo se Deo submittit, ex iustitia vindicativa satisfactionem praestat.

94. Concedimus quidem ipsum actum paenitentiae formalis, i. e. detestationem peccati, in quantum est offensa Dei, imperari posse a multis virtutibus. Sunt enim quaedam *virtutes universales* respicientes ipsum Deum sive ut obiectum formale sive ut terminum, quibus quodvis peccatum opponitur, ut caritas, spes, timor Dei, religio, oboedientia, gratitudo. Quae virtutes eo ipso, quod bonum suum prosequuntur, aversantur malum oppositum et consequenter imperare possunt actum, qui ad tollendum hoc malum natura sua comparatus est. Immo si spem et timorem excipias, detestatio peccati etiam actus *elicitus* harum virtutum esse potest, quia peccatum his virtutibus formaliter opponitur. Nam amare bonum divinum et odisse, quae huic bono aversantur, actus eiusdem caritatis sunt; et sic de ceteris virtutibus. Spes autem excipienda est, quia nostrae beatitudini non formaliter opponitur peccatum sed damnatio; peccatum autem causaliter. Detestatio autem rei, quae est causa illius, quod virtus fugit, actus *imperatus* tantum huius virtutis esse potest. Idem patet de timore poenarum.

Virtutes autem particulares, i. e. quarum obiectum formale et terminus est aliquod bonum creatum, ex suo motivo non possunt determinare paenitentiam, quia peccatum sibi oppositum non considerant ut offensam Dei, sed ut difforme a ratione. Ita temperantia ex suo motivo odit intemperantiam, non quatenus Deum offendit, sed qua-

tenus est contra exigentiam naturae. Cum igitur ad salutarem paenitentiam necesse sit, ut peccatum consideretur ut offensa Dei, intemperantiae quemquam salutariter paenitere nequit ex solo motivo temperantiae, sed aliud motivum requiritur.

Quamvis igitur concedamus actum paenitentiae formalis determinari posse motivis variarum virtutum, quae virtutes in hoc casu dici possunt paenitentia generaliter sumpta (cf. *Suarez*, Disp. 2, sect. 3, n. 2), contendimus nihilominus esse etiam specialem virtutem paenitentiae.

95. *Arg.* Paenitentia est virtus specialis, si a) existit aliqua virtus, quae ex motivo universali quaelibet peccata detestari possit, et si b) motivum formale huius detestationis existit, quod non est motivum formale alius virtutis. Atqui utrumque obtinet.

Prob. min. a) Experientia constat nos posse uno actu concipere dolorem omnium peccatorum licet specie diversorum. Atqui uno actu virtutes specie diversae, e. g. gratitudinis et spei, ob suum motivum speciale exerceri nequeunt. Ergo existit una aliqua virtus, quae motivo universali quaelibet peccata detestatur.

Item omnia peccata, licet diversissima, in hoc conveniunt, quod sunt contra Deum, privant bonis supernaturalibus, inducunt reatum poenae. Ergo voluntas sub tali communi ratione omnia peccata detestari potest neque necessario de singulis peccatis per motivum virtutis oppositae paenitere debet.

b) Existit *motivum formale* paenitentiae, quod nulli alii virtuti proprium est. Quod breviter S. Thomas ita probat: „Ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem, quod in paenitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati praeteriti, in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere, quod paenitentia est specialis virtus“ (3, q. 85, a. 2).

96. Detestari peccatum, non solum *quatenus* offensa Dei est, sed *quia* offensa Dei est, et velle expiare iniuriam per peccatum Deo illatam et ita, quantum ex nostra parte est, remove et destruere peccatum, est utique res in se honesta et laudabilis. Haec autem honestas praecise propter se et ratione sui appeti potest. Neque vero haec honestas est obiectum formale alius virtutis; consequenter est obiectum formale specialis virtutis paenitentiae. Nam *nulla alia virtus habet pro obiecto formali emendabilitatem peccati*, quam paenitentia intendit. Non virtutes theologicae, quarum obiectum formale est Deus; non virtutes morales particulares temperantiae et fortitudinis, ut iam dictum est; non prudentia, cuius obiectum formale est aptitudo mediorum ad finem. Ergo sola iustitia remanet, ad quam revera paenitentia proxime accedit; vult enim paenitens expiare in-

inuriam Deo factam. Atqui iniuriam reparare iustitiae est, quia iustitia versatur circa ea, quae alteri debentur. Deo autem per peccatum offenso debetur reparatio. Sed paenitentia deficit a perfecta ratione iustitiae. Iustitia enim est inter aequales et servat aequalitatem. Iamvero peccator non est Deo aequalis neque potest Deo aliquid aequale reddere pro iniuria peccati, tum quia omnia, quae habet, iam Deo debentur, tum quia nullus actus humanus est ex se sufficiens ad peccatum reparandum, sed a misericordia Dei propter Christi merita tanquam sufficiens accipitur. Virtus autem, quae cum alia virtute principali convenit quidem in uno essentiali, sed simul in alio essentiali deficit, dicitur pars potestativa seu annexa huius virtutis (*S. Thomas* 2, 2, q. 80, a. 1).

Ergo paenitentia est virtus annexa iustitiae et amorem iustitiae necessario supponit simulque ex iustitia necessario oritur, si peccatum factum est.

97. *Formalissime igitur ille actum elicitum paenitentiae ponit, qui vult dolere de peccatis suis, quia hoc dolore iniuriam Deo factam reparat.* Neque putandum est hunc esse actum caritatis; nam possum velle reparare iniuriam alii illatam, licet nequaquam velim cum eo amorem amicitiae inire, quae est caritas. Hinc quamvis caritas possit formaliter detestari peccatum, non potest tamen ex suo motivo formali detestari peccatum ad hoc, ut compensationem praestet pro peccato commisso, sed hoc est virtutis specialis paenitentiae; et idem valet de aliis virtutibus universalibus. Si vero paenitentiae actus propter motiva aliarum virtutum ponuntur, tunc reapse quidem Deo compensatio praestatur, sed haec compensatio non directe et ratione sui intenditur.

98. *Schol. 1. In homine, qui est in statu peccati, paenitentia non est virtus infusa, sed actus paenitentiae a peccatore exercentur ope gratiae actualis.* Habitus autem paenitentiae, si quem habet peccator, est habitus acquisitus ex repetitis actibus.

Contra homini iusto Deus infundere potest habitum paenitentiae, quia homo iustus velle potest servare ius divinum et illud reparare, si forte aliquando laeserit. Num reapse infundatur habitus paenitentiae, pendet ex quaestione de infusione virtutum moralium in genere, quae quaestio alibi solvenda est. Christus non potuit habere habitum paenitentiae, quia erat impeccabilis, et sic ne poterat quidem condicionate velle reparationem iniuriae a se Deo illatae.

99. *Schol. 2. Actum paenitentiae salutaris, i. e. qui sit positiva dispositio ad recipiendam gratiam, debere esse entitative supernaturalem seu non posse fieri sine gratia excitante et adiuvante, constat tum ex iis, quae de omni actu salutari docentur in Tractatu de gratia tum ex disertis definitionibus Conciliorum.*

Ita Arausicanum II. can. 4: „Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem et operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti: Praeparatur voluntas a Domino“ (*Denzinger* l. c. 147). Tridentinum sess. 6, can. 3: „S. q. d. sine praevienienti Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut paenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, A. S.“ (*Denzinger* l. c. 695). Cf. *Suarez*, Disp. 3, sect. 6; disp. 5, sect. 2, n. 11 sqq., et *S. Thomas* 3, q. 85, a. 5.

Unde potest quidem homo paenitere de peccato ex considerationibus mere naturalibus et solis viribus naturalibus; sed haec paenitentia non est ullius valoris, ut sit dispositio positiva ad gratiam recipiendam. Eo ipso etiam secundum multos theologos constat motivum paenitentiae salutaris debere esse supernaturale, i. e. concipi aliquo modo tamquam per fidem nobis propositum. Nam supernaturale adiutorium nobis non datur ad ponendos actus mere naturales (*Suarez*, Disp. 20, sect. 2, n. 10). Hoc tamen pendet ex solutione illius quaestionis, num obiectum formale actus supernaturalis debeat et ipsum esse supernaturale, de qua quaestione agitur in Tractatu de gratia.

Prop. VI. Obiectum materiale paenitentiae, ut est actus fugae, est quodvis peccatum personale, ut autem est actus prosecutionis, sunt omnia, quibus iniuria Deo illata compensari potest.

Pars I. Paenitentia est actus aversionis ab omni peccato personali.

100. Hoc patet quoad peccata ante a paenitente commissa, quia haec praecise delere vult paenitentia. Unde peccata praeterita et *reatus culpa* iis contractus sunt primum obiectum paenitentiae. Sed ex consequenti paenitens etiam odit peccatum futurum; nam eadem malitia, quae inest in peccato praeterito, scilicet iniuria et offensa Dei, inest etiam in peccato futuro. Ergo omnis contritio virtualiter quoque continet propositum non peccandi de cetero. Ita docet *S. Thomas*: „Proprius actus eius [paenitentiae] est in obiectum proprium, quod est peccatum commissum; et ideo eius actus principalis, scilicet contritio, secundum suam speciem respicit tantum peccatum praeteritum; sed ex consequenti respicit futurum, secundum quod [paenitentia] habet aliquid de actu prudentiae adiunctum, et non tantum in illud ratione propriae speciei movetur; et propter hoc ille, qui conteritur, dolet de peccato praeterito et cavet futurum“ (In 4, d. 17, q. 2, a. 2, sol. 4; cf. *Suarez*, Disp. 2, sect. 1, n. 8).

101. Peccatum alienum et peccatum originale non sunt obiectum paenitentiae, quia paenitentia est retractatio prioris facti et mutatio voluntatis personalis; sed retractare facta aliena et mutare voluntatem

personae alterius nemo potest. „Contritio est dolor respiciens et quodammodo comminuens voluntatis duritiem; et ideo de illis solis peccatis esse potest, quae ex duritie nostrae voluntatis in nos proveniunt“ (S. Thomas l. c. sol. 2). Dolor autem et odium et displicentia de peccatis alienis esse potest.

Quod *poenam* peccati attinet, eam non fugit paenitentia, ut est paenitenti ingrata, quia paenitentia fugit solum malum Dei, non malum nostrum. *Reatum* vero poenae fugit paenitentia, quatenus studet eum delere. Reatus enim poenae est aliquod debitum, quod culpa nostra coram Deo contraximus, et quod propterea aliquo modo participat de malo culpa. Ideo paenitentia hunc reatum aversatur, qui actus aversionis vocatur satisfactio.

Pars II. Paenitentia est actus prosecutionis eorum, quibus iniuria Deo illata compensari potest.

102. Omnis virtus, sicut malum sibi oppositum aversatur, ita bonum sibi conveniens prosequitur. Paenitentia igitur, cum sit virtus, non solum debet malum peccati aversari, sed etiam bonum huic malo contrarium amplecti. Malum peccati est iniuria Deo illata, bonum oppositum est compensatio iniuriae. Unde paenitentia amplectitur, quidquid per modum compensationis Deo offerri potest. Potest autem ita offerri quilibet actus internus virtutis, quia omni actu virtuoso Deus honoratur, et sic iniuria ei prius illata compensatur. Itaque cum actus aliarum virtutum in finem recompensationis a paenitentia imperantur, fiunt et ipsi simul actus paenitentiae. Neque opus est hos actus praecise esse poenales; nam etiam per actum caritatis, qui fortasse nihil in se poenalis habeat, homo honorare potest Deum et compensare iniuriam ei prius illatam. Poenalitas quaedam actuum potius pertinet ad hoc, ut actus sint satisfactorii et deleant poenas temporales, ut in quaestione de satisfactione dicitur.

103. Habet quoque paenitentia suos actus externos, qui per facultates corporis exercentur, quorum duplex est finis: expellere peccatum commissum et cavere futurum. Respectu futurorum per actus externos paenitentiae tolluntur peccatorum occasiones, maxime proximae, et moderantur affectus. Ad hos actus inter alia pertinet restitutio, quam theologi tribuunt paenitentiae, saltem imperanti; proxime autem restitutio fit non ad delendas poenas peccato debitas, sed ad tollendum ipsum peccatum. Generatim omnes actus externi paenitentiae poni possunt non solum ex motivo secundario satisfaciendi, sed etiam ex motivo primario obtinendi veram conversionem, qua deleatur peccatum; et hoc modo in Scriptura eleemosyna dicitur redimere peccatum (Tob. 4, 11. Dan. 4, 24). Hos vero actus esse honestos et vere valere ad delenda peccata, non indiget probatione, quamvis haeretici id saepe negaverint (cf. Suarez, Disp. 6).

§ 2.

DE CONTRITIONE GENERATIM SUMPTA.

Prop. VII. Actus contritionis peccatori adulto est ad salutem necessarius.

104. *Nota.* Postquam vidimus, quid sit paenitentia, iam de actibus eius dicendum est. Actus autem formalis paenitentiae, in quo tota essentia huius virtutis inest, dicitur contritio, quam Conc. Trid. sess. 14, can. 4 definit: „Contritio animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero“ (Denzinger l. c. 777).

105. *Nomen contritionis S. Thomas ita explicat:* „Initium omnis peccati est superbia, per quam homo sensui suo inhaerens a mandatis divinis recedit; et ideo oportet, quod illud, quod destruit peccatum, hominem a sensu suo discedere faciat. Ille autem, qui in sensu suo perseverat, rigidus et durus per similitudinem vocatur, unde et frangi aliquis dicitur, quando a sensu suo divellitur. Sed inter fractionem et comminutionem sive contritionem in rebus materialibus, unde haec nomina ad spiritualia transferuntur, hoc interest quod frangi dicuntur aliqua, quando in magnas partes dividuntur; sed comminui vel contereri, quando ad partes minimas reducitur hoc, quod in se solidum erat. Et quia ad dimissionem peccati requiritur, quod homo totaliter affectum peccati dimittat, per quem quandam continuitatem et soliditatem in sensu suo habebat, ideo actus ille, quo peccatum remittitur, contritio dicitur per similitudinem“ (In 4, d. 17, q. 2, a. 1, sol. 1). Similis idea subest verbo *compunctionis*, quo in Sacra Scriptura saepe significatur actus paenitentiae¹.

Iam dicimus hominem non posse consequi remissionem peccatorum, nisi vere conteratur de peccatis suis. Non dicimus eum debere praecise *ad hoc* detestari peccata, ut ea removeat, i. e. debere formalissime ponere actum virtutis paenitentiae specialis, sed sufficit, ut ex aliquo motivo supernaturali peccatum detestetur.

Arg. 1. Ex S. Scriptura.

106. Quoties Deus hominibus offert remissionem peccatorum, toties paenitentiam requirit tamquam condicionem necessariam.

Ergo signum est Deum in hoc ordine rerum remissionem peccatorum concedere nolle, quorum homines paenitentiam non egerint.

Antecedens constat multis textibus Sacrae Scripturae, ut e. g. Ioes. 2, 12 sq.: „Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in

¹ Verbum germanicum „Reue“ significat dolorem internum de re facta; unde saepe etiam dicitur „Reue und Leid“. Verbum vero „Zerknirschung“ magis accedit ad latina verba contritionis vel compunctionis.

toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu. Et scindite corda vestra et non vestimenta vestra; et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae et praestabilis super malitia." Luc. 13, 3—5: „Si paenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis", ubi proxime sermo est de poena temporali peccatorum. Act. 3, 19: „Paenitemini et convertimini, ut deleantur peccata vestra." Cf. Ez. 18, 21 sqq. Eccli. 2, 22 etc.

107. Arg. 2. Ex SS. Patribus.

SS. Patres integris sermonibus et libris necessitatem paenitentiae inculcarunt, ut *Tertull.*, De Paenit.; *Chrysost.*, Hom. novem de Paenitentia etc.

Sed audiamus quaedam particularia. Ita S. Cyprianus (De lapsis n. 32 sqq.; *H* 1, 261) dicit: „Agite paenitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate maestitiam. Nec vos quorundam moveat aut error improvidus aut stupor vanus, qui, cum teneantur in tam gravi crimine, percussi sunt animi caecitate, ut nec intellegant delicta nec plangent . . . Qui autem paenitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt" (l. c. n. 34; *H* 1, 262).

S. Ambros. (Ep. 51, n. 11; *M* 16, 1162) scribit ad Theodosium imperatorem: „Peccatum non tollitur nisi lacrimis et paenitentia. Nec angelus potest nec archangelus. Dominus ipse, qui solus potest dicere: „Ego vobiscum sum", si peccaverimus, nisi paenitentiam deferentibus non relaxat."

S. August. in Sermone 1 de utilitate agenda paenitentiae dicit (Sermo 351, n. 7; *M* 39, 1543): „Qua fronte impudentiae volet averti faciem Dei a peccatis suis, qui nunc toto corde non dicit: „Quoniam facinus meum ego agnosco, et peccatum meum ante me est semper" (Ps. 50, 5)?"

S. Gregor. M. (Hom. 20 in evang. n. 7; *M* 76, 1163): „Ventura ira est animadversio ultionis extremae, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta paenitentiae non recurrit."

108. Arg. 3. Conc. Trident. (sess. 13, can. 4): „Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius" (*Denzinger* l. c. 777).

Et (sess. 6, can. 6): „Disponuntur autem ad ipsam iustitiam . . . dum peccatores se esse intellegentes . . . moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem" (*Denzinger* l. c. 680).

109. Arg. 4. Confirmatio ex ratione.

Omnino rationi consentaneum est peccata non dimitti sine paenitentia. Est enim peccatum iniuria Deo illata. Atqui rectus ordo

postulat, ut servus, qui dominum, aut amicus, qui amicum offendit, si velit veniam consequi, offensam a se commissam detestetur. Nam si pravam voluntatem retinet, merito ei venia negatur; si vero voluntatem in melius mutat, necessario quoque detestatur, quod antea fecit.

110. Coroll. Ex dictis patet paenitentiam esse necessariam necessitate medii, quia simpliciter negatur hominem ullam peccatorum consequi posse veniam, nisi paenitentiam egerit. Non quidem dicimus Deum ne de potentia quidem absoluta posse remittere peccatum sine ullo actu ex parte peccatoris (cf. *Suarez*, De Paenit. disp. 9, sect. 2, n. 4), sed dicimus in hoc ordine providentiae numquam ita fieri remissionem peccatorum.

Ex necessitate medii eo ipso sequitur *necessitas praecepti*. Virtus enim, quae ad salutem consequendam necessaria est, sine dubio etiam a Deo praecepta est. Immo claris verbis toties in Scriptura monemur: „Paenitentiam agite" (Matth. 4, 17. Act. 2, 38). Quare *Tertullianus* ait: „Bonum est paenitere, annon? Quid resolvit? Deus praecipit" (De Paenit. c. 4; *M* 1, 1234). Unde longe communior theologorum sententia docet peccatorem, nisi paeniteat, eo ipso novum peccatum committere (*Suarez*, Disp. 15, sect. 1, n. 2).

111. Verumtamen hoc praeceptum, quia est positivum, non obligat pro omni tempore. Certe obligat tempore mortis, quia homo, si tunc recordatur se esse in statu peccati, neque tamen paenitentiam agit, nova iniuria Deum afficit, despiciens aeternam salutem. Similiter, qui valde diu paenitentiam differt, flocci facere videtur amicitiam Dei et ius divinum, et ita novum peccatum committit. Neque tamen exacte dici potest, quando hoc praeceptum actu urgere incipiat. Practice haec quaestio non est magni momenti, quia quilibet peccator ex praecepto ecclesiae tenetur ad annuam confessionem, cui praecepto, si satisfacit, de speciali peccato impaenitentiae non erit inquietandus. Statim enim post peccatum commissum praeceptum paenitentiae urgere nullo argumento probari potest (cf. *Wirceburg.*, De Paenit. disp. 2, c. 4, n. 78 sqq.).

Prop. VIII. Contritio per se debet esse formalis, per accidens autem sufficit virtualis.

Pars I. Contritio per se debet esse formalis.

112. Hominem debere habere formalem dolorem et detestationem peccati commissi clare docetur textibus in thesi praecedenti allatis, et SS. Patres hoc saepe inculcant. Ita *Gregor. M.*: „Paenitentiam quippe agere est et perpetrata mala plangere et plangenda non perpetrare" (Hom. 34 in evang. n. 15; *M* 76, 1256). *S. Augustin.*: „In actione paenitentiae . . . non tam consideranda est mensura tem-

poris quam doloris. Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit* (Enchir. c. 65; M 40, 262).

113. Disputant autem, utrum formaliter requiratur dolor tantum an detestatio peccati tantum an utrumque simul. Ad hanc quaestionem haec dicenda videntur:

a) *Detestatio essentialiter ad contritionem requiritur.* Est enim detestatio actus voluntatis, quo peccator peccatum a se commissum vellet non esse factum, ut supra explicatum est (n. 92). Est igitur odium peccati non quidem simplex, quale etiam haberi potest circa peccatum mere possibile, sed odium simul cum displicentia, quod peccatum factum est. Hic actus est actus liber voluntatis, dolor autem per se sumptus non est liber, quia dolere aut non dolere immediate et directe non pendet a libera electione. Ergo circa peccatum, ut est praeteritum, non possum alium actum paenitentiae liberum exercere nisi actum odii et displicentiae. Atqui paenitentiae actus debet esse essentialiter liber (Conc. Trid. sess. 14, can. 4).

Ergo paenitentiae actus debet essentialiter esse detestatio.

114. b) *Necessario quoque ad contritionem requiritur dolor.* Dolorem enim ponit Conc. Trid. in definitione contritionis (sess. 14, can. 4). Dolor autem nihil aliud est nisi detestatio cum tristitia, quae tristitia inde oritur, quod malum peccati apprehenditur ut praesens. Quare beati in caelo detestantur quidem peccatum, sed sine dolore, quia doloris sunt incapaces, et quia peccatum quoad eos est totum quantum praeteritum. Hic autem in terra peccatum commissum semper aliquo modo praesens manet, sive quia nondum est remissum, sive quia eius remissio non est omnino certa, sive quia peccati effectus remanent. Ergo si quis peccatum serio detestatur, necessario quoque dolet illud a se commissum esse; et quia recordando et detestando peccatum hunc dolorem voluntarie assumit, ideo dolor est liber in causa, et sic homo libere poenam dat pro delicto suo et illud expiat. Paenitentia igitur, quae est expiatio peccati, et detestationem et dolorem complectitur seu est dolorosa quaedam detestatio, quae moraliter constituit unum actum paenitendi.

115. c) *Tertium elementum contritionis est propositum non peccandi de cetero, ut Conc. Trid. docet l. c.* Et revera a dolorosa detestatione plane separari nequit hoc propositum. Qui enim indifferens est ad peccatum futurum committendum vel non committendum, certe neque serio odit peccatum neque dolet, quod peccatum commisit. Quis enim potest et velle reparare iniuriam Deo illatam et simul paratus esse ad novam ei iniuriam inferendam? Tale factum, si possibile esset, non veniam sed indignationem mereretur. Ergo paenitentiae actus salutaris propositum non peccandi de cetero adiunctum habeat necesse est.

116. *Potest autem quaeri, utrum hoc propositum debeat esse explicitum et formale, an implicitum et virtuale sufficiat, seu utrum debeat poni actus distinctus a detestatione, an sufficienter in ipso actu detestationis contineatur.* Distinguendum est: *Si detestatio fit ex motivo universali, ut caritatis, spei . . . videtur sufficere propositum virtuale.* Propositum enim ad hoc tantum requiritur, ut voluntas peccandi excludatur (Conc. Trid. sess. 14, can. 4). Atqui tali motivo voluntas peccandi omnino exclusa est. Ergo nihil ultra ipsum talem actum detestationis necessarium videtur.

Si vero motivum non est universale sed particulare, ut e. g. quia Deus poena temporali peccatum punivit, licet fortasse hoc ad detestationem sufficiat, non tamen sufficit ad efficaciter excludendam voluntatem non peccandi de cetero, quia fortasse ad peccatum vitandum graviora mala subeunda erunt, quam sunt eae poenae temporales, ob quas quis peccata detestetur. Ergo ut contritio salutaris sit, in tali casu specialis actus propositi ponendus est, quo voluntas peccandi in futurum omnino excludatur.

117. Ceterum, *si quis actualiter advertit futuram possibilitatem peccandi et serio detestatur peccatum ex motivo universali, vix fieri poterit, ut explicitum actum propositi non eliciat.* Nam cum ex una parte animus paratus sit ad vitanda peccata futura, et ex altera parte omnia in tali casu moveant ad actum propositi ponendum, naturali quadam necessitate hic actus sequetur, nisi quis positive resistat. Qui autem positive non vult facere propositum, vix videtur habere posse seriam voluntatem non peccandi de cetero. Itaque ubi memoria peccati futuri adest, propositum explicitum per se sequetur; si quis vero ex oblivione de peccato futuro non cogitavit, certe non est inquietandus, quando habuit actum detestationis ex motivo universali.

Pars II. Per accidens sufficit contritio virtualis, quae est actus caritatis perfectae.

118. Dicitur caritas contritio virtualis, quia nemo potest Deum super omnia diligere, quin eo ipso odio habeat peccatum, et quia actus caritatis est exhibitio satisfactionis, licet non ex hac intentione ponatur.

Probabimus postea contritione perfecta iustificari peccatorem. Contritio autem perfecta ad caritatem addit detestationem formalem. Quaeritur igitur, utrum, nisi haec formalis detestatio accedat ad caritatem, numquam fieri possit, ut homo actu caritatis iustificetur. Dicimus fieri posse. Nam si homo, quando actum caritatis elicit, nihil cogitat de peccato, ex una parte non potest detestationem peccati habere in re, ex altera autem parte hanc detestationem habet in voto, quatenus qui Deum diligit, vult, quae Deo placent. Placet autem Deo detestatio peccatorum. Ergo qui Deum diligit caritate perfecta, implicite vult detestari peccata sua; et sic perfecte avertitur a pec-

cato et perfecte convertitur ad Deum. Perfecta autem aversio a peccato et conversio ad Deum est praecise ratio, cur contritio iustificet. Ergo in suppositione habitualis vel actualis oblivionis peccatorum actu caritatis solo homo iustificatur. Si vero homo cogitat de peccatis commissis, quando actum caritatis elicit, moraliter fieri non posse videtur, ut non procedat ad detestationem formalem.

119. Itaque *contritio est necessaria aut in re aut in voto*; et quidem extra Sacramentum Paenitentiae contritio in solo voto valet ad iustificandum peccatorem. Sed ad Sacramentum Paenitentiae recipiendum solus actus caritatis non sufficit, quia contritio formalis est pars essentialis vel saltem condicio sine qua non Sacramenti Paenitentiae. Unde qui sola contritione virtuali iustificatus est, postea nihilominus debet formalem actum contritionis elicere, quia tenetur ad peccata sacramentaliter confitenda, quod fieri nequit sine contritione formali (cf. *Wireburg.*, De Paen. n. 78 sqq.).

120. *Coroll.* Quia contritio talis requiritur, quae „omnem voluntatem peccandi excludat“ (*Conc. Trid.* sess. 14, c. 4), *contritio necessario debet esse appetitive summa*; i. e. peccator debet detestari peccatum plus quam omnia alia mala. Nam nisi ita detestatur, paratus est propter aliquod malum evitandum committere peccatum, et consequenter voluntas peccandi non est omnino exclusa. Hoc suo modo etiam valet de peccato veniali, nam, nisi quis ita paratus est, ut sub nulla condicione velit peccatum iterum committere, non meretur eius condonationem. Dolor igitur contritionis debet esse obiective seu ex parte motivi summus; non vero subiective, i. e. quoad sensationes dolorosas, quia hae saepe non pendent e nostro libero arbitrio, sed e dispositione corporis et aliis condicionibus non liberis; neque summus debet esse gradus acerbitalis in animo, quia in his gradibus non est aliquod summum, et quia determinatio horum graduum plerumque etiam notitiam nostram fugit.

Formalem vero comparisonem instituere inter peccata et omnia mala poenae neque est praeceptum, quia sufficit bonum divinum in se diligere sine comparatione; neque plerumque est bonum, quia poenae sensibiles vivide propositae sensus vehementer afficiunt et rationem perturbant (cf. *Suarez*, Disp. 3, sect. 9, n. 8 sqq.).

121. Pariter *contritio debet esse universalis*, i. e. debet extendi ad omnia peccata gravia, quorum reatu quis gravatur, sive eorum conscientiam habet, sive non habet. Ratio est, quia ex una parte nullum peccatum remittitur sine contritione, ex altera vero parte unum peccatum remitti non potest sine aliis, cum remissio fiat per infusionem gratiae, quae incompatibilis est cum omni gravi peccato. Ergo ut unum peccatum grave remittatur, omnia peccata gravia remitti debent;

ut autem omnia remittantur, omnia detestanda sunt. Hinc aut uno motivo universali omnia peccata simul aut specialibus motivis singula peccata detestanda sunt.

Neque tamen requiritur, ut ille, qui ex universali motivo de peccatis dolet, omnia et singula peccata recogitet (ut ad confessionem necessarium est), neque de singulis peccatis singuli actus contritionis necessario eliciendi sunt. Qui enim omnia peccata in genere odit, etiam singula odit et affectum ab iis avertit. Immo qui unum peccatum, quod actualiter recogitat, ex motivo universali detestatur, virtualiter omnia detestatur.

122. *Eadem vero non valent de peccatis venialibus.* Nam qui odit peccata mortalia, non necessario odit peccata venialia, quia praecipua malitia peccati mortalis, quae est totalis aversio a Deo fine ultimo, in peccato veniali non invenitur. Item potest aliquis vere et fructuose dolere de uno peccato veniali propter specialem malitiam, quae in eo inest, licet non detestetur alia peccata venialia, in quibus haec malitia non invenitur. Unum enim peccatum veniale remitti potest sine aliis. Contra vero, si quis unum peccatum veniale detestatur, quia offensa Dei est, eo ipso virtualiter omnia peccata venialia et mortalia detestatur (*Suarez*, Disp. 3, sect. 8).

123. *Schol.* Quid ex parte hominis requiratur ad obtinendam remissionem culpae venialis.

Responsum pendet ex iis, quae alibi docentur de natura peccati venialis; ideo hic pauca ex *Suaresio* notasse sufficiat:

Remissio peccati venialis non potest solis viribus naturae comparari, quia etiam haec remissio datur propter merita Christi. Porro haec remissio postulat gratiam sanctificantem aut antecedenter aut concomitanter; nam qui est obiectum irae divinae, non potest postulare vel exspectare a Deo remissionem ullius culpae, quamdiu voluntarie manet in statu irae. Ergo si peccatum veniale cum mortali coniunctum est, non potest remitti, nisi simul infundatur gratia; immo etiam si solum est, eius remissio semper fit cum augmento gratiae; nam bono actu, quo homo peccatum retractat, gratia augetur.

Formalis contritio sufficit quidem, sed non requiritur ad remissionem peccati venialis; sed sufficit actus amoris Dei et quilibet bonus actus, qui aliquo modo pugnat cum veniali peccato et eius complacentiam excludit. Nam quolibet bono actu augetur amicitia cum Deo; pertinet autem ad perfectionem amicitiae leviores offensas remittere. Deinde sicut peccata venialia facile committuntur ex fragilitate humanae naturae, ita etiam convenit ea facile remitti ob quemlibet motum bonae voluntatis, dummodo hoc motu prior malus motus excludatur. Neque vero remissa culpa statim etiam tota poena necessario remittitur; haec enim etiam quoad veniale peccatum separari

possunt (cf. *Suarez*, Disp. 11 et De Incarn. disp. 4, sect. 9. *De Lugo*, De Incarn. disp. 5, sect. 7).

Attamen qui sacramentaliter absolvi vult a peccatis venialibus, actum formalis detestationis elicere debet, non quia hoc ad remissionem peccati venialis necessarium est, sed quia ad Sacramentum Paenitentiae essentialiter requiritur.

§ 3.

DE CONTRITIONE PERFECTA.

Prop. IX. *Contritio caritate perfecta semper iustificat, licet Sacramentum Paenitentiae re non suscipiatur.*

124. *Nota.* Multiplices divisiones contritionis iam supra vidimus; dividitur enim contritio in contritionem virtuales et formalem seu implicitam et explicitam; in contritionem, quae est actus specialis virtutis paenitentiae, et contritionem, quae est actus aliarum virtutum etc. Sed his omnibus et aliis divisionibus omissis praecipua divisio est, qua solent contritionem dividere in perfectam, quae per excellentiam dicitur contritio, et imperfectam, quae dicitur attritio, in qua divisione ratio perfectionis proxime mensuratur ex effectu. Quia enim contritio tendit natura sua ad removendum peccatum, ea contritio dicitur perfecta, quae ex se sola efficaciter hoc assequitur; imperfecta autem est, quae ad hoc tantum disponit, ut peccator actuali usu Sacramenti Paenitentiae iustificetur. Differentiam nominis S. Thomas ita explicat: „Attritio dicitur accessum ad perfectam contritionem; unde in corporalibus dicuntur attrita, quae aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfecte sunt comminuta; sed contrita dicuntur, quando omnes partes tritae sunt simul per divisionem ad minima. Et ideo significat attritio in spiritualibus quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; contritio autem perfectam“ (Supplem. q. 1, a. 2 ad 2).

125. Iam vero interna perfectio actus virtutis (supposito semper auxilio gratiae) pendet e perfectione motivi. Unde ut sit una contritio perfectior altera, perfectiore motivo uti debet. Possumus autem omnia motiva contritionis ad duas classes revocare: bonitatem Dei in se spectatam, quae est obiectum caritatis, et bonum rationalis creaturae. Peccatum enim detestamur sive ob malum culpae sive ob malum poenae. Si ob malum poenae, haec detestatio procedit vel ex timore vel ex spe, quae versantur circa id, quod nobis est bonum aut malum. Si ob malum culpae, consideratur hoc malum, aut ut est malum Dei in se considerati, et tunc detestatio procedit ex caritate; aut ut est contra dictamen rectae rationis prohibentis offensam Dei ut nobis inhonestam, et sic ex motivis variarum virtutum

moralium elici potest. Quia autem virtutes morales pro motivo formali habent convenientiam cum natura rationali, patet omnia alia motiva contritionis praeter motivum caritatis hoc commune habere, quod non referantur ad bonum divinum in se consideratum, sed ad id, quod est creaturae rationali bonum.

126. *Caritate perfecta* est contritio, vel quia est actus caritatis elicited, vel quia est actus a caritate imperatus, ita ut duo actus fiant: unus actus caritatis, alter actus detestationis. Sensus igitur propositionis idem est, ac si dicatur: Peccator, qui actum caritatis elicit, statim iustificatur, sive actus caritatis est paenitentia formalis sive virtualis, ut supra explicatum est (n. 35). Quae sit natura caritatis, hic notum supponitur ex tractatu de virtutibus theologis.

Quia omnis actus caritatis est simul propositum omnia faciendi, quae Deus praecipit, ideo est etiam voluntas implicita recipiendi Sacramentum Paenitentiae, seu omnis actus caritatis est simul susceptio Sacramenti Paenitentiae in voto. Propterea in thesi dicimus actum caritatis iustificare, antequam Sacramentum re suscipiatur (cf. *Denzinger* l. c. 610).

Haec doctrina statuitur non solum contra *Lutherum*, qui ullum actum praeter fidem fiducialem quicquam ad iustificationem valere negat, sed etiam contra *Baium*, qui in solo casu necessitatis, quando Sacramentum Paenitentiae actu suscipi nequit, caritatem ad iustificationem sufficere docet. Eius Propositiones infra afferemus.

127. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

a) *S. Scriptura simpliciter et indefinite docet cum actu caritatis coniunctam esse remissionem peccatorum et amicitiam Dei.* „Ego diligentes me diligo“ (Prov. 8, 17). „Qui diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum“ (Io. 14, 21). „Omnis, qui diligit [proximum propter Deum], ex Deo natus est et cognoscit Deum“ (1 Io. 4, 7). „Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet“ (ibid. 3, 9). „Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo“ (ibid. 4, 16).

128. b) *In Vetere Lege erat aliqua contritio, quae infallibiliter iustificabat.* Atqui si aliqua erat, certe erat contritio caritate perfecta; neque haec contritio in Nova Lege vim suam amisit. Ergo contritio perfecte etiam in Nova Lege iustificat.

Ad mai.: „Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris et tota tribulatione animae tuae“ (Deut. 4, 29). „Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua“ (Ez. 33, 12; cf. 18, 21).

Ceterum etiam a priori certum est in Vetere Lege fuisse aliquod medium recuperandae gratiae peccato amissae.

Ad min.: Si quae contritio iustificat, esse eam, quae est caritate perfecta, per se patet, quia melior hac excogitari nequit.

In Novo vero Testamento eadem promissio repetitur; neque ulla est ratio dicendi contritionem nunc esse minoris efficaciae. Nam exceptis legibus iudicialibus et caerimonialibus instituta Veteris Testamenti, et maxime quae ad sanctificationem hominum pertinent, in Nova Lege non sunt abrogata. Immo in ea Lege, quae per excellentiam dicitur Lex Caritatis, caritas non debet minus efficax esse quam in Lege Timoris. Neque obligatio confitendi obstat, quia etiam ille, qui caritate iustificatur, votum Sacramenti habere debet.

129. *Arg. 2. Ex SS. Patribus.*

S. Ioan. Chrysost., Hom. 7 in 2 Tim., n. 3 (M 62, 640): „Sicut ignis, in silvam ingressus, omnia purgare solet, sic caritatis fervor, quocumque inciderit, omnia tollit atque excindit . . . Ubi caritas est, omnia sublata sunt mala.“

S. August., Tract. 5 in 1 Io., n. 10 (M 35, 2017): „Si quis in corde suo invenerit caritatem fraternam, securus sit, quia transiit a morte ad vitam, iam in dextera est.“

S. Petrus Chrysol., Serm. 94 (M 52, 406): „Absolvi vis? Ama! Caritas cooperit multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid peius? Et tamen Petrus amore solo valuit hoc delere.“

S. Gregor. M., Hom. 33 in evang., n. 4 (M 76, 1241): „Quid esse dilectionem credimus nisi ignem? et quid culpam nisi rubiginem? Unde nunc dicitur: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; ac si aperte diceretur: incendit plene peccati rubiginem, quia ardet valide per amoris ignem.“

S. Bernard., Ep. 107, n. 8 (M 182, 216): „Nemo se amari diffidat, qui iam amat.“

SS. Patres, quia pro certo habebant caritatis actum semper iustificare, censebant etiam catechumenos sine Baptismo mortuos salvos esse posse, ut docetur in tractatu de Sacramento Baptismi (n. 421).

130. *Arg. 3. Ex decretis ecclesiasticis.*

Conc. Trid. sess. 14, c. 4 docet „contritionem aliquando caritate perfectam esse contingere hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur“ (Denzinger l. c. 778).

Ex Sess. vero 6, c. 4 constat posse aliquem voto Baptismi, quod pariter est actus caritatis, iustificari (Denzinger l. c. 678).

131. Putarunt nonnulli illud „aliquando“ referri ad „reconciliare“. Sed hoc, cum iam contra naturalem phrasim constructionem sit, etiam

ex historia Concilii Trident. falsum esse constat, nam *Pallavicinus* (Hist. Conc. Trid. l. 12, c. 10, n. 27) narrat Patres Tridentinos etiam speciali canone damnare voluisse doctrinam, quae neget contritionem perfectam semper iustificare, sed omisisse hanc expressam damnationem, quia illa Adriani et Caietani doctrina esse videbatur.

Confirmatur idem auctoritate Catechismi Romani (P. 2, c. 5, n. 42): „Ipsa certe contritio numquam illi [Deo] grata et accepta esse non potest . . . Quin etiam statim, ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui alio loco eiusdem prophetae verba illa declarant: ‚Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei‘ (Ps. 31, 5).“

132. *S. Sedes proscripsit has Propositiones Baii:*

(31:) „Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in paenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.“

(32:) „Caritas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.“

(33:) „Catechumenus iuste, recte et sancte vivit et mandata Dei observat ac legem implet per caritatem ante obtentam remissionem peccatorum, quae in Baptismi lavacro demum percipitur.“

(70:) „Homo existens in peccato mortali sive in reatu aeternae damnationis potest habere veram caritatem, et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.“

(71:) „Per contritionem etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum coniunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti“ (Denzinger l. c. 911—913, 950 sqq.).

Cum hae Propositiones damnatae sint propter doctrinam, quam continent, concludamus oportet contrariam doctrinam in deposito revelationis contineri. Ergo secundum revelationis doctrinam caritas numquam potest esse seiuncta a remissione peccatorum. Ceterum adversarii, si concedunt in casu necessitatis contritionem iustificare, sine inconsequentia negare non possunt in omni casu iustificare; nam necessitas non mutat naturam et efficaciam contritionis.

133. *Arg. 4. Confirmatur idem ex ratione.*

Sicut per peccatum amicitia divina ideo amittitur, quia homo se totaliter avertit a Deo fine ultimo, ita conveniens est per actum caritatis amicitiam divinam restitui, quia caritas est tanta conversio, quantam homo ex sua parte praestare potest. Non tenetur quidem Deus ex postulato iustitiae propter actum caritatis peccatori amicitiam suam restituere, quia actus caritatis per se non est sufficiens compensatio iniuriae; sed cum constet Deum velle propter actum per-

fectae contritionis amicitiam suam restituere, facile intellegimus, quanta sit hac in re convenientia.

134. *Schol. 1.* *Contritio non eo sensu iustificat, quod actus contritionis sit ipsa formalis causa iustificationis; haec enim est gratia habitualis infusa; sed quod ad gratiam recipiendam proxime disponit (Conc. Trid. sess. 6, c. 6), quatenus meretur, ut Deus homini contrito det gratiam sanctificantem. Utrum autem hoc meritum sit de condigno an de congruo tantum, docetur in tractatu de gratia (cf. Suarez, Disp. 4, sect. 7. De Lugo, Disp. 8, sect. 3 sq. Stentrup, Soteriolog. thes. 14).*

135. *Schol. 2.* *Quaeritur inter theologos, utrum ea sola contritio, quae caritate perficitur, iustificet an etiam ea contritio, quae informatur alio motivo, cuius terminus est Deus, ut e. g. motivo gratitudinis, religionis, oboedientiae, paenitentiae specialis.*

Sententiam, quae admittit plura motiva huius contritionis, ut probabilem defendit Card. de Lugo (De Paenit. disp. 5, sect. 1), qui nihilominus ait: „Adhuc tamen dicendum omnino est cum communi sententia contritionem sufficientem ad iustitiam debere oriri ex peculiari motivo caritatis, scilicet Dei super omnia dilecti. Haec conclusio habet pro se auctoritatem communem fere omnium theologorum, a quibus in re tanti momenti non est facile discedendum“ (l. c. n. 10). Suarez de illa sententia, saltem in quantum restringitur ad specialem virtutem paenitentiae, haec scribit: „Est quidem sententia probabilis et aliquando mihi simpliciter placuit; nunc autem re melius inspecta videtur contraria sententia eligenda“ (Disp. 4, sect. 2, n. 13).

136. *Ratio, cur effectus iustificationis soli contritioni caritate perfectae tribuendus videatur, haec esse potest, quia Conc. Trid. (sess. 14, c. 5) inter motiva contritionis imperfectae ipsum motivum spei enumerat. Sed si spes non iustificat, cum sit nobilissima virtus post caritatem, a fortiori virtutes aliae non sufficiunt ad iustificandum ex se solis. Et certe sicut per peccatum proxime et per se caritas expellitur, ita conveniens est nulli virtuti inesse vim per se restituendi amicitiam nisi soli caritati.*

Quod vero Suarez dicit (l. c. n. 9), actum paenitentiae sine formali amore posse iustificare, est peculiaris tantum loquendi modus. Putat enim, „cum detestatio sit formaliter actus fugae, non prosecutionis, detestationem peccati, quatenus hoc est contra bonum Dei, non posse dici formalem amorem, quia formalis amor sit actus prosecutionis et pro obiecto habeat bonum divinum. Alii vero dicunt esse formalem amorem, quia non possumus odisse peccatum, ut est malum Dei, nisi eo ipso Deum amando“ (cf. Palmieri, De Paenitentia p. 248 sq.).

Prop. X. *Ut contritio sit caritate perfecta et iustificet, non requiritur determinatus gradus intensitatis neque determinata duratio temporis.*

137. *Nota.* a) Fuerunt theologo, qui dicerent tum tantum contritionem esse caritate tam perfectam, ut iustificaret, cum haberet eam intensitatem, quam homo exhibere posset toto conatu sibi possibili. Ita *Adrianus*, In IV de Paenit. q. 2.

Alii exigebant eam intensitatem, quae esset maior ulla alia, qua homo doleret de quolibet malo terreno. Ita *Petrus Soto*, De Paenit. lect. 14 et 15.

Alii ne hanc quidem relative summam intensitatem requirunt, negant nihilominus quamlibet contritionem ex motivo caritatis elicita iustificare, sed postulant perfectum aliquem gradum caritatis seu intensam, ut aiunt, caritatem, quam *Christianus Lupus* in dissert. dogmatica De contritione et attritione c. 7 ita describit: „Est sola caritas perfecta, quae vivit patienter, delectabiliter moritur et omnem rerum creaturarum adfixivum amorem in nobis extinguit.“ Similem sententiam docent *Iuvenin*, De Paenit. q. 4, c. 4; *Berti*, De theol. discipl. 1. 34, c. 5; *Estius*, In 4, d. 17, § 2; *Gazzaniga*, Prael. theol. t. 9, disp. 6, c. 5, prop. 1 et c. 7, a. 3.

Secundum quosdam (cf. *Suarez*, Disp. 4, sect. 5, n. 3) *Scotus* docuit contritionem non posse iustificare, nisi aliquod tempus duravisset, quod tempus taxatum est a Deo. Scotistae tamen (ut *Bosco*, Disp. 6, sect. 2, concl. 10, n. 372) negant Scoti verba ita esse intellegenda, cum potius velit docere actum contritionis non posse fieri uno instanti, sed necessario requirere aliquod tempus et in ultimo instanti huius temporis gratiam a Deo infundi.

138. b) Negamus igitur ullam sive determinatam intensitatem sive durationem requiri ad hoc, ut contritio iustificet, dummodo essentia eius adsit. Per se autem patet omnem actum humanum habere aliquam intensitatem et aliquam durationem; sed hoc est factum tantum psychologicum. Hic autem quaerimus, num Deus lege statuerit, ut determinatus gradus et determinata duratio contritionis requiratur ad iustificationem. Neque loquimur de remissione omnis poenae, cum fieri possit et plerumque fiat, ut homo etiam iustificatus pro peccatis suis poenas dare debeat, sed dicimus per omnem contritionem ex motivo caritatis conceptam, sive intensa sit sive remissa, sive longa sive brevis, statim iustificari peccatorem per infusionem gratiae sanctificantis.

139. *Arg. 1.* *Ex infirmitate rationum adversariorum.*

Cum argumenta thesis praecedentis indefinite ostendant hominem semper iustificari actu caritatis seu contritionis perfectae, ii, qui volunt

hanc efficaciam ad certi generis caritatem restringere, debent argumenta positiva pro hac restrictione afferre. Atqui nulla sunt argumenta. Ergo talis restrictio non est admittenda.

Prob. min.: a) Argumentantur ex verbo Christi Deum esse diligendum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex tota virtute (Matth. 22, 37. Marc. 12, 30. Luc. 10, 27).

Respondeo: Hic textus et alii similes explicandi sunt de amore appetitiae summo, quatenus nihil diligendum est propter se nisi solus Deus, omnia vero alia propter Deum. Quattuor vero illos diversos terminos („ex toto corde . . .“) S. Thomas ita explicat: „Considerandum, quod dilectio est actus voluntatis, quae hic significatur per cor . . . Tria autem sunt principia actuum, quae moventur a voluntate, scilicet intellectus, qui significatur per mentem; vis appetitiva inferior, quae significatur per animam; et vis executiva exterior, quae significatur per fortitudinem seu virtutem sive vires. Praecipitur ergo nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde; et quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente; et quod appetitus reguletur secundum Deum, quod est ex tota anima; et quod exterior actus noster oboediat Deo, quod est ex tota fortitudine vel virtute vel viribus Deum diligere“ (2, 2, q. 44, a. 5).

Ceterum notandum est illis verbis Christi enuntiari praeceptum positivum, quo homo iubetur adeo Deum diligere, ut ne minimum quidem peccatum prorsus libere committat. Sed tanta perfectio nequaquam praecipitur ut necessaria ad iustificationem et salutem; nam utraque stare potest cum peccato veniali. Ergo non omnia, quae illis verbis praecipuntur, necessaria sunt ad obtinendam iustificationem; et sic ad haec verba Christi adversarii provocare non possunt.

140. b) Ita adversarii *argumentantur*: Mulieri peccatrici remissa sunt peccata multa, quia „dilexit multum“ (Luc. 7, 47). Ergo multa caritas requiritur ad delenda peccata.

Praeterea mulier iam caritatem habuit et tamen erat in peccatis, quia Christus dixit ei: „Remittuntur tibi peccata tua.“

Respondeo: Hoc argumentum nimium probat, quia est contra ipsos adversarios, qui ex una parte dicunt per multam caritatem deleri peccata; ex altera parte volunt illam mulierem fuisse etiamtum in peccatis, quamvis iam multum dilexerit. — Ceterum Christus historice tantum affirmavit illam mulierem valde perfectam remissionem peccatorum consecutam esse, quia tam ardentem dilexerat; nihil vero dicit, num tanta dilectio ad iustificationem necessaria sit. — Altera pars difficultatis eo solvitur, quod ibi tempus praesens ponitur pro perfecto; nam in textu originali est ἀφένται.

141. c) *Citant verba Catechismi Romani* (De Paenit. P. 2, c. 5, n. 27): „Sit praeterea [contritio] non solum maxima sed vehementissima at-

que adeo perfecta.“ Et (n. 36): „Ut enim hoc concedamus: contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aequari conferrique possit?“

Respondeo: Si Catechismus Romanus hic loquitur de contritione appetitiae summa, nihil est contra nostram thesin. Si vero hoc dicit de intensitate doloris subiectiva, ipse sibi contradicit, quia priore loco statim subdit: „Quamquam, si id minus consequi nobis liceat, ut [subiective] perfecta sit, vera tamen et efficax contritio esse potest. Saepe enim usu venit, ut, quae sensibus subiecta sunt, magis quam spiritualia nos afficiant“ (l. c. n. 28). Alia, quae afferuntur, nullius sunt momenti. Itaque stat thesis praecedens in sua universalitate neque ulli restrictioni subicienda est, sive quoad intensitatem sive quoad durationem contritionis.

142. *Arg. 2. Ex consensu theologorum.*

S. Thomas docet: „Quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet“ (3 Suppl. q. 5, a. 3). Similiter schola Thomistica communiter.

S. Bonaventura: „Quod magis, etiam sensibiliter doleat aliquis de peccato quam de aliquo damno, hoc est perfectionis et congruum, non necessarium. Sed in quantum dolor dicitur displicentia rationis, sic dico, quod displicentia mensuratur secundum quantitatem caritatis. . . . Ad hoc, quod aliquis habeat caritatem, necesse est, quod diligat Deum super omnia. Hoc autem est diligere Deum super omnia, quod pro nullo damno vel commodo velit Deum offendere. Sic intelligendum est de displicentia contritionis“ (In 4, d. 16, p. 1, a. 2, q. 1).

Schola Scotistica affirmat suum magistrum non aliter sentire, et ipsa eandem doctrinam sequitur, ut iam supra dictum est.

Bellarminus: „Non requiritur certus gradus intensionis neque mora ulla temporis ad veram contritionem. Haec est adversus nonnullos, qui veram contritionem esse negant, nisi ad certum quendam intensionis gradum perveniat et certo spatio temporis duret. Sed facilis est huius sententiae confutatio“ (De Paenit. l. 2, c. 11, prop. 4; cf. c. 13).

Suarez nostram vocat simpliciter „veram sententiam“ (Disp. 4, sect. 4, n. 9). Secundum Card. de Lugo opposita sententia „communiter reicitur et merito“ (Disp. 2, sect. 7, n. 84); immo secundum Dom. Sotum „non modo falsa est, verum, ut bona venia dixerim, temeraria et Sacris Litteris parum consona“ (In 4, d. 17, q. 2, a. 4, § „Restat ergo argumenta“). Similiter alii aliis censuris oppositam sententiam notant, quibus omissis hoc unum saltem constat: distinctionem contritionis caritatis perfectae in intensam, quae iustificet, et remissam, quae non iustificet, omnino alienam esse a communi Scholae doctrina.

143. *Arg. 3. Ex ratione theologica.*

Deus, sicut alia praecepta dedit, ita etiam praeceptum dedit eliciendi contritionem, et hoc praecepto impleto promisit remissionem peccatorum. Atqui Deus nullum actum virtutis, e. g. fidei vel spei, praecepit secundum determinatas mensuras, quibus non servatis illi actus effectum suum non haberent. Ergo a pari dicendum non est caritatem vel contritionem praeceptam esse secundum certas mensuras intensitatis et durationis, sine quibus effectum suum non habeant. Immo si praeceptum datum esset de determinata mensura contritionis, esset de re impossibili, quia subiectiva intensio doloris notitiam nostram saepe fugit, ut nequaquam semper dicere possimus, de qua re intensius doleamus; et a fortiore saepe intensitas doloris non est in potestate liberi arbitrii posita.

Praeterea peccatum grave, etiamsi committatur sine magna subiectiva intensitate, dummodo vere grave sit, destruit statum gratiae. Ergo omnis quoque contritio, etiam non valde intensa, dummodo vere contritio sit, statum gratiae restituit. In minima enim vera contritione habetur totalis conversio ad Deum, sicut in minimo peccato gravi habetur totalis a Deo aversio.

144. *Schol.* „Solet hic incidenter quaeri, num possit contritio esse nimia. Et breviter dicendum est per se loquendo non posse esse nimiam, quia ex obiecto debet esse super omnia; ex parte vero subiecti quo ferventior, eo per se melior. Per accidens vero ex parte hominis potest esse duplex excessus. Primus ex falsa apprehensione ipsius peccati, si tam grande malum existimetur, ut putetur etiam irremissibile; nam illa apprehensio tollet veram paenitentiam, quae esse debet cum spe veniae. . . . Secundus excessus erit, si ex nimio conatu voluntatis graviter laedatur corpus . . . quia naturali praecepto tenetur homo non operari ita, ut graviter noceat saluti et corpori“ (Suarez, Disp. 4, sect. 4, n. 13).

§ 4.

DE ATTRITIONE.

Prop. XI. Attritio concepta ex metu poenarum, quibus Deus peccatores punit, potest esse actus bonus et salutaris, qui positive excludat voluntatem peccandi.

145. *Nota.* Considerata contritione, qua peccata detestamur, in quantum opponuntur Deo summo bono, iam consideranda est ea contritio, quae versatur circa Dei offensam, in quantum haec est malum nostrum, i. e. in quantum vel moralem turpitudinem secum fert vel a Deo poenis plectitur. Agitur ergo in hac quaestione non de detestatione peccatorum in se considerata, sed de motivo huius detesta-

tionis, et quaeritur, num detestatio peccatorum maneat actus bonus, si motivum detestationis sit timor poenarum.

Lutherus in Sermone de Paenitentia (1518) mox post initium de contritione imperfecta concepta ex metu gehennae ait: „Haec contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem, quia solum timore praecepti et dolore damni id facit. Et tales omnes indigne absolvuntur et communicantur. Et si libere deberent [remoto praecepto et minis poenarum] confiteri: certe dicerent sibi non displicere eam vitam praeteritam, quam sic coguntur displicere confiteri. Immo quo magis timore poenae et dolore damni sic conteruntur, eo magis peccant et afficiuntur suis peccatis, quae coguntur, non autem volunt odisse. Si quidem lex et cognitio peccati magis abundare facit peccatum, ut apostolus ait Rom. 5. Et haec est illa contritio, quam ipsi vocant extra caritatem non meritoriam; alii vocant attritionem primo disponentem ad contritionem. Sic enim ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego iudico.“

Docet igitur Lutherus omnem detestationem peccatorum procedentem ex metu gehennae necessario esse actum malum neque posse remove affectum ad peccata. Qua in re eum secuti sunt *Quesnellus* et *Synodus Pistoriensis*, et consequenter aequae ac Lutherus ab ecclesia damnati sunt. Contra quos dicimus attritionem ex motivo timoris (non timorem ipsum, quippe qui possit coniungi cum ipso actu peccati) esse actum bonum et, si efficax sit, excludere voluntatem peccandi.

146. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

In S. Scriptura saepe commendatur timor poenarum, quas Deus minatur pro peccatis. Non potest autem Scriptura commendare actum, qui est essentialiter malus et facit hypocritas. Ergo falsa est doctrina, quae omnem timorem gehennae vel aliarum poenarum ut malum reicit.

Ut omittamus Vetus Testamentum, statim ab initio praedicationis evangelicae saepissime homines excitantur ad paenitentiam proposito motivo timoris. „Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum paenitentiae. . . . Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur“ (Matth. 3, 7 sqq.). „Quodsi oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. . . .“ (Matth. 5, 29 sqq.). „Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam“ (Matth. 10, 28). „Nisi paenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis“ (Luc. 13, 1 sqq.). Talia passim occurrunt.

Itaque lege divina non minus quam omni alia bona lege timor poenae intenditur; nam ideo lex poenam minatur, ut timeatur.

147. *Arg. 2. Ex SS. Patribus.*

SS. Patres saepe ad timorem poenarum exhortantur.

Tertullianus: „Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguit; et poenae prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites“ (De Paenit. c. 12; *M* 1, 1247).

Clemens Alex.: „Prima ad salutem inclinatio nobis fides esse apparet, post quam timor et spes et paenitentia cum continentia et tolerantia proficientes nos ducunt ad caritatem. . . . Qui timorem autem accusant, legem insectantur. Quodsi legem, clarum est, quod illum, qui legem dedit, Deum“ (Strom. lib. 2, c. 6 et 7; *M* 8, 966; 967).

S. Ioan. Chrysost.: „Quid gehenna gravius? Sed huius metu nihil utilius; gehennae namque timor regni nobis affert coronam. . . . Nisi bonum esset timor, non multos impendisset Christus sermones et longos de poena et supplicio illic futuris loquens. Timor nihil aliud est quam murus et munimentum et turris inexpugnabilis“ (Hom. 15 ad pop. Antioch., n. 1 et 2; *M* 49, 154).

S. August.: „Cum Dominus timorem incusserit et vehementer incusserit et repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum: male times? Ista non dicam; plane time, nihil melius times, nihil est, quod magis timere debeas“ (Serm. 161, n. 8; *M* 38, 882).

148. *Arg. 3. Ex declarationibus ecclesiae.*

Postquam iam Leo X. Lutheri de attritione erroneam doctrinam damnauerat (*Denzinger* l. c. 630), Conc. Trid. sess. 14, c. 4 iterato utilitatem attritionis ex metu gehennae commendavit. „Illam contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae; declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tamen moventis, quo paenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat“ (*Denzinger* l. c. 778; cf. sess. 14, c. 5, et sess. 6, c. 8; *Denzinger* l. c. 793, 700).

Alexander VIII. damnavit hanc propositionem: „Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se non est bonus motus ac supernaturalis“ (*Denzinger* l. c. 1172).

Clemens XI. inter alias has propositiones Quesnelli proscripsit: (60:) „Si solus supplicii timor animat paenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.“ (61:) „Timor nonnisi

manum cohibet; cor autem tamdiu peccato abducitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur.“ (62:) „Qui a malo non abstinere nisi timore poenae, illud committit in corde suo et iam est reus coram Deo“ (*Denzinger* l. c. 1275—1277).

Pius VI. rursus hanc doctrinam damnavit propositam art. 25 Synodi Pistoriensis (*Denzinger* l. c. 1388).

149. *Arg. 4. Ex ratione theologica.*

Ut intellegamus, quomodo actus timoris possit esse honestus, ante omnia varii timores distinguendi sunt.

a) *Timor in genere* est aliqua passio, i. e. motus facultatis passivae, et quidem appetitus sensitivi, cuius motus obiectum est malum futurum grave, quod non facile evitari potest (*S. Thom.* 1, 2, q. 41, a. 1. 2). Continet igitur timor duo: odium mali et trepidationem quandam; ubi enim malum, quod odio habetur, ita imminet, ut difficulter vitari possit, trepidatio sua sponte sequitur. Sufficit igitur primum elementum considerare. Iam vero malum, quod homo paenitens odit, est malum peccati. Peccatum autem est malum, ut est offensa Dei. Unde timor duplicem terminum habet: ipsum malum, quod est peccatum, et personam illam, per comparisonem ad quam peccatum est malum. Est autem peccatum malum per comparisonem ad Deum aut ut terminum, a quo recedimus per culpam, aut ut auctorem poenarum, quas infligit pro peccato (*S. Thom.* 2, 2, q. 19, a. 1).

150. His suppositis varia genera timoris distingui possunt:

b) *Potest aliquis timere culpam futuram*, quae est malum propter inconstantiam naturae nostrae difficulter evitabile. Motivum huius timoris potest esse sive amor benevolentiae sive amor concupiscentiae sive amor iustitiae sive alia motiva honesta revelata. Omnis talis timor recte dicitur *timor filialis*, quia boni filii timent facere aliquid contra voluntatem parentum, non propter poenas futuras, sed quia parentes offendere nolunt. Timor igitur filialis non necessario est ex perfecta caritate, sed potest esse ex quolibet motivo, quo peccatum fugitur ratione culpae.

151. c) *Potest aliquis peccatum fugere non praecise ratione culpae sed propter malum poenae*, quam Deus peccatoribus minatur. Qui in tali animi dispositione est, primo loco fugit poenam et consequenter id, quod poenam inducit, i. e. culpam. Iamvero *potest aliquis esse ita comparatus, ut dicat: Odi culpam ideo tantum, quia ducit ad poenam; sin culpam committere possem sine poena, eam committerem.* Qui tali modo affectus est, se ipsum constituit simpliciter finem ultimum „cui“ sui amoris, quem nullo modo refert ad Deum. Eiusmodi igitur homo nequaquam conversus est ad Deum, sed potius suum bonum positive praefert bono divino; et ita hic timor contrarie opponitur

caritati Dei, et actus huius timoris est novum peccatum, ut docet S. Ioan. Chrysost.: „Tam misere affecti sumus, ut, nisi gehennae timor adsit, quid boni facere vix eligamus. Quapropter etsi non alia de causa, ideo gehenna digni fuerimus, quod illam magis quam Christum timeamus“ (In Rom. hom. 5, n. 6; *M* 60, 430). — De eodem timore saepe loquitur S. August. eumque damnat, quia hic timor non est „timor castus“ (In Io. tr. 43, 7) neque culpam odio habet sed solam poenam, affectum igitur ad peccatum omnino retinet. „Aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere; aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret, si hoc posset impune permitti. Nam sic profecto is ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate sed timore non peccat“ (Contra duas ep. Pelag. l. 1, c. 9, n. 15; *M* 44, 558). Cf. Palmieri, De Paenit. thes. 29.

152. Hic dici solet *timor serviliter servilis*. Ratio est, quia hic timor totus quantus informatur servilitate. Servitus enim in eo est, quod quis non ex interna inclinatione operatur, sed motus vi quadam externa, et sic timor contrariatur caritati, quae operatur ex inclinatione interna. Unde si ipsa servilitas actui timoris dat speciem et formam, totus hic actus excludit amorem et ita est simpliciter actus malus¹.

153. d) „Sed praedicta servilitas non pertinet ad speciem [formam] timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis“ (S. Thomas 2, 2, q. 19, a. 4). Sicut fides informis ordinat intellectum hominis ad Deum et per accidens coniuncta est cum negatione caritatis, ita timor servilis dirigit hominem ad prosequendum bonum suum, quatenus abhorret malum huic bono oppositum, sed per accidens hic timor hic et nunc sistit in hoc inferiore motivo neque coniunctus est cum actu caritatis. Hic igitur timor, qui dicitur *timor simpliciter servilis*, ad caritatem se habet negative tantum, quatenus non necessario cum actu caritatis coniunctus est, non vero excludit caritatem.

154. *Differentiae huius timoris a timore serviliter servili sunt hae:*

a) In timore simpliciter servili homo iudicat gehennam esse malum suum, quod honeste potest et debet fugere; et hoc iudicium est rectum.

In timore serviliter servili homo iudicat gehennam esse summum malum, quod magis debet fugere quam ipsam offensam Dei; et hoc iudicium est falsum.

β) In timore simpliciter servili homo odit malum poenae, quia potest et debet se ordinate diligere.

¹ Hunc solum timorem serviliter servilem veteres quidam Scholastici cum Petro Lombardo (3, d. 34, n. 4 sqq.) appellabant timorem servilem; illum vero, quem nos simpliciter servilem dicimus, nominabant „timorem initialem“. Est igitur diversus loquendi modus, non diversa doctrina.

In timore serviliter servili odit homo malum poenae, quia suum bonum praefert omni alii bono, etiam divino.

γ) In timore simpliciter servili homo tantum non formaliter refert amorem sui in Deum, in quem tamen referri potest.

In timore serviliter servili homo amorem sui habet, qui omnino referri non possit in Deum, sed sistat in suo bono ut fine simpliciter ultimo.

δ) In timore simpliciter servili potest actus timoris manens, quod est, servilitatem suam omnino amittere, quia servilitas non est de essentia eius.

In timore serviliter servili servilitas totum actum informat et est ab eo inseparabilis.

155. e) Hic igitur *timor simpliciter servilis est motivum bonum ad detestanda peccata*; nam sicut honestum est sperare verum bonum nostrum, maxime aeternum, ita honestum est odisse malum huic bono oppositum, maxime aeternum. Ergo quia et odisse peccatum est bonum, et motivum, quo homo attritus ducitur ad peccatum odio habendum, est bonum, totus actus attritionis necessario est bonus. Attritio autem est odium peccati ex motivo honesto timoris simpliciter servilis. Ergo attritio est bona. Neque actus tantum bonus in se est attritio, quatenus attritus negative non habet voluntatem peccandi, sed etiam quatenus potest positive omnem voluntatem peccandi excludere. Nam qui vult efficaciter evitare poenam, efficaciter quoque vult evitare id, quod poenam necessario inducit. Ergo quamdiu quis vere et serio attritus est, tamdiu in eo repugnat voluntas committendi peccatum grave. Neque hoc valet de solo peccato externo, ut adversarii inepte volunt, sed maxime etiam de peccato interno, quia hoc praecise meretur poenam, actus vero externus solum propter relationem ad peccatum internum. *Neque hoc odium peccati est ullo modo involuntarium secundum quid*, quasi voluntas aliquo modo retineat actualem affectum erga peccatum, sicut mercator retinet affectum erga merces, quas ob periculum naufragii proicit in mare. Est enim magna disparitas inter hos duos casus. Nam in altero casu perseverantia affectus erga merces non impedit consecutionem finis, i. e. conservationem vitae, cum ad hunc finem solum requiratur actus externus a voluntate imperatus. In attritione vero affectus peccati impediret finem, scilicet evitacionem poenae, agitur enim de actu elicitio voluntatis, qui causa poenae est. Ergo hic ipse actus internus removendus est, si quis efficaciter evitare vult poenam. Illud igitur principium: „Ea, quae fiunt ex metu, sunt involuntaria secundum quid“, valet de solis actibus imperatis, non de actibus elicitis ipsius voluntatis.

156. *Attritus igitur vere amat iustitiam* et vult servare legem, sed motivum sufficiens, quod eum impellit ad hunc amorem, est metus poenae. Qui amor lato sensu dici potest caritas, quatenus omnis bona

voluntas est caritas; attamen non est virtus theologica caritatis. Praesens igitur voluntas, quam attritus habet, est omnino bona. Num autem eandem bonam voluntatem habiturus esset, si nullae essent poenae peccati, est alia quaestio, quae non est ad rem. Nam mala voluntas, quam quis in alio ordine rerum habiturus esset, non inficit bonam voluntatem, quam in hoc ordine reapse habet.

Neque attritus appetitive magis aestimat malum poenae quam malum culpae, aequè parum ac pictor magis aestimat victum quam suam artem, quia comparatio victus eum movet ad exercendam suam artem. In utroque casu homo ad ponendum actum voluntatis circa bonum maius excitatur ex motivo boni minoris, et actus, qui ita ponitur, est quidem minoris perfectionis, sed eo non positive excluditur actus maioris perfectionis. Sicut amor victus non impedit pictorem, quominus artem ratione sui amet, ita metus poenarum non impedit hominem attritum, quominus iustitiam propter iustitiam amet. Si actus attritionis impediret actum caritatis, certe esset malus; sed quia eum non impedit, sed solum hic et nunc omittit, non est actus malus, quia licet homini ponere actus minus perfectos, dummodo sint honesti.

157. *Schol.* De amore initiali ad attritionem requisito.

In ipso actu attritionis conceptae ex metu poenarum *initium aliquod amoris Dei* necessario contineri facile intellegitur.

Nam a) homo vere attritus detestatur offensam Dei et vult sibi reddere Deum propitium; hic autem est gressus versus caritatem Dei; b) vult servare totam legem divinam, ergo etiam praeceptum diligendi Deum super omnia; et ita habet caritatem in voto seu proposito; c) vult pervenire ad vitam aeternam, quae est perfectissima cum Deo amicitia; ergo habet caritatem pro fine ultimo.

Hic igitur *amor initialis in omni vera attritione inest necessitate logica et psychologica*. Requiritur autem ex praecepto Dei ad salutarem attritionem, ut praeter actum detestationis peccati ob metum poenarum etiam alius actus ponatur, qui sit amor quidam Dei, nulla ratione probabili suaderi potest. Et sic videtur solvenda illa quaestio, num salutaris sit sola attritio sine initiali amore Dei (cf. *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. 7, c. 13, et *J. Deharbe S. J.*, Die vollkommene Liebe [Regensburg 1856] p. 217 sqq.).

158. Quod autem dicit *Tridentinum* (sess. 6, c. 6), homines adultos se praeparare ad iustificationem, dum credunt, sperant et deinde Deum „tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt“, hoc certe non habet hunc sensum: actum perfectae caritatis requiri tamquam dispositionem necessariam ad recipiendum Baptismum; sed Concilium vult describere, quomodo peccator ex statu peccati usque ad perfectam Dei amicitiam perveniat; sive hoc fit per Sacramentum sive extra Sacramentum. Ad hunc autem processum pertinet etiam actus cari-

tatis. *Pallavicinus* diserte testatur Concilium illis verbis nihil voluisse definire de quaestione scholastica, num requireretur amor initialis ad Sacramentum suscipiendum (Hist. Conc. Trid. l. 12, c. 10, n. 25). Et theologi, qui in Concilio aderant, ut Canus, Salmeron, Vega, postea semper docuerunt solam attritionem ad Sacramentum fructuose recipiendum sufficere (cf. *Suarez*, De gratia l. 7, c. 8, n. 12. *Palmieri*, De Paen. p. 333 sqq. Theol.-prakt. Quartalschrift [Linz] 1889, p. 782 sqq.).

Prop. XII. Attritio est dispositio proxime sufficiens ad iustificationem per Sacramentum Paenitentiae obtinendam.

159. *Nota.* a) Cognita natura contritionis et attritionis videndum est, quomodo actus contritionis et attritionis se habeant ad Sacramentum Paenitentiae. Supra enim (Prop. VII) ostendimus actum paenitentiae peccatori adulto ita esse necessarium, ut sine illo nullo modo iustificari possit. Ergo idem valere debet de iustificatione per Sacramentum Paenitentiae obtinenda. Porro probavimus actum paenitentiae requiri ut materiam Sacramenti (Prop. IV). Ergo ubi non est actus contritionis vel attritionis, Sacramentum Paenitentiae existere nequit, et ita hic actus est dispositio absolute necessaria ad accipiendam iustificationem per Sacramentum Paenitentiae. De hac igitur re nulla est dubitatio.

Sed dubium esse potest, utrum dispositio proxime sufficiens ad Sacramentum Paenitentiae sit attritio, an requiratur contritio perfecta. In hac quaestione supponitur adesse omnia, quae aliunde ad fructuosam Sacramenti susceptionem necessaria sunt, ut fides, spes, intentio suscipiendi Sacramentum, voluntas non peccandi de cetero, confessio; et *quaeritur solum, qualis debeat esse detestatio peccati*, ut omnibus aliis actibus suppositis dari possit absolutio. Proxime sufficiens intellegitur ea dispositio, quae nullam ulteriorem dispositionem requirit; mediate sufficiens ea est, quae habet vim ducendi ad dispositionem proxime sufficientem.

160. b) Fuerunt *inter veteres Scholasticos*, qui docerent per se omnino *requiri contritionem perfectam* ad Sacramentum Paenitentiae et consequenter absolute sacramentali non dari primam gratiam sed secundam. Concedebant autem plerique, sufficere contritionem existimatam, i. e. posse iustificari eum, qui accederet ad Sacramentum putans se habere contritionem perfectam, cum attritionem tantum haberet. Per se tamen secundum eos homo debet accedere ad Sacramentum Paenitentiae iam iustificatus contritione perfecta, sacerdotes vero „peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa a Deo vel retenta iudicant et ostendunt“. Ita Petrus Lombardus (4, dist. 18, c. 6). Similiter S. Bonaventura: „Potestas clavium proprie loquendo non

se extendit ad culpam; numquam enim sacerdos absolveret quemquam, de quo non praesumeret, quod esset absolutus a Deo" (In 4, d. 18, p. 1, a. 2, q. 1). Sufficit hoc praesumere, quia sufficit, ut paenitens existimet se esse vere contritum, licet reapse solam attritionem habeat; et in hoc solo casu Sacramentum Paenitentiae ex attrito facit contritum. „Sicut dictum est, quod non tenemur ad Eucharistiam accedere cum caritate secundum veritatem, sed sufficit, quod secundum probabilitatem; sic dico, quod ad Sacramentum Paenitentiae non est necesse, quod accedat habens caritatem vel dispositionem ad caritatem sufficientem secundum veritatem, sed sufficit secundum probabilitatem. Haec autem dispositio attritio est, quae frequenter ob confessionem superadiunctam et absolutionem sacerdotis formatur per gratiam, ut fiat contritio" (In 4, d. 17, p. 2, a. 2, q. 3). Secundum hanc igitur sententiam Paenitentiae Sacramentum non per se, sed per accidens dat gratiam primam sicut Eucharistia¹. Haec sententia ascribitur etiam *Altisidorensi*, *Alexandro Alensi*, *Occamo*, *Gabrieli Biel*, quibusdam aliis (cf. *Suarez*, Disp. 16, sect. 2, n. 1), quo iure, vide apud *Palmieri*, De Paen. p. 292 sqq.

161. c) Contraria vero sententia erat longe communior. Eam docet *S. Thomas* (3, q. 80, a. 4 ad 2 et q. 84, a. 3 et In 4, d. 18, q. 1, a. 3, concl. 1). Magis etiam diserte *Scotus* (In 4, d. 14, a. 4, § „Quantum ad tertium“), ubi dicit oppositam sententiam nimis derogare Sacra-

¹ Student quidem recentissimi editores operum S. Bonaventurae ostendere S. Doctorem a communi sententia non recessisse; at ea, quae in longo scholio in 4, d. 18, p. 1, a. 2, q. 1 in hunc finem proferunt, rem minime efficiunt. Provoquant enim ad hoc, quod secundum S. Bonaventuram ex contrito existimato per Sacramentum Paenitentiae fit vere contritus. At hoc non probat nisi per accidens Sacramentum Paenitentiae valere ad deletionem culpae; communis autem sententia erat Sacramentum ad hoc valere per se et ex institutione sua. Deinde provocat Scholiastes ad similem doctrinam S. Thomae, secundum quem Sacramentum Paenitentiae non immediate causet gratiam, sed disponat ad eam. At hoc nihil pertinet ad nostram quaestionem. Nam in Commentario S. Thomas sequitur opinionem per Sacramentum produci ornatam, et per ornatam postulari gratiam. Hic autem quaeritur, num per se paenitens iam ante absolutionem debeat esse in statu gratiae, id quod vult S. Bonaventura. Ipse Scholiastes concedit Magistrum in hac re errasse; nihilominus paulo post fatetur S. Bonaventuram secutum esse eum modum explicandi, quem S. Thomas ut a Magistro propositum benigne interpretetur. Revera S. Bonaventura a S. Thoma re, a Magistro verbis tantum differt. Nam secundum S. Bonaventuram homo „tenetur confiteri vel ex caritate vel ex dispositione ad caritatem sufficiente, vel secundum probabilitatem vel secundum veritatem“ (In 4, d. 17, a. 2, q. 3), seu debet afferre ad Paenitentiam eandem dispositionem atque ad Eucharistiam. Secundum Magistrum iam ante confessionem contritione deletum est peccatum (4, d. 17, c. 5). Secundum S. Thomam Sacramenta Baptismi et Paenitentiae „dantur ad tollendam febrim peccati“. Eucharistia autem „non debet dari nisi liberatis a peccato“ (3, q. 80, a. 4 ad 2). Unde illa verba S. Bonaventurae: „Absolutio praesupponit gratiam“, per se ex eius sensu referuntur ad gratiam, quae iam ante confessionem supponenda est.

mento Paenitentiae. Similiter *Durandus* (In 4, d. 18, q. 2, n. 6), *Henricus Gandavensis* (Quodl. 1, q. 32), *Aureolus* (In 4, d. 18, a. 1), alii¹.

Multo magis haec altera sententia facta est communis post Conc. Trid. Suarez simpliciter ait: „Hanc sententiam omnino veram esse censeo“ (Disp. 20, sect. 1, n. 9). Secundum Card. de Lugo opposita „probabilis non est post Conc. Trid.“ (Disp. 7, sect. 13, n. 273. Cf. disp. 4, sect. 9, n. 133. 137). Hanc sententiam etiam docent *Canus* (Relect. de Paenit. p. 6), *Bellarminus* (De Paenit. l. 2, c. 18), *Valentia* (In 3, d. 7, q. 8, p. 4), *Vasquez* (In 3, q. 92, a. 1, d. 2) et generatim *theologi Societatis Iesu* vix non omnes; praeterea *Vega* (Trid. Decreti de iustificatione exposit. l. 13, c. 34), *Thomistae* longe plurimi, ut *Gonet* (Tom, 5, disp. 7, a. 2, § 3), *Scotistae* omnes. Accedunt *Moralistae*, ut *S. Alphonsus* (l. 6, n. 440). Cum quibus etiam nos dicimus hanc sententiam ita esse moraliter certam, ut eam in usu Sacramenti practice omnino sequi liceat (cf. *Denzinger* l. c. 1017).

162. Oppositam defenderunt ex posterioribus theologis *Juenin* (De Sac. Paenit. q. 2, c. 4, n. 2, § 1 et 2), *Morinus* (De Paenit. l. 8, c. 4, n. 2), *Berti* (t. 7, l. 34, c. 5), alii, qui praeter attritionem ex metu gehennae conceptam postulant alium actum caritatis saltem initialis, i. e. quae sit quidem vere caritas, sed tam debilis, ut ex se non iustificet. Sed nostris diebus haec sententia omnino relicta videtur. In argumentatione supponimus omni actu perfectae caritatis deleri peccata, quod antea probavimus.

Cf. de variis sententiis: *Schätzler*, Wirksamkeit der Sacramente p. 95. 256 sqq. *Palmieri*, De Paenit. p. 291 sqq. 328 sqq. 345 sqq.

163. Arg. I. Ex doctrina Concilii Tridentini.

Secundum doctrinam Concilii Trid. attritio concepta ex metu gehennae est dispositio ad recipiendam absolutionem. Atqui haec dispositio intellegitur immediata. Ergo.

¹ Recentes quidam Protestantes, ut *Harnack*, affirmant ante saec. 13 semper contritionem necessariam habitam esse ad iustificationem. Hoc eodem sensu est verum, quo hodie contritio necessaria censetur, i. e. si hoc vocabulum sumitur latiore sensu, prout abstrahit a caritate perfecta vel ab alio inferiore motivo. Sed falsum est, si volunt ante saec. 13 semper caritatem perfectam postulata esse ut motivum necessarium salutaris paenitentiae. *S. Thomas* in Supplemento quinque definitiones contritionis recenset, quae apud veteres doctores inveniuntur. In nulla ex his sermo est de caritate perfecta. E. g. definitio S. Isidori est: „Contritio est compunctio et humilitas mentis cum lacrimis, veniens de recordatione peccati et timore iudicii.“ Alia definitio desumpta ex verbis Gregorii M. est: „Contritio est humilitas spiritus, annihilans peccatum inter spem et timorem“ (Suppl. q. 1, a. 1). Vocabulum vero attritionis saepe a veteribus theologis alio sensu adhibetur atque nunc (cf. *Alex. Alens.* 4, q. 79, m. 1. *S. Bonavent.* In 4, d. 17, p. 2, a. 2, q. 3. *S. Thomas*, De Ver. q. 28, a. 8, obi. 3). Unde semper diligenter attendendum est, quo sensu de attritione loquantur (cf. *Der Katholik* 1897, I, p. 48 sqq.).

Prob. mai.: a) Concilium, postquam dixit actus paenitentis esse partem et quasi materiam Sacramenti (sess. 14, c. 3), porro docet inter hos actus primum locum habere contritionem et hanc contritionem dividi in perfectam et imperfectam (c. 4). Ergo Concilium docet utramque contritionem posse esse partem et quasi materiam Sacramenti.

b) Ibidem dicitur attritio seu contritio imperfecta disponere hominem ad Dei gratiam in Sacramento Paenitentiae recipiendam.

164. *Prob. min.* a) *Ubi materia adest, nihil requiritur nisi forma, et habetur totum compositum.* Si vero attritio solum eatenus valeret aliquid, quatenus duceret ad contritionem, ipsa attritio nullo modo esset materia Sacramenti sed contritio tantum, quia haec sola esset condicio et signum efficax iustificationis, et quia haec debet adesse, quando absolutio datur. Consequenter actus attritionis numquam posset esse materia Sacramenti et absolute tamquam forma informari.

165. b) *Concilium docet attritionem ducere ad iustificationem cum Sacramento aliter atque sine Sacramento.* Atqui etiam sine Sacramento remote disponit ad iustificationem; ergo cum Sacramento disponit proxime. Secus verba Concilii haberent hunc sensum: Quamvis attritio sine Sacramento Paenitentiae non immediate sed remote tantum ad gratiam disponere possit, tamen cum Sacramento remote disponit. Hoc autem, ut recte ait *S. Alphonsus*, esset incongruenter et inepte dictum. Immo verba Concilii essent omnino falsa. Nam si attritio potest solum ad iustificationem disponere, quatenus ducit ad contritionem, numquam disponit ad iustificationem in Sacramento accipiendam; nam posita contritione iam extra Sacramentum iustificatio sequitur, ut ipsum Concilium docet. Ergo attritio sine contritione immediate ad Sacramentum disponit.

166. *Idem postulat oppositio inter contritionem perfectam et imperfectam.* Nam Concilium, postquam dixit illam iam iustificare extra Sacramentum, alteram e contra dicit extra Sacramentum quidem non iustificare, sed simul cum Sacramento ad iustificationem disponere. Ergo intellegit dispositionem proximam seu docet: Sicut peccator contritus extra Sacramentum est proxime dispositus ad gratiam, ita peccator attritus cum Sacramento est proxime dispositus ad gratiam recipiendam.

167. Item Concilium ex eo, quod secundum doctrinam catholicam requiratur attritio in Sacramento Paenitentiae, statim infert: „Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi traderint Sacramentum Paenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod numquam ecclesia docuit nec sensit; sed et

falso docent contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam“, quod haeretici dixerunt de attritione ex metu gehennae concepta. Sed si necessaria esset contritio perfecta, Concilium certe non provocasset ad bonitatem attritionis, ut ostenderet falsam esse calumniam haeticorum, et bonum motum requiri ad Sacramentum Paenitentiae, sed provocasset ad bonitatem contritionis, cum hanc etiam haeretici ut bonam agnoscerent, et cum haec, non illa, reapse esset bonus ille motus requisitus.

168. *Arg. 2.* Ex natura Sacramenti Paenitentiae.

Paenitentiae Sacramentum per se institutum est ad transferendum hominem e statu peccati in statum gratiae. Atqui si actus contritionis perfectae requiritur ut dispositio ad recipiendum hoc Sacramentum, numquam Sacramento Paenitentiae homo e statu peccati in statum gratiae transfertur. Ergo actus contritionis perfectae non requiritur.

Maior constat ex *Conc. Trid.* (sess. 14, c. 1, can. 3. 9) et ex iis, quae supra probavimus (Prop. 1—3; cf. etiam Prop. damnat. Baii 58; *Denzinger* l. c. 938).

Minor patet; nam si peccata iam necessario remissa supponuntur ante absolutionem, ipsa absolutione numquam homo e statu peccati in statum gratiae transfertur; et immerito Paenitentia dicitur Sacramentum mortuorum, cum per se applicari nequeat nisi hominibus spiritualiter vivis.

169. *Dicunt adversarii* absolutionem efficaciam suam non amittere, cum contritio perfecta iustificet solum intuitu futurae absolutionis, quia contritus debet votum Sacramenti habere.

Respondeo: Contritio ex natura sua semper iustificat, etiamsi postea absolutio numquam sequitur, immo etiam si quis forte non cogitavit vel nihil scivit de Sacramento Paenitentiae. Iustificatio enim per contritionem fit ex opere operantis, nullo modo ex opere operato, votum vero Sacramenti requiritur solum ut necessaria dispositio, quia nemo potest conteri, nisi qui vult omnia praecepta divina implere. Ergo in sententia adversariorum realis susceptio Sacramenti numquam primam iustificationem confert. Debent quidem etiam secundum adversarios peccata contritione remissa postea clavibus subici, sed numquam possunt primo virtute clavium ex opere operato remitti. Neve dicat quis contritione peccata remitti idem esse ac Sacramento remitti, quia contritio est pars Sacramenti. Nam non quaelibet contritio est pars Sacramenti, sed ea tantum, quae actualiter cum absolutione ut forma sua coniungitur. Secus quoties quis conteritur, toties Sacramentum suscipit, id quod nemo dixerit. Dein Concilium Trid. maxime absolutioni ascribit virtutem remittendi peccata. Haec autem in sententia adversariorum nullam talem virtutem habet. Excogita-

verunt quidem varias hypotheses, quibus salvarent efficaciam Sacramenti, sed tam miseras, ut non sint dignae mentione (cf. *Palmieri*, De Paenit. p. 287 sqq.).

Quod autem Concilium verba schematis cuiusdam praevii: „attritionem sufficere ad Sacramenti huius constitutionem“, mutavit in ea, quae nunc habentur: attritionem disponere ad gratiam (ut narrat *Pallavicinus* l. 12, c. 10, n. 26), hoc ideo factum esse videtur, quia Concilium noluit dirimere varias quaestiones scholasticas, quae illis verbis tanguntur. Ideo elegit formam minus determinatam.

170. *Coroll.* Ergo in Sacramento Paenitentiae obex gratiae non est peccatum nondum remissum, sed peccatum actu paenitentiae non retractatum, qui obex attritione ex metu gehennae concepta iam sufficienter removetur. Et haec est ratio, cur hoc Sacramentum vocetur Sacramentum mortuorum. Si vero homo attritus absolvitur, accipit gratiam, et tunc idem effectus adest, qui etiam per contritionem solam haberi potest. Propterea veteres Scholastici saepe dicunt *hominem attritum per absolutionem fieri contritum*; quod non intellegendum est ita, ac si actus attritionis mutetur in actum contritionis, sed quod effectus est idem in utroque casu (cf. *S. Thomas*, Suppl. q. 1, a. 3. *Scotus*, In 4, d. 17, q. 1, a. 5).

171. *Schol. 1.* De Sacramento Paenitentiae valido sed informi.

Potest accidere, ut quis ad Sacramentum Paenitentiae accedat putans se habere attritionem sufficientem, quam reapse non habet. Si quis invincibiliter ignorat hunc defectum dispositionis, patet eum non committere peccatum sacrilegii. Nihilominus effectum Sacramenti consequi nequit, quia vera et supernaturalis attritio est de necessitate medii ad recipiendam remissionem peccatorum.

172. Potest tamen quaeri, *nonne in casu inculpabilis ignorantiae fortasse adsit Sacramentum*, i. e. nonne revera omnia existant ad Sacramentum necessaria, et solus effectus Sacramenti sit impossibilis propter obicem peccati non retractati; et si affirmative, num postea obice remoto Sacramentum reviviscat. Sed hoc videtur impossibile, quia actus paenitentis in hoc Sacramento aliam rationem habent quam actus subiecti in ceteris Sacramentis. Nam dum in ceteris Sacramentis sunt mera dispositio ad recipiendum fructum Sacramenti, in Paenitentia ita requiruntur, ut, si absint, essentia Sacramenti destruat. Ubi autem Sacramentum nullum est, nulla esse potest efficacia eius. Ergo neque postea reviviscere potest. Remittuntur autem talia peccata per proximam confessionem validam, vel per contritionem perfectam, vel per susceptionem alterius Sacramenti, dummodo tunc accedat vera attritio (cf. *Suarez*, Disp. 20, sect. 2, n. 2 sqq.).

173. Proponunt nihilominus veteres theologi varios casus, in quibus Sacramentum Paenitentiae validum et informe esse et postea reviviscere possit; sed plerique ex his casibus sunt omnino impossibiles, ut ostendit *Palmieri* (p. 357 sqq.). Unus forte casus possibilis est hic, quem statuit *Suarez* (Disp. 20, sect. 5, n. 7): Aliquis commisit duo peccata, puta periurii et furti; unius oblitus alterum confitetur cum attritione supernaturali quidem et efficaci, sed ex motivo tantum speciali, quod omnino non refertur ad alterum peccatum. Quae si fiunt, adsunt omnia essentialia Sacramenti, quia attritio vera et supernaturalis adest, et tamen ex altera parte gratia dari nequit propter illud peccatum non retractatum. Ergo habetur Sacramentum validum sed informe. Nonnulli quidem theologi, ut *Vasquez* et *Coninck*, hanc doctrinam impugnarunt, quarum tamen obiectiones Cardinalis *de Lugo* solvit (Disp. 14, sect. 6), qui ait: „Manet ergo semper possibilis casus ille a P. Suarez positus . . . nec ego video argumentum, quo efficaciter possit reici“ (l. c. n. 88). Idem sentit *S. Alphonsus* (l. 6, n. 444). *Palmieri* vero putat casum esse psychologicè impossibilem, quia paenitens debet habere propositum universale vitandi omnia peccata, quod propositum necessario includat odium omnium peccatorum (De Paenit. p. 358). At hoc non videtur sufficere; nam requiritur detestatio dolorosa peccati commisi, quae non necessario includitur virtualiter in proposito vitandi in futurum omnia peccata.

174. Alium casum quidam excogitaverunt in hunc modum: Potest accidere, ut homo habeat attritionem de omnibus peccatis suis et propositum non peccandi de cetero, attamen peccatum non habeat odio ut summum malum, seu ut attritio non sit appetitativa summa, non quod homo aliud malum positive plus aestimet quam malum peccati, sed simpliciter sistendo in gradu inferiore aestimationis malitiae peccati. Unde talis attritio reapse non excludit voluntatem non peccandi pro quavis condicione, licet homo de hac re non cogitet, et sic non est sufficiens ad iustificationem etiam cum Sacramento Paenitentiae. Haec igitur attritio deficit in ratione dispositionis, sufficit vero in ratione partis sacramentalis. Nam confessarius potest quidem cum certitudine morali iudicare de existentia attritionis, at non de gradu sufficienti; ergo ad validitatem Sacramenti vera tantum attritio necessaria est, ad iustificationem autem requiritur attritio non solum vera sed etiam appetitativa summa. Unde in hoc casu Sacramentum remoto obice insufficientis attritionis reviviscit. Ita inter alios *Caietanus* in opusc. De Confessione q. 5.

Nihilominus non videtur hic casus a priore illo multum differre, quia uterque paenitens putat se habere sufficientem contritionem, cum non habeat. Neque apparet, cur confessarius minus bene possit iudicare de summa appetitativa quam de veritate attritionis; nam utrumque debet credere paenitenti pro se testanti, neque illa appetitatio est aliud atque

actus liber, quem num habeat, paenitens scire potest et per paenitentem confessarius. Et ita tota haec quaestio non videtur magni momenti.

175. *Schol. 2.* Num contritio debeat formaliter concurrere ad confessionem.

Sensus quaestionis est, utrum sufficiat aliquo tempore detestari peccata et postea confiteri eadem peccata sine nova contritione, an haec duo debeant moraliter coniungi. Solutio quaestionis maxime inde pendet, num contritio sit materia Sacramenti; nam si est, moraliter iungi debet cum forma. Cum autem probabilius sit materia, saltem dubius erit valor Sacramenti, si dolor quidem habitus est, sed sine ulla relatione ad Sacramentum. Potest autem accidere, ut aliquis hodie eliciat actum contritionis et cras ex motivo huius contritionis confiteatur, et hoc satis est; nam sufficit quaelibet moralis unio inter dolorem et confessionem, quae, quamdiu adsit, mathematice definiri nequit. Certe destruitur haec unio intercedente quolibet novo peccato mortali et facile etiam in dubium vocatur novo peccato veniali. — Si quis prius confitetur et dein ante absolutionem actum contritionis elicit eamque signo visibili manifestat, habetur dolorosa confessio, quia, licet fortasse prius mere historice peccata narraverit, ipsa expressio contritionis est nova accusatio eorundem peccatorum. Ceterae autem quaestiones, quae huc pertinent, a Casuistis tractantur (cf. *Suarez*, Disp. 20, sect. 4, n. 27 sqq. *S. Alphonsus* l. 6, n. 445 sqq. *Lehmkuhl* t. 2, n. 280 sqq.; paulo aliter iuxta suam sententiam de materia Sacramenti *Ballerini*, Opus morale vol. 5, p. 62 sqq.).

Patet autem in omni casu aliquem dolorem necessarium esse ad Sacramentum Paenitentiae, ita ut ne per actum quidem perfectae caritatis dolor suppleri possit (ut iam supra dictum est Prop. VIII in fine), etiamsi agatur de solis peccatis venialibus. Ratio est, quia contritio, i. e. dolor et detestatio, est pars et materia Sacramenti; unde deficiente detestatione Sacramentum nullum est (cf. *Suarez*, Disp. 20, sect. 6. *De Lugo*, Disp. 14, sect. 8, n. 108. *S. Alphonsus* l. 6, n. 449). Si tamen de solis venialibus agitur, sufficit habere verum dolorem de uno eorum, quae accusantur.

ART. III.

DE CONFESSIONE PECCATORUM.

Prop. XIII. Ad Sacramentum Paenitentiae recipiendum requiritur confessio formaliter integra omnium peccatorum mortalium, quae post Baptismum commissa necdum Sacramento Paenitentiae directe remissa sunt.

176. *Nota.* Confessio est secunda pars materialis Sacramenti Paenitentiae et definitur: Accusatio peccatorum facta sacerdoti potestatem

habenti ad eorum veniam impetrandam. Non est igitur mere historica narratio peccatorum, sed *accusatio*, quae fit iudici spirituali ad hoc, ut ipse sententiam ferat.

Interim loquimur de solis *peccatis mortalibus*; nam venialia, cum non impediunt salutem aeternam, non per se veniunt in quaestionem, ubi agitur de medio necessario ad consequendam vitam aeternam. Num autem possint esse materia sufficiens confessionis, postea dicetur.

Integra est accusatio, si omnia peccata, quae commissa necdum confessione deleta sunt, accusantur. Sed haec integritas est *obiectiva et materialis*, si omnia peccata accusantur, quae obiective exstant; est *subiectiva et formalis*, si omnia peccata accusantur, quorum confessio subiective possibilis est. Haec distinctio in eo fundatur, quod Christus Dominus Sacramentum Paenitentiae sicut alia Sacramenta instituit propter homines. Unde etiamsi integram esse confessionem peccatorum voluit, tamen non eo modo hoc intellegendum est, qui humanus non sit. Ergo accusatio, quae humanas vires moraliter vel etiam physice transcendit, certo intenta non est a Christo. Ita e. g. Christus non potuit velle, ut homines accusarent peccata, quorum conscientiam nullo modo haberent. Ergo eo ipso, quod Christus huius Sacramenti materiam humanos actus esse voluit, debuit etiam velle, ut haec materia humano modo poneretur, et ita hoc Sacramentum differt ab aliis, e. g. a Sacramento Baptismi, cuius materia invariabiliter eodem modo necessaria est neque a potentia physica vel morali hominum pendet.

177. Requiritur confessionem omnium peccatorum potest habere *duplicem sensum*: alterum absolutum, alterum hypotheticum. Aut enim potest significare omnes peccatores fideles obligari ad peccata sua clavibus ecclesiae subicienda; aut eos, qui velint Sacramentum Paenitentiae recipere, debere omnia peccata mortalia confiteri. Hoc alterum affirmamus hoc loco; i. e. ad Sacramentum Paenitentiae recipiendum requiritur confessio integram. Num peccatores teneantur ad recipiendum Sacramentum Paenitentiae, postea videbimus et affirmativum responsum interim ut certum supponimus. Sed hoc supposito adhuc quaeritur, utrum peccator possit modo unum modo aliud peccatum clavibus subicere, an necessario debeat omnia simul subicere, ita ut ad Sacramentum Paenitentiae recipiendum non solum requiratur aliqua confessio sed confessio omnium peccatorum.

In hac re sicut in multis aliis accidit, ut fundamentum quidem doctrinae habeatur in Sacra Scriptura, distinctior autem explicatio repetenda sit ex Traditione. Quid ex singulis fontibus theologicis probari possit, ex ipsis argumentis apparebit.

Arg. 1. Ex S. Scriptura.

Io. 20, 23 Christus apostolos eorumque successores instituit iudices ad ferendam sententiam de peccatis (Prop. III). Atqui hoc

munere sacerdotes debito modo fungi non possunt nisi supposita confessione peccatorum.

Ergo confessio peccatorum requiritur ad recipiendum Sacramentum Paenitentiae.

179. **Prob. min.** a) *Christus instituens apostolos iudices voluit profecto hoc munus ab eis exerceri, secundum quod postulat natura potestatis iudicialis.* Natura autem potestatis iudicialis praerequitur iudiciale cognitionem causae, de qua agitur. Porro causa, de qua agitur, sunt peccata remittenda. Ergo eorum cognitio iudicialis praerequitur, antequam sententia iudicialis de iis ferri potest. Iam vero cognitio haec ex natura rei aliunde haberi nequit nisi ex confessione paenitentis; nam in hoc tribunali maxime agitur de interno actu peccaminoso voluntatis, quia ille solus ratione sui est peccatum, actus vero externi eatenus sunt peccata, quatenus ab interno actu procedunt; et hac ratione distinguitur tribunal Paenitentiae a foro externo, in quo proxime et per se agitur de solis factis externis.

180. Deinde *ad tribunal Paenitentiae peccator debet volens, non coactus accedere*, quia nemo contra suam voluntatem liberatur a peccato. Libera autem subiectio paenitentis in eo est, quod sua peccata fatetur et eorum absolutionem petit. Ergo peccator, qui absolvi vult, debet peccata confiteri, a quibus absolvi vult (cf. *Suarez*, Disp. 18, sect. 3, n. 4). Non potest autem absolvi ab uno, nisi absolvatur ab omnibus, quia absolvitur per infusionem gratiae sanctificantis, quae cum omni peccato pugnat. Ergo quia ab omnibus absolvi debet, omnia etiam confiteri debet, nam secus iudex fert sententiam causa incognita. Peccata igitur mortalia, sicut inseparabiliter nexa sunt quoad remissionem, ita etiam inseparabiliter se habent quoad confessionem. Consequenter paenitens, qui petit absolutionem, debet, quia necessario petit absolutionem omnium peccatorum, necessario quoque omnia peccata confiteri (cf. *Suarez*, Disp. 22, sect. 1, n. 6).

Sola dubitatio oriri potest de iis peccatis, quae iam contritione vel alio modo extra confessionem deleta vel in confessione indirecte remissa sunt. Sed postea probabimus ex praeceptis Christi etiam haec peccata clavibus subicienda esse et secundum hunc respectum eodem modo se habere sicut peccata nondum remissa.

181. b) *Christus apostolis dedit potestatem non solum solvendi sed etiam ligandi*, id quod est de essentia potestatis iudicialis. Haec autem potestas aut pertinet ad culpam aut ad poenam. In quantum ad culpam refertur, continet obligationem omnibus et solis dignis absolutionem dandi; neque enim pro arbitrio Christus absolutionem dari vel negari voluit. Dignitas autem in eo consistit, quod peccator debitam

animi dispositionem habet, i. e. et sincere paenitet de peccatis et propositum habet non peccandi de cetero et vitandi occasiones proximas peccatorum et restitutiones vel alias satisfactiones praestandi, id quod interdum necessario etiam actualiter fieri debet iam ante absolutionem. Regulariter autem de his omnibus sacerdos iudicare nequit nisi praesupposita confessione peccatorum. Ipse enim iudex, non paenitens, de his rebus iudicium ferre debet; et quamvis per accidens fiat, ut hoc iudicium sine confessione formari possit, tamen Christi verba intellegenda sunt, secundum quod per se contingit. Ergo Christus voluit, ut peccator sacerdotibus statum animae suae ita aperiat, ut sacerdotes sciant, utrum peccata remittere possint an interim retinere debeant. Ad hoc autem requiritur confessio omnium peccatorum.

In quantum vero potestas ligandi referatur ad *poenas* statuendas pro peccatis, facile patet has poenas dimetiendas esse secundum multitudinem, magnitudinem, naturam peccatorum, ut in omni bono iudicio fieri solet. Ergo peccata prius confessione aperiri debent.

182. **Confirmatur.** Sine confessione et consequenter sine iniunctione debitae et salutaris poenae Sacramentum Paenitentiae non esset remedium sed incitamentum peccati, quia sine dubio homines multo facilius peccarent, si scirent se debere ad summum in genere confiteri se peccasse, ut statim impetrarent absolutionem. Sed *Sacramentum Paenitentiae institutum est ut medicina* contra morbos peccatorum, ita ut iudex spiritualis sit simul medicus animarum. Ut autem sua singulis morbis medicina applicetur, noti esse debent morbi, id quod quoad peccata aliter fieri nequit nisi per confessionem. Ergo ut potestas ecclesiae data remittendi et retinendi peccata sit medium salutis, confessio peccatorum necessaria est (*Suarez*, Disp. 22, sect. 1, n. 10).

183. Ergo ex institutione Sacramenti Paenitentiae recte considerata deduci possunt hae *conclusiones*:

a) *Christus directe quidem nihil dixit de confessione, sed, cum sacerdotes instituerit iudices, voluit, ut munere suo fungerentur iudiciali modo, ad quod requiritur confessio. Ergo confessio peccatorum est iuris divini et est necessaria non sola necessitate praecepti sed necessitate medii, quia ex natura actionis iudicialis derivatur.*

b) *Consequenter, ubi plane nulla est confessio, nullum esse potest Sacramentum Paenitentiae, ne in casu quidem extremae necessitatis.*

c) *Cum ex una parte Sacramentum Paenitentiae institutum sit ut universale et necessarium remedium peccatorum, ex altera vero parte confessio absolute perfecta sit impossibilis, dicendum est sufficere eam confessionem, quam homo cum morali possibilitate praestare potest. Ergo quando fit confessio eo modo, qui moraliter possibilis est, haec sufficit ad recipiendum Sacramentum Paenitentiae, quia aliqua*

sufficiens accusatio, non perfectissima accusatio est de essentia iudicii. Hinc homines saepe excusantur ab integritate materiali confessionis ob rationes, quas infra enumerabimus. Cum enim Paenitentiae Sacramentum principaliter sit institutum ad gratiam conciliandam quam ad iustitiae satisfaciendum, principalior ratio praevalere debet, et licet in ratione iudicii non omnia servari possint, tamen in casu necessitatis tandiu Sacramentum ministrandum est, quamdiu essentia iudicii non plane destructa censenda est.

184. d) In quantum vero adest potentia physica et moralis, *decla-
randa sunt omnia peccata gravia secundum numerum et speciem.* Nam peccata sunt materia, circa quam versatur actus iudicialis. Non potest autem iudex debito modo ferre sententiam circa materiam sibi non iudicialiter cognitam. Atqui non novit materiam, nisi novit numerum et speciem infimam peccatorum. Sicut enim unumquodque novum peccatum independentem a priori peccato nova macula afficit animam et novam materiam absolutionis praebet, ita alia species peccati aliam maculam affert et aliam materiam potestati iudiciali exhibet aliaque specie curationis indiget.

185. e) *Circumstantiae vero peccatorum, quae speciem vel numerum non mutant vel peccatum per se leve non reddunt grave, aut vice versa, per se non necessario explicandae sunt.* Ratio est, quia materia non est nova neque alia, et quia distincta explicatio circumstantiarum impossibilis est. Cum enim in confessione maxime agatur de malitia actus interni, circumstantia talis actus, ut maior minorve cognitio, intensitas, deliberatio, alia multa, plerumque peccatorem ipsum ita latent, ut eas explicare sit moraliter impossibile. Quare si exstaret lex eas saltem declarandi, in quantum moraliter fieri potest, homines perpetuo in summis anxietatibus versarentur et inutiliter seipsos inquietarent. Nam circumstantiae actus interni non sunt aliquid, quod sicut numerus et species peccatorum secundum obiectivam regulam determinari potest, sed maximam partem ex subiectiva aestimatione pendet. Cum autem lex necessario suos limites obiective determinatos habeat, Christus non potuit convenienter lege praecipere aliquid obiective plane indeterminatum. Ergo confessio circumstantiarum non est per se de praeepto, nisi forte in quantum necessaria est ad iudicium ferendum de occasione proxima, de restitutione facienda, de censura, vel similibus, quae forte confessario scitu necessaria sunt. Sunt quidem doctores, qui postulent confessionem circumstantiarum notabiliter aggravantium (cf. *Suarez*, Disp. 22, sect. 3, n. 5), sed contrarium hodie communiter docetur et est practice tutum (*S. Alphons.* l. 6, n. 468).

Haec igitur principia generalia de integra peccatorum confessione non quidem diserte et explicite a Christo ipso statuta sunt, sed verba,

quibus Sacramentum Paenitentiae institutum est, si rationabiliter explicantur, haec principia virtualiter omnino continent, unde haec omnia ex sola Sacra Scriptura cum sufficienti certitudine deduci possunt.

186. *Arg. 2. Ex doctrina et praxi veteris ecclesiae.*

Distinctam peccatorum confessionem supponunt canones paenitentiales, qui iam in primis Conciliis et in Patrum scriptis inveniuntur. Hi enim canones, cum pro variis peccatis internis et externis varias paenitentias imponendas esse doceant, peccata confessione manifestari aperte supponunt.

Inmo etiam ecclesiae orientales schismaticae et haereticae necessitatem confessionis agnoscunt, ut ostendit auctor operis „Perpétuité de la foi“ (t. 5, l. 3, c. 3 sqq. Cf. *Denzinger*, Rit. orient. t. 1, p. 105 sqq. *Bickell*, Zur Geschichte der Beicht im Orient. Zeitschrift für kath. Theol. t. 1, p. 410 sqq.).

187. *Arg. 3. Ex SS. Patribus.*

SS. Patrum dicta nonnulla iam audivimus supra (Prop. I et II), ut *S. Irenaei*, *S. Cypriani*, *S. Chrysostomi*, *S. Leonis*; et alia postea audiemus, ubi de praeepto recipiendi Sacramentum Paenitentiae agemus. Pauca igitur hic addamus, quibus ostendatur absolutionem sacramentalem necessario supponere confessionem.

Origenes: „Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa per Paenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrimis stratum suum, et fiunt ei lacrimae suae panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum et quaerere medicinam, secundum eum, qui ait: „Dixi, et pronuntiabo adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei“ (Hom. 2 in Levit. n. 4; *M* 12, 118; cf. 429. 560. 638).

S. Hieronymus, In Matth. c. 16, v. 19 (*M* 26, 118), comparat sacerdotes Novae Legis cum sacerdotibus Veteris Legis, qui debebant discernere inter lepram et lepram, et ait: „Sic et hic in Novo Testamento alligat vel solvit episcopus et presbyter non eos, qui insontes vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus, qui solvendus.“

S. Basilius: „Servanda est ratio eadem in peccatorum confessione, quae in detegendis corporis morbis. Ut igitur corporis morbos non omnibus patefaciunt homines nec quibusvis, sed iis, qui horum curandorum periti sunt, ita etiam peccatorum confessio fieri debet apud eos videlicet, qui ea curare possunt“ (Reg. brevior. 229; *M* 31, 1235). „Necesse est iis peccata confiteri, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei“ (Reg. 288; *M* 31, 1283).

S. Leo M.: „Illam etiam contra apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi,

modis omnibus constituo submoveri: de Paenitentia scilicet, quae a fidelibus postulat, ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficit solis sacerdotibus indicari confessione secreta" (Ep. 168 ad universos episc. Campaniae etc. c. 2; *M* 54, 1210).

Sozomenus: „In petenda venia peccatorum necessario confiteri oportet" (H. E. 1. 7, c. 16; *M* 67, 1459).

188. *Arg. 4.* Ex definitionibus Conciliorum.

De necessitate confessionis ante saec. XVI. definitiones Conciliorum factae non sunt, quia usque ad illam aetatem omnes coetus religiosi, qui se christianos dicebant, unanimiter fatebantur ad recipiendum Sacramentum Paenitentiae confessionem peccatorum esse necessariam. Potest tamen haec doctrina deduci ex *Conc. Lateran. IV* c. 21 (*Denzinger*, *Enchir.* 363), quia hoc Concilium praeceptum confitendi omnia peccata non statuit, sed tempus tantum confessionis determinavit (*Denzinger* l. c. 594 et 610 sq.).

Lutherus vero incipiebat docere confessionem omnium peccatorum non esse necessariam; „Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum; nec confidere in eum sed in confessionem nostram cupimus, ac per hoc volumus securi esse nec iudicium eius timere" (Sermo de Paenit. 1518)¹.

Hanc doctrinam reiecit *Conc. Trid.* (sess. 14, can. 7): „S. q. d. in Sacramento Paenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant . . . A. S." (*Denzinger* l. c. 795). Et in cap. 5 necessitatem confessionis derivat ex natura potestatis iudicialis: „Constat enim sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent" (*Denzinger* l. c. 779).

189. *Schol. 1.* Quae sint rationes excusantes ab integritate materiali confessionis.

Cum a materiali integritate excuset non solum physica impotentia, ut oblivio peccati, vel si moribundus sensibus destituitur, antequam confessionem perficere potest, sed etiam moralis impossibilitas, iuverit notare eas rationes, ob quas haec impossibilitas adesse censenda sit.

¹ „Auch hatt der priester genugsam czeichen und ursache, zu absolviren, wann er sieht, das man von im begeret der Absolution. Hoher ist er czu wissen nit verbunden" („Ein Sermon von dem sacrament der puss." 1519. n. 15).

Fundantur autem hae rationes vel in eo, quod lex cessat necessitati, vel in eo, quod lex naturalis praevalet prae lege positiva, vel in eo, quod extraordinaria obligatio imponi non debet, quamdiu non stricte probetur. Porro in plurimis casibus excusatio a materiali integritate tum tantum valet, cum adest vera necessitas confitendi, et quidem ei confessario, respectu cuius adest ratio excusans. Tandem manet obligatio postea, si fieri potest, confitendi peccata, quae distincte accusata non sunt. Sunt igitur rationes excusantes hae:

1. Articulus mortis, quando mors adeo imminens apparet, ut periculum sit, ne paenitens inter confitendum moriatur, antequam absolutionem accipiat. Idem valet, si forte aliquando confessio necessario facienda sit confessario morti proximo.

2. Iis, qui ob defectum loquelae vel ignorantiam idiomatis peccata ore confiteri nequeunt, obligatio imponi non debet confitendi per scriptum vel per interpretem.

3. Defectus temporis, ut si milites ad pugnam exeunt, vel aliud vitae periculum proxime imminet (*Suarez*, *Disp.* 23, sect. 1).

4. Periculum contagionis, quod ex diuturna confessione prudenter timetur (*Suarez* l. c.).

5. Periculum novi lapsus in peccatum, quod ex distincta recogitatione vel narratione peccatorum in paenitente vel in confessario praevidetur.

6. Periculum famae, si confessio fieri nequit, quin alii, ad quos de iure non pertinet, in notitiam criminum veniant, ut si confessio fieri debet, ubi multi angusto loco simul sunt (*Suarez*, *Disp.* 23, sect. 2). Item excusat fundatus timor cuiuslibet gravis damni temporalis ex confessione secuturi.

7. Periculum laesionis sigilli, ut si sacerdos peccatum confiteri nequit nisi revelando ea, quae ipse ex sola confessione novit. Item secundum quosdam si peccatum accusari nequit nisi cum diffamatione complicitis. De quo casu vide plura apud *Lehmkuhl* (II, n. 333).

8. Tandem non est obligatio manifestandi peccatum reservatum confessario, qui ab eo absolvere nequit (*S. Alphons.* l. 6, n. 265); sed quod attinet casus papales, in casu urgentis necessitatis quilibet confessarius absolvere potest cum onere subsequentis recursus ad S. Sedem (cf. *Ballerini*, *Opus morale* V, n. 665 cum nota).

190. *Schol. 2.* Num confessio necessario verbis fiat.

Confiteri potest peccata sua aliquis variis modis, quorum maxime naturalis et communis est, ut verbis proprie dictis peccata sua exprimat. Sed quaeritur, num hoc ita necessarium sit, ut absolute alio modo fieri nequeat. Quaestio igitur non est, num sine ratione aliter ac per verba confiteri liceat; nam ex constanti ecclesiae usu et consuetudine oralis confessio omnino praescripta esse censenda est; quapropter sine rationabili causa praetermisso hoc confessionis modo

velle alio uti esset gravis mutatio in re gravi et pertinenti ad cultum publicum; ideoque secundum plurimos esset peccatum grave (Suarez, Disp. 21, sect. 3, n. 6. Cf. tamen *Ballerini*, Opus morale V, n. 453).

191. Hoc non obstante potest quaeri, num aliquando valida et licita esse possit confessio facta non viva voce, sed nutu vel scripto vel alio signo sensibili; nam sensibile debere esse signum in omni casu patet, tum quia aliter homines hominibus conceptus manifestare non possunt, tum quia sine ulla sensibili accusatione iudicium existere nequit.

Dicendum est in casu necessitatis, i. e. si moraliter vel physice impossibilis sit confessio oralis, sufficere quodlibet signum, quo paenitens, quantum fieri potest, peccata sua accusat. Hinc surdo-mutus vel ignarus idiomatis vel aegrotus loquendi facultate destitutus solis signis, i. e. nutibus vel scripto, confiteri possunt. Ita S. Thomas, qui hanc rationem reddit: „Quia non exigitur ab homine plus quam possit. Quamvis homo non debeat Baptismum accipere nisi in aqua, quia aqua est omnino ab exteriori et nobis ab alio exhibetur. Sed actus Confessionis est a nobis, et ideo, quando non possumus uno modo, debemus, secundum quod possumus, confiteri“ (In 4, d. 17, q. 3, a. 4, solut. 3 ad 2). Et consentiunt theologi dogmatici longe plurimi et similiter casuistae, qui etiam dicunt absolutionem tunc non esse condicionate sed absolute dandam (S. Alphons. l. 6, n. 479. 480).

Ratio est, quia omnia requisita Sacramenti adsunt; nam paenitens se subicit clavibus ecclesiae et aperit iudici causam suam, quantum potest; plus autem non postulatur. Ergo quia dubitatio nulla est de materia valida, absolutio danda est sine condicionem. Et ita semper fuit et est praxis ecclesiae, quae diserte praescribitur in Rituali Romano: „Quodsi inter confitendum vel etiam antequam incipiant confiteri, vox et loquela aegro deficiat, nutibus et signis conetur, quoad fieri poterit, peccata paenitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se sive per alios, ostenderit, absolvendus est“ (De Sacr. Paenit. c. 1, n. 24).

192. *Schol. 3. Num sit de necessitate confessionis, ut paenitens sacerdoti praesenti immediate et per se ipsum revelet peccata sua.*

Iterum non quaeritur, num sine rationabili causa aliter agere sit licitum. Constat enim esse graviter illicitum propter contrariam ecclesiae consuetudinem et prohibitionem, quae nititur lege divina (Suarez, Disp. 21, sect. 4, n. 4).

Si autem quaeritur, *num in casu necessitatis, i. e. si agitur de moribundo, hinc et nunc sensibus destituto, confessio absenti per internuntium vel testes vel per epistolam facta sit valida, hodie doctores unanimiter affirmativam sententiam ut omnino certam docent, et commu-*

niter etiam dicunt absolutionem tunc dandam esse sine condicionem (cf. S. Alphons. l. 6, n. 481). Et probatur iisdem argumentis ac sententia, de qua in Scholio praecedenti.

193. Sed cum hac quaestione cohaeret historica difficultas quoad doctrinam P. Suarez. Quo enim tempore scribebat Suarez tractatum de Sacramentis, in curia Romana agebatur de opinione quorundam doctorum, ut Paludani¹, Petri Soto, Ioannis Medina, aliorum doctentium validum esse posse Sacramentum Paenitentiae, si quis absens confiteretur et absolveretur. De qua re Clemens VIII. decretum edidit huius tenoris: „Re mature ac diligenter considerata hanc Propositionem, scilicet licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit et prohibuit praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus, contionibus et congressibus doceatur, neque umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur“ (Denzinger l. c. 962).

Hoc decretum cum Suarez accepisset, haec suo tractatui inseruit: „Breviter ac sincere referam, quae iam scripseram et typis mandaveram, priusquam decretum apostolicum editum et ad me perlatum fuisset“ (De Paenit. disp. 19, sect. 3, n. 1). Dein duas illas quaestiones de absolutionem et de confessionem separatim tractat et de priori haec scribit: „Sententiam [quae negat validitatem absolutionem absenti datae] veram censeo quam anno 1588 Compluti publice docui et iterum in primaria lectione huius insignis Academiae Conimbricensis anno 1598“ (l. c. n. 7), quam negantem sententiam multis rationibus confirmat.

194. In quaestione vero de confessionem absenti facta imprimis statuit „per se loquendo necessarium esse, ut sacerdos in praesentia paenitentem eius confessionem audiat, immo et immediate ab ipso, si fieri potest, esseque grave peccatum hunc modum confitendi voluntarie mutare“ (Disp. 21, sect. 4, n. 4).

Tum vero citat sententiam, quae asserit: „hoc non esse ita essentialia Sacramento, quin in eo casu, in quo sacerdos veniens ad absolvendum paenitentem morti vicinum et inveniens illum ita privatum usu omnium sensuum, ut nullum signum peccati aut doloris ab eo possit obtineri, possit esse contentus aliorum relatione ad absolvendum illum; tunc enim non audit confessionem in praesentia, et nihilominus

¹ Haec habet Paludanus: „Quodsi [paenitens] non possit ire nec accersere sacerdotem, non tenetur quidem scribere et mandare peccata. Sed tamen, si ipse vult, licet ei scribere et mandare, et illi rescribere et remandare absolutionem“ (In 4, d. 17, q. 2, a. 1).

ait haec opinio sufficere hanc confessionem, ut licite et valide detur absolutio* (l. c. n. 5). Pro qua sententia citat multos doctores et decreta Conciliorum provincialium et S. Leonis M. Epist. 89 (vel 91) et ita concludit: „Propter haec decreta et propter usum ecclesiae censui semper hanc opinionem esse veram et piam et conformem Christi institutioni* (l. c. n. 10). Deinde studet ostendere decretum Clementis non obstare huic doctrinae: „Existimo non fuisse mentem Sanctissimi de hac opinione tractare, sed solum de illa, quae dicit Sacramentum Paenitentiae posse perfici ac consummari inter absentes; atque ita illam particulam ‚et‘ non esse divisive sed complexive sumendam; praecipue illud damnasse propter eos, qui dicebant absolutionem posse dari in absentia* (l. c.).

195. Verum haec explicatio nequaquam omnibus placuit, sed potius Suesii adversarii effecerunt, ut S. Congr. Inquisit. die 31. Iulii 1603 decreverit hunc tractatum Patris Suarez esse emendandum. Quare Suarez scripsit defensionem doctrinae suae, quod opusculum edidit *Ioannes Bapt. Malou*, episcopus Brugensis (R. P. Suarez opuscula sex inedita. Bruxellis 1859). Anno 1604 Suarez Romam venit, ut hunc libellum summo pontifici offerret et cum eius licentia ederet. Sed Clemente mortuo (1605) res delata est ad Paulum V., qui 14. Iulii 1605 declaravit decretum Clementis etiam valere in sensu diviso, i. e. de confessione seorsum sumpta, et S. Congregatio statuit sectionem 4 disputationis 21 ex tractatu Patris Suarez de Paenitentia eliminandam esse (*Malou* l. c. p. XVII sq.), quod tamen numquam factum est. Clemens vero VIII. iam antea interrogatus responderat se non intendere casum, quo moribundus sensibus destitutus, quem astantes absolutionem petiisse testarentur, absolvendus esset (*Denzinger* l. c. 963). Hic autem est unicus casus, in quo P. Suarez confessionem absenti factam posse et debere sufficientem iudicari docuerat.

S. Alphonsus docet doctrinam Patris Suarez omnino tenendam esse neque tangi decreto Clementis VIII. (l. 6, n. 481). Immo Suarez ipse testatur se audivisse vel ab ipsis summis pontificibus doctrinae, quam tradiderat de absolutione moribundi, nihil obstare: „Ita intellexi ex ipsomet fere Clemente VIII. idemque audivi ex ore sanctissimi domini nostri Pauli V. et plurium illorum cardinalium; quod ideo commemoro, ne aliquis existimet per decretum Clementis esse aliqua ex parte derogatum probabilitati et pietati huius communis sententiae“ (*Malou* l. c. p. 127. Cf. *de Lugo*, Disp. 17, n. 77).

Itaque sententia Patris Suarez de absolvendo moribundo, qui praesenti sacerdoti confiteri non potest, omnino tuta et hodie communis est; si quis vero explicationem decreti Clementis ita extendere vellet, ut etiam praeter casum moribundi confessio absenti facta censenda esset non damnata, hoc esset erroneum; neque ipse Suarez umquam ad alium casum praeterquam ad moribundum absolvendum explica-

tionem suam extendit. Itaque utrumque simul consistere potest: et decretum Clementis in sensu quoque diviso valere, et doctrinam Patris Suarez esse omnino tutam. Nam propositio universalis: Confessio absenti facta est valida, potest esse et est falsa; et simul sententia particularis: Confessio moribundi per testes facta est valida, prout in casu a Patre Suarez exponitur, potest esse et est vera. Licet insuper addere: Illud decretum Clementis loquitur de confessione strictissime dicta, qua quis explicite confitetur delicta sua; Pater Suarez autem loquitur de confessione minus stricta, qua quis manifestat desiderium confitendi, quae manifestatio sufficiens confessio sacramentalis habenda est, quando confessio magis explicita est impossibilis (cf. *de Lugo*, De Paenit. disp. 17, sect. 4). Unicus igitur defectus in doctrina Patris Suarez est, quod nimis indeterminate dixit decretum Clementis sumendum esse in sensu diviso, quamvis ipse in contextu expresse hoc restrinxerit ad casum moribundi sensibus destituti (cf. *Wirceburg*. n. 187 et 193).

196. Ceterum quotiescumque confessio certo modo facta est universaliter illicita, necessario etiam est invalida, quia non satisfacit formalitatibus, ut ita dicam, a Christo pro hoc iudicio institutis. Nam si certus modus confitendi esset illicitus ob solam legem ecclesiasticam, posset aliquando esse licitus, quia lex mere ecclesiastica non obligat cum gravissimo incommodo.

Prop. XIV. Peccata venialia non necessario accusanda sunt, constituunt tamen materiam sufficientem absolutionis; et idem valet de peccatis sive mortalibus sive venialibus iam confessione deletis.

197. *Pars I. Peccata venialia non necessario accusanda sunt.*

Hoc definitum est a Conc. Trid. (sess. 14, c. 5): „Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt“ (*Denzinger* l. c. 779). Ratio est institutio a Christo facta, de qua nobis per Traditionem constat. Potest vero a priori quoque haec res facile explicari. Nam Sacramentum est signum efficax gratiae; ad delendum autem peccatum veniale infusio novae gratiae sanctificantis neque requiritur neque sufficit, quia nullus gradus gratiae est, qui cum peccato veniali pugnet, licet aliunde peccatum veniale numquam remittatur sine augmento gratiae, ut supra dictum est (Prop. VIII, Schol.). Ergo Sacramentum per se non est institutum ad remittenda venialia, et proinde etiam sine confessione venialium Sacramentum Paenitentiae validum et licitum est (cf. *S. Thom.* 3, q. 88, a. 2). Ob eandem

causam unum peccatum veniale sine alio remitti potest, quia non ita inter se nectuntur sicut peccata mortalia, cum nullum peccatum veniale sit aversio a Deo, sed aliqua inordinata conversio ad creaturas. Potest autem inordinata conversio ad unam creaturam tolli, licet alia maneat.

198. *Pars II.* Peccata venialia sunt materia sufficiens absolutionis.

Contrarium docuit *Lutherus* in Sermone de Paenitentia (1518), quae doctrina damnata est a Leone X. in Bulla „Exsurge, Domine“ art. 8: „Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia“ (*Denzinger* l. c. 632). Item a Concilio Trid. l. c. et sess. 14, can. 7: „S. q. d. non licere confiteri peccata venialia; A. S.“ (*Denzinger* l. c. 795). Similiter Pius VI. damnavit art. 39 Synodi Pistor.: „Declaratio Synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tanto opere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur huiusmodi confessiones, temeraria, perniciose, sanctorum ac piorum praxi a Sacro Concilio Trid. probatae contraria“ (*Denzinger* l. c. 1402).

Et sane nulla est ratio, cur potestas, quam Christus dedit ecclesiae, remittendi peccata, non extendatur ad peccata venialia. Retineri quidem non possunt peccata venialia, quia talis naturae sunt, ut quolibet bono opere deleantur. Ergo verba Christi, quibus Sacramentum Paenitentiae instituit, partim applicari possunt ad peccata venialia, partim non possunt, id quod non est propter tenorem verborum sed propter subiectam materiam, quae non principaliter sed secundaria ratione ad hoc Sacramentum pertinet.

Porro dicere licet convenienter aliter institui non potuisse Sacramentum Paenitentiae, nisi ut etiam valeat ad delenda peccata venialia. Secus quilibet, qui veniret ad confessionem, eo ipso statim proderet se commisisse grave peccatum, et ita confessionis onus per se iam satis arduum valde augetur, et multi homines a confessione avertentur.

199. Unica difficultas est, quomodo ex opere operato peccatum veniale remitti possit, nisi simul cum mortali accusetur, quia iam praecedente actu contritionis, qui necessarius est ad Sacramentum, remittatur. Sed ad hoc dicendum est non repugnare, quominus ea, quae iam remissa sunt, iterum remittantur, ut statim dicetur, et cum Sacramentum Paenitentiae praeter remissionem peccati etiam gratiam sanctificantem et alios effectus salutes habeat, nequaquam inutile est confiteri peccata venialia. Immo si homo de aliquo saltem peccato attritionem habet, non improbable est Sacramentum Paenitentiae habere virtutem delendi omnia peccata venialia, quae homo confitetur, licet paenitens non habeat talem dispositionem, quae per se sufficiat ad ea delenda, dummodo actualem complacentiam eorum non habeat (*Suarez*, Disp. 12, sect. 1, n. 4 sqq.). Alii autem non concedunt

attritioni virtutem delendi peccata venialia per se solam (ut *Wirceburg.* n. 59), sed immerito, ut videtur, hoc negant (cf. *de Lugo*, Disp. 9, sect. 2, n. 29 sqq. et sect. 3, n. 53 sqq.), quamvis concedi possit non quovis actu attritionis tam perfecte deleri peccata venialia quoad culpam et poenam, ut nihil iam Sacramento Paenitentiae delendum relinquatur.

Pars III. Etiam peccata iam confessione remissa sunt materia sufficiens Sacramenti Paenitentiae.

200. Constat ex constitutione *Benedicti XI.* „Inter cunctas“, in qua pontifex, postquam dixit paenitentes non teneri ad ea peccata, quae sacerdotibus religiosis confessi essent, rursus sacerdotibus propriis confitenda, addit: „Ceterum licet (sicut praedicatur) de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata, tamen, quia propter erubescitiam, quae magna est paenitentiae pars, ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre, districte iniungimus, ut Fratres ipsi confitentes attente moneant et in suis praedicationibus exhortentur, quod suis sacerdotibus saltem semel confiteantur in anno, asserendo id ad animarum profectum procul dubio pertinere“ (*Extravag. comm.* l. 5, t. 7, c. 1).

201. Eandem doctrinam proponit *S. Thomas* et rationem, cur bonum sit apud sacerdotem proprium repetere peccatorum confessionem, hanc reddit: „Quanto pluribus sacerdotibus confitetur quis, tanto plus de poena ei remittitur, tum ex erubescitiam confessionis tum ex potestate clavium. Unde toties aliquis posset confiteri, quod ab omni poena liberaretur, nec reiteratio iniuriam facit Sacramento“ (*In 4, d. 17, q. 3, a. 3, sol. 5 ad 4*). Consentunt alii doctores, vix ullo excepto. „Communis et certa sententia est haec peccata esse sufficientem materiam, si quis ea iterum confiteri velit“ (*Suarez*, Disp. 18, sect. 1, n. 6). Idem efficitur ex piorum hominum consuetudine et sanctorum commendatione, ut *S. Ignatii*, qui in libello *Exercitiorum* quam maxime invitatur ad „generalem confessionem“ eamque in Constitutionibus praescribit iis, qui in Societate Iesu vivunt.

202. Ratio, cur peccata remissa sint materia sufficiens, haec est, quia semper manent peccata commissa. Quia igitur semper verum est hominem peccatum commisisse, Deus semper vere potest dicere: Ego tibi illud peccatum remitto, „quia non mentitur, qui post dimissum semel debitum vel offensam iterum rogatus dicit se dimittere. Nam sicut, qui semel se obligavit alicui ad aliquid praestandum, potest iterum se ei obligare ad idem, et, qui semel vovit, vovet iterum et iterum et promittit saepius idem obiectum, sic, qui remisit debitum, potest iterum remittere; nam remittere in rigore est obligare se per cessionem iuris ad non utendum iure acquisito ratione offensae in

ordine ad talem vel talem effectum* (De Lugo, Disp. 13, sect. 6, n. 73). Deus enim, sicut legitur saepe eandem promissionem repetivisse (e. g. Gen. 12, 2; 15, 5; 17, 5; 22, 17), ita etiam saepe potest promittere se nolle uti iure suo, quod propter peccata nostra habet in nos. Unde securitas maior paenitentibus accrescit et magna pax animi conciliatur.

Deinde vero notandum est hanc promissionem Dei non esse mere verbalem, sed semper cum effectu reali coniungi, quia semper fit cum infusione gratiae sanctificantis, et ideo sensus formae absolutionis realiter hic est: „Ego tibi confero gratiam, quae est et signum et, quantum est ex se, causa remissionis peccatorum.“ Simul vero semper cum gratiae infusione aliquid poenae temporalis remittitur (Suarez, Disp. 18, sect. 1, n. 10).

203. Attamen non sufficit in tali confessione dicere: Habeo poenam relictam ex praecedentibus confessionibus, tum quia paenitens hoc ignorat, tum quia obiectum, in quod directe fertur absolutio, est culpa. Ergo *neesse est accusari culpam*. Neque sufficit se accusare de culpa omnino generaliter: Peccavi, peto absolutionem. Quando enim adest moralis possibilitas plus dicendi, Christus censendus est noluisse, ut absolutio daretur, nisi aliquod peccatum sit determinate cognitum. Talis enim accusatio per se ex natura actionis iudicialis postulatur. „Dico ergo, licet homo absolute non teneatur species peccatorum venialium confiteri, tamen supposito quod vult confiteri, teneri ad exhibendam materiam omnino certam, si potest, et ideo debere aliquod peccatum veniale in particulari suo arbitrio confiteri“ (Suarez, Disp. 23, sect. 1, n. 10). Neque admittendum est, quod quidam dicunt (Gury-Ballerini II, n. 421), ex interna iudicii sacramentalis essentia non requiri distinctam accusationem sed ex positiva Christi institutione; ex hac autem non posse in nostro casu necessitatem distinctae accusationis derivari. Neque enim confessio distincta necessaria est ad validitatem Sacramenti necessitate tantum praecepti sed necessitate medii, quia sequitur ex natura iudicii. Necessitas autem medii in solo casu impotentiae suppleri potest per votum medii. Qui igitur potest distincte declarare peccatum, a quo absolvi cupit, et solum non vult, hic distinctam confessionem neque in re habet neque in voto. Ergo nullo modo affert ea, quae requiruntur ad validitatem Sacramenti. Illa autem verba: distinctam confessionem non esse de essentia iudicii paenitentialis, quia potest aliquando abesse, cum essentia rei sit immutabilis, ambigua sunt. De essentia enim Sacramenti est confessio distincta moraliter possibilis, quae numquam debet abesse, obiectum autem possibilitatis potest variari. Secus etiam distincta confessio materiae necessariae non sequetur ex essentia iudicii, ut *Conc. Trid.* docet, cum aliquando possit abesse.

204. Ergo peccata iam remissa non necessario quidem iterum accusanda sunt, sed, qui a peccato iterum absolvi vult, debet dicere, a quo peccato. Ex altera vero parte, cum materia sit libera, *tanta determinatio non requiritur, quanta, si agitur de materia necessaria*. Potest enim in materia libera unum peccatum sine altero denuo remitti, neque ad dispositionem paenitentis cognoscendam aut ad debitam satisfactionem imponendam tam clara cognitio necessaria est. Quare sufficit in tali casu dicere: graviter vel leviter peccavi contra talem virtutem. Num vero confessio sufficienter determinetur, si quis tantum dicat: graviter peccavi, videtur ob rationes allatas valde dubium, si nulla alia materia confessionis proponatur. Nam non convenienter fieri posse iudicium supposita tam generali confessione videtur satis clarum, et ideo extra casum necessitatis non est permittendum.

205. Tandem notandum est, si quis velit post solam generalem accusationem etiam extra casum necessitatis absolutionem dare, debere eum non pro probabili sed pro certa habere sententiam, qua talis confessio sufficiens ad validitatem censeatur. Nam illicitum est „in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, tutiore relicta“ (*Denzinger* l. c. 1018). Opinio autem statuens sufficientiam confessionis omnino generalis ad valorem Sacramenti vix certa dici poterit, cum a multis eximiis doctoribus ut falsa reiciatur vel saltem in dubium vocetur, ut a *Suarez* (l. c.), *Vasquez* (De Paen. q. 90, a. 2, n. 13, in fine), *Laymann* (De Paen. c. 5, n. 14), *Lehmkuhl* (II, n. 264 sqq.). Immerito pro contraria opinione ad *Card. de Lugo* disp. 17 provocant, quia ille loquitur de solo casu, in quo plenior confessio est moraliter vel physice impossibilis. Semper autem attende in tota hac quaestione agi de iis, quae requiruntur ad valorem Sacramenti, non de liceitate tantum vel de praecepto peccata subiciendi clavibus ecclesiae. Peccata remissa sunt materia libera; sed ut materia libera sit materia sufficiens ad constituendum Sacramentum, debet aliquo modo esse determinata. Practice igitur paenitentes omnino inducendi sunt, ut aliquod peccatum in specie accusent. Haec omnia dicta sunt in suppositione, quod paenitens affert sola peccata iam antea confessione deleta; nam si etiam accusat peccatum novum, hoc sufficit ad constituendam materiam Sacramenti.

206. *Schol. 1.* Num ad valorem Confessionis necesse sit accusari peccata mortalia dubia.

Solutio huius quaestionis non tam pendet ex doctrina de Confessione quam ex doctrina de lege et de probabilismo. Itaque, quamvis multae distinctiones hic fieri possint, haec notasse sufficiat: Si quis ob positivas et prudentes rationes censet conscientiam suam gravari peccato post Baptismum commisso necdum confessione deleta, et nullas

positivas rationes contrarias habet, sed solum ideo dubitat, quia rationes affirmantes existentiam peccati non sunt plane efficaces, tenetur ad haec peccata confitenda, et quidem ut dubia. In omni vero alio casu non tenetur. Ratio est, quia ad regulandos actus nostros rationabiliter requirere non possumus plus, quam ut omnis et solida probabilitas stet ex una parte; nam ex hac speculativa probabilitate iudicium practice certum de rectitudine actionis formatur. Ubi vero dubium ex utraque parte vel mere negativum vel solidum et positivum est, res tandem deducitur ad quaestionem de obligatione legis dubiae. Ergo quia in tali casu non potest deduci obligatio confessionis ex natura iudicii paenitentialis, manet libertas. Utrum vero tunc utilius sit confiteri annon confiteri illud peccatum, pendet ex statu paenitentis. Periculum vero per se nullum est in omittenda confessione talis peccati, quia hoc peccatum simul cum aliis per absolutionem remittitur (*Suarez*, Disp. 22, sect. 9. *S. Alphons.* l. 6, n. 470 sqq.).

207. *Schol. 2.* De indirecta remissione peccatorum.

Peccata, quae quis accusavit in confessione, per absolutionem *directe remitti*, peccata vero, quae sine culpa omissa sunt, *indirecte remitti* dicuntur. Id est, ipsa sententia iudicialis qua talis non cadit in peccata omissa, quia nihil potest esse obiectum huius sententiae, nisi sit debito modo accusatum. Sed quia in foro Paenitentiae sententia efficit, ut paenitens accipiat gratiam sanctificantem, et quia gratia sanctificans expellit omne peccatum, ideo necessario etiam peccata omissa remittuntur, *directe per gratiam sanctificantem, indirecte per sententiam iudicalem.*

208. Sed difficile est explicare, *quid directe remittatur, si in casu necessitatis generalissima tantum confessio fiat.* Plerumque dicunt tunc absolutionem terminari *directe ad peccatum secundum rationem communem* (*Suarez*, Disp. 23, sect. 1, n. 11). Quod responsum non sufficiens videtur Cardinali de Lugo, qui propterea studet illud magis determinare, et supposito hominem, qui ita absolvitur, commisisse e. g. adulterium, dicit: „per remissionem directam adulterii secundum rationem communem peccati mortalis Deum se *directe obligare ad non irascendum propter illud peccatum sicut antea; quantum autem debeat indignationis et aversionis remittere, non continetur in illa promissione, qua posset minus et minus remittere, sicut possent esse minora et minora peccata mortalia, quae continentur sub illa ratione communis peccati mortalis.* . . . Sic nullus est gradus determinatus gravitatis vel malitiae in adulterio, quem Deus non remittat *indirecte, siquidem potuisset minus indignationis remittere ex vi praecisa remissionis, qua remittit illud sub ratione communi, atque ideo nullus est gradus malitiae determinatae gravis, qui non debeat explicari postea*

[si distincta confessio fit], quia indignationis illi correspondentis remissionem non afferebat *directe remissio directa adulterii secundum rationem communem.* De facto tamen Deus remittit *indirecte et totam gravitatem propriam adulterii et omnia alia peccata mortalia*“ (*Disp.* 17, sect. 1, n. 16).

Prop. XV. Neque confessio publica neque confessio privata est de necessitate Sacramenti, sed uterque modus confitendi per se est validus.

209. Postquam egimus de substantia confessionis, iam agendum est de *modo* eius, utrum debeat esse secreta an publica. *Confessio secreta* ea dicitur, quae fit coram solo sacerdote, ita ut peccata aliis manifesta non fiant; quae etiam vocatur confessio auricularis. *Publica* vero est confessio, quae coram multitudine fit, ut olim in vetere ecclesia fieri solebat. Hic proxime non quaerimus, num ecclesia unum vel alterum modum tamquam magis convenientem praescribere possit, sed solum dicimus utrumque modum per se sufficere ad valorem Sacramenti; quamvis ex dicendis solutio illius quoque quaestionis per se fluat.

210. *Pars I.* Publica confessio non est de necessitate Sacramenti.

Arg. 1 (negativum). Ex. S. Scriptura.

Necessitas confessionis derivatur ex verbis institutionis Sacramenti Paenitentiae (Io. 20, 23). Atqui haec verba nullo modo ostendunt confessionem publicam esse necessariam. Nam licet his verbis Christus significaverit Paenitentiae Sacramentum administrandum esse per modum iudicii, quia tamen hoc iudicium ad forum conscientiae pertinet et plane libere subiri debet, *requiritur et sufficit illa accusatio, quae a solo paenitente soli sacerdoti fit, cum per talem accusationem character iudicii omnino servetur, et alius testis de peccato interno haberi non possit.*

Immo *hic solus modus est consentaneus.* Nam non sola peccata publica sed etiam secreta et ipsae etiam cogitationes peccaminosae confitendae sunt. Esset autem ultra humanam condicionem difficile, si haec secreta cordis ab omnibus in multorum hominum contione deberent manifestari; immo praeter laesionem famae non raro possent alia gravissima incommoda temporalia ex tali confessione oriri, et saepe esset summopere scandalosum, si cogitationes pessimae et dicta et facta abominabilia in publico manifestarentur. Unde tantum abest, ut Christus censendus sit hoc voluisse, ut clare appareat eum nequam ita instituisse Sacramentum hoc, ut cuilibet liceret, quaecumque vellet, coram omnibus manifestare. Cum igitur hoc contra ipsam legem naturalem sit, non solum non necessarium est, sed ne licet

quidem indiscriminatim publice confiteri. Hoc ipso statim patet non posse publicam confessionem omnibus lege humana praecipere (Suarez, Disp. 21, sect. 2, n. 5. 6).

211. *Arg. 2. Ex SS. Patribus.*

Prima distinctio inter publicam et privatam confessionem videtur inveniri apud S. Irenaeum, qui de mulieribus ex haeresi conversis narrat: „Quaedam quidem etiam in manifesto exomologesin faciunt (αἱ μὲν καὶ εἰς φανερόν ἐξομολογοῦνται), quaedam autem reverentes hoc ipsum in silentio sensim semetipsas retrahunt“ (Adv. haer. l. 1, c. 13, n. 7; M 7, 591). Quem textum merito ita exponunt: Mulieres illae prius privatim confessae erant delicta sua; sed quia haec delicta publice nota erant, pro paenitentia iis iniungebatur, ut ea etiam publice confiterentur, quod quaedam praestiterunt, quaedam vero noluerunt (cf. Probst, Sacramente p. 285).

212. S. Cyprianus (De lapsis c. 28; H 1, 257) loquens de sacrificatis et libellaticis, qui nolebant delicta sua confiteri, dicit: „Quanto et fide maiore et timore meliore sunt, qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesin conscientiae faciant, animi sui pondus exponant, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirant.“ Qui textus sane multo magis sonat privatam confessionem quam publicam.

213. Clarius testimonium habetur apud Origenem: „Vide, quid edocet nos Scriptura, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur; ita etiam hi, qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum intrinsecus, urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat et confiteatur, simul evomit et delictum atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmare cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et patiendi noverit disciplinam; ita ut dederit et misericordem, facias et sequaris. Si intellexerit et praeviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est“ (Hom. 2, n. 6 in Ps. 37, v. 19; M 12, 1386).

214. S. Basilius in Epist. canonica 2 ad Amphilochem can. 34 ait: „Adulterio pollutas mulieres et confitentes ob pietatem vel quomodocumque convictas publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam praebeamus; eas autem stare sine Communionem [i. e. in quarto paenitentium gradu] iusserunt, donec impleretur tempus paenitentiae“ (Epist. 199; M 32, 727). Si autem haec delicta publice confitenda fuissent, nullum sensum haberet haec cautela, qua providebatur, ne propter paenitentiam publicam in suspicionem patrati criminis venirent.

215. De S. Ambrosio refert Paulinus, eius notarius, in „Vita“ (n. 39; M 14, 40): „Erat etiam gaudens cum gaudentibus et flens cum flentibus (Rom. 12, 15), si quidem, quotiescumque illi aliquis ob percipiendam paenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum iacente iacere. Causas autem criminum, quae illi confitebatur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint quam accusatores apud homines.“

216. S. Augustinus: „Iudicet se ipsum homo in istis [peccatis suis] voluntate, dum potest, et mores convertat in melius; ne, cum iam non poterit, etiam praeter voluntatem a Domino iudicetur. Et cum ipse in se protulerit severissimae medicinae sed tamen medicinae sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in ecclesia claves ministrantur; et tamquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a praepositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum; ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem sed etiam ceteris ad exemplum. Ut si peccatum eius non solum in gravi eius malo sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati ecclesiae videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere paenitentiam non recuset, non resistat, non lethali et mortiferae plagae per pudorem addat tumorem“ (Sermo 351, n. 9; M 39, 1545). Ergo praecedebat confessio privata, et, solum si conveniens videbatur, sequebatur paenitentia publica.

217. S. Leo M. severe reprehendit novam consuetudinem a quibusdam introductam omnia peccata in publico confitendi: „Illam etiam contra apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovimus a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne de singulorum peccatorum genere libello scripta confessio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quae propter Dei timorem apud homines

erubescere non veretur; tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea, qui paenitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a Paenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt aut metuunt inimicis suis facta reserari, quibus possunt legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quae primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis paenitentium precator accedit; tunc enim demum plures ad paenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis" (Ep. 168 ad episc. Campan. c. 2; *M* 54, 1210).

218. Sozomenus: „Grave ac molestum ab initio iure merito visum est sacerdotibus, tamquam in theatro circumstante totius ecclesiae multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitae integritate spectatissimus esset et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio praefecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille vero pro cuiuscumque delicto, quid aut facere singulos aut luere oporteret, poenae loco indicens, absoluebat paenitentes a se ipsis poenas criminum exacturos" (H. E. I. 7, c. 16; *M* 67, 1459).

219. *Arg. 3. Ex decretis Conciliorum.*

Conc. Lateran. IV. gravissimis poenis prohibet, quominus sacerdos revelet quicquam ex iis, quae in confessione audivit (*Denzinger* I. c. 363). Conc. Trid. (sess. 14, c. 5): „Ceterum quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum tum ob ecclesiae offensae aedificationem, delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio ecclesia sancta usa est et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifesto refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam et inventum humanum esse atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse docere non verentur" (*Denzinger* I. c. 780).

220. *Arg. 4. Ex ratione congrua.*

S. Thomas ita argumentatur: „In Sacramentis ea, quae exterius geruntur, sunt figura rerum, quae interius contingunt; et ideo confessio, qua quis sacerdoti se subicit, signum est interioris, qua quis Deo subicitur. Deus autem peccatum illius, qui se sibi subicit per Paenitentiam, tegit; unde et hoc oportet in Sacramento Paenitentiae significari, et ideo de necessitate confessionis est, quod quis confes-

sionem celet . . . et praeter hoc sunt aliae utilitates huius relationis, quia per hoc homines ad confessionem magis attrahuntur et simplicius peccata confitentur" (In 4, d. 21, q. 3, a. 1, sol. 1).

221. *Pars II. Secreta confessio non est de necessitate Sacramenti.*

Quamvis paucissimi Scholastici putaverint secretam confessionem esse absolute necessariam, communissime docent theologi contrarium ut certum (*Suarez*, Disp. 21, sect. 2, n. 1 et sqq.). Immo hoc videtur satis clare innui a Conc. Trid. l. c. Quamvis enim nihil dicat nisi posse interdum esse utile delicta sua publice confiteri, neque determinet, utrum haec confessio sit sacramentalis, i. e. in ordine ad absolutionem obtinendam, an merus actus humilitatis extrasacramentalis, nihilominus ex toto contextu sermonis videtur Concilium loqui de sacramentali confessione.

Et facile probari potest eadem doctrina ratione interna. Nam certe non est contra rationem iudicii, ut fiat in publico, cum plurima iudicia ita fiant. Neque est contra rationem huius iudicii, quia accusatio ad hoc necessaria est, ut sacerdos accipiat notitiam peccatorum et dispositionis paenitentis; id quod aequè bene fit per confessionem publicam ac secretam. Neque per se est actus inhonestus manifestare peccata sua coram multis. Licet enim sit quaedam sui ipsius difamatio, hoc damnum compensatur fructu humilitatis, confusionis propriae, satisfactionis. Ergo talis actus illicitus esse non potest, dummodo prudenter fiat. Sed quia res magnam prudentiam requirit et est praeter consuetudinem nunc in ecclesia vigentem, nulli licet publice confiteri, nisi in particulari casu iis, ad quos spectat, ita visum fuerit.

222. *Schol. Num ecclesia umquam pro peccatis occultis publicam paenitentiam vel confessionem praescripserit.*

Resp. *negative*, quamvis quidam contrarium censeant, ut *Natalis Alexander*, qui docet sex prioribus ecclesiae saeculis peccatoribus etiam pro occultis peccatis paenitentiam publicam inflictam fuisse, sed deinceps hunc morem exolevisse (apud *Zachariam*, Thesaur. theol. XII [Venetiis 1763], 96. 100). Similiter *Iuenin*, *Morinus*, alii. Sed quia quaestio pertinet magis ad historiam ecclesiasticam, hic pauca tantum notari possunt.

223. a) Contra talem usum stat *praesumptio dogmatica*. Quod enim Conc. Trid. docet humana lege non posse „satis consulte“ praescribi, quod *Leo M.* dicit esse „contra apostolicam regulam“, quod sine maximis incommodis et damnis non potest institui, hoc sine dubio universalis ecclesia lege non statuit. Aliquos quidem episcopos vel particulares ecclesias potuisse hac in re errare manifestum est, sed

aeque manifestum est talem errorem non potuisse extendi ad universalem ecclesiam.

224. b) Argumentum vero illud, quod *confessiones publicae in historia occurrunt*, nihil aliud probat nisi tales confessiones posse sub certis condicionibus esse laudabiles. At ecclesia nequaquam omnes actus laudabiles praecipere potest. Ita quid laudabilius consiliis evangelicis? quae tamen praecipere nemo dixerit. Dicendum igitur est utile esse posse sub certis condicionibus, si quis publice confiteatur; sed minime utile esse obligationem hominibus imponere peccata publice confitendi. Quia Christus dedit libertatem secretae confessionis, ecclesia contrarium praecipere nequit. Si vero in casu aliquo particulari paenitentia vel confessio publica praecipitur, hoc non ideo fit, quia peccatum est ex confessione notum, sed quia aliunde constat; et similiter illa confessio publica vix umquam erit confessio sacramentalis sed potius opus satisfactionis accedens ad Sacramentum. Publica autem paenitentia non intellegitur opus quodlibet, quod ita peragi debet, ut ab aliis videri possit, ut si alicui iniungitur, ut in ecclesia faciat „viam crucis“, sed intellegitur opus, quod nemo persolvere potest, quin statim appareat eum commisisse grave peccatum. Ita in vetere ecclesia poterat aliquis admitti sine tali suspitione in supremum gradum paenitentium, quia in illo etiam homines leviorum peccatorum rei erant (cf. *Frank*, *Bussdisciplin* p. 646 sqq.). Ceterum non omni tempore neque omni loco eadem hac in re disciplina observabatur, et si forte in aliqua ecclesia soli notorii peccatores ad Communionem non accedebant, tunc in illa ecclesia non licebat pro peccato occulto Communionem interdiceret.

225. c) Adversarii nostrae doctrinae alia argumenta inde petunt, quod canones paenitentiales pro quibusdam criminibus publicam paenitentiam statuunt nihil distinguentes inter peccata publica et occulta, aut inde, quod supponunt verbum confitendi semper intellegi de confessione sacramentali; unde si legunt libere confessum tali vel tali modo puniendum esse, putant hanc poenam imponendam fuisse propter confessionem sacramentalem.

Sed primum illud argumentum ex silentio nihil probat. Cum enim canones isti statuerentur pro iis, qui modum agendi ecclesiae ex praxi probe noverant, non opus erat distinctionem illam addi.

Alterum vero argumentum nihil valet, quia *in vetere ecclesia tres modi confessionum distinguendi sunt*: confessio stricte sacramentalis, confessio coram tribunali paenitentiae externo seu coram iudicio ecclesiastico, et confessio facta in ecclesia coram omni populo. Sola prima confessio erat stricto sensu secreta, et sola ultima stricto sensu publica. Secunda vero erat media quaedam, quae fiebat coram episcopo eiusque consiliariis. Ab hoc iudicio utique peccatores condemna-

bantur ad paenitentiam publicam, sed ii tantum peccatores, qui aut per testes criminum convicti erant, aut ipsi libere confitebantur confessione non sacramentali, sed quae pertinebat ad forum externum ecclesiasticum.

226. Hoc, ut unum saltem documentum afferamus, patet ex doctrina S. Augustini, qui, postquam dixit interdum etiam publicam paenitentiam necessariam esse ad scandalum reparandum, ita pergit: „Nemo arbitretur, fratres, propterea se consilium salutiferae huius paenitentiae debere contemnere, quia multos forte advertit et novit ad Sacramenta Altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, ut Petrus; multi tolerantur, ut Iudas; multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum et manifestet cogitationes cordis (1 Cor. 4, 5). Nam plerique propterea nolunt alios accusare, dum per se illos cupiunt excusare. Plerique autem boni Christiani ideo tacent et sufferunt aliorum peccata, quae noverunt, quia documentis saepe deseruntur et ea, quae ipsi sciunt, iudicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quaedam, non tamen iudici facile credenda sunt, nisi certis indicibus demonstrantur. Nos vero a Communione prohibere quemquam non possumus (quamvis haec prohibitio nondum sit mortalis sed medicinalis) nisi aut sponte confessum aut in aliquo sive saeculari sive ecclesiastico iudicio nominatum atque convictum. . . . Alioquin illud cur dixit [apostolus]: „Si quis frater nominatur aut fornicator aut idolis serviens“ etc., nisi quia eam nominationem intellegi voluit, quae fit in quemquam, cum sententia ordine iudiciario atque integritate profertur? Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia saepe falso in quoquam crimine nominantur“ (Sermo 351, n. 10; *M* 39, 1545).

227. Quae verba ostendunt: a) ad publicam paenitentiam neminem adigi potuisse nisi prius condemnatum in iudicio ecclesiastico; b) potuisse peccatorem „corrigi ut Petrum“, licet publicam paenitentiam non peregisset. Quare monet Anastasius Sinaita: „Ne itaque fratrem iudices, licet propriis oculis delinquentem aspicias. . . . Verum esto fratrem tuum peccatorem esse. Unde ceteras actiones eius compertas habes? Nam multi crebro reperiuntur, qui palam peccarunt, sed clam et occulte magnam paenitentiam egerunt. Et nos quidem novimus, quando peccant; et vero paenitentiam et conversionem eorum ignoramus; et a nobis quidem iudicantur peccatores, apud Deum autem iustificati sunt“ (De S. Synaxi; *M* 89, 846).

S. Chrysostomus tam disertis verbis necessitatem paenitentiae publicae pro peccatis occultis negat, ut quidam falso eum ita interpretati sint, quasi necessitatem omnis confessionis, etiam secretae, neget (cf. *Palmieri* p. 378 sqq.).

Vide de tota hac quaestione *Collet* (De Paenit. Pars 2, c. 6, n. 136 sqq.; *Migne*, Curs. theol. ed. 2, t. 22, coll. 668 sqq.) et *Zeitschrift für kath. Theol.* (Innsbruck 1887, p. 483 sqq., 593 sqq.).

ART. IV.

DE SATISFACTIONE.

Prop. XVI. Minister Sacramenti Paenitentiae per se debet paenitentibus salutes et convenientes satisfactiones imponere.

228. *Nota.* Tertia pars materialis Sacramenti Paenitentiae est satisfactio. *Definiri potest satisfactio:* Voluntaria perpessio poenae temporalis ad reparandam iniuriam Deo per peccatum illatam. Est igitur satisfactio actus iustitiae, et cognata est cum restitutione. Sed cum restitutione res externa iniuste ablata reddatur, satisfactione personae iniuria reparatur. Si quis peccatum mortale committit, honorem Deo debitum aufert seu iniuriam Deo infert ideoque obnoxius fit odio divino. Iustum est enim, ut Deus offensorem suum odio habeat, quia offensa Dei opposita est bono divino, quod Deus necessario amat. Odio habere est velle malum. Duplex autem est malum, quod Deus velle potest homini: malum privationis divinae amicitiae seu bonorum divinatorum et malum inflictionis poenarum. Unde duplex quoque odium distingui potest: odium abominationis et odium vindictae; cui duplici odio ex parte hominis respondet reatus culpae et reatus poenae. Ille reatus constituit formaliter hominem peccatorem, hic vero reatus non reddit sed supponit hominem peccatorem eumque obnoxium reddit poenis perferendis.

229. Si homo contritionem perfectam elicit vel Sacramentum Paenitentiae digne recipit, Deus hos actus peccatoris accipit ut compensationem iniuriae illatae, non quia hi actus in se sunt adaequata compensatio (cf. *Stentrup*, *Soteriol. thes.* 15 et 16), sed quia Deus hac compensatione, licet inadaequata, ex benignitate et misericordia propter merita Christi contentus esse vult. Quia vero compensatio est inadaequata, Deus non necessario totum reatum remittit et omne odium deponit, sed tantum, quantum ei placet.

230. Iamvero ex revelatione constat Deum semper remittere totum reatum culpae et simul reatum poenae aeternae, non vero semper totum reatum poenae temporalis. Aliis verbis: Deus renuntiat odio abominationis et odio vindictae aeternae, non vero semper odio vindictae temporalis. Utrumque postea probabitur. Potest igitur fieri et communiter fit, ut homini, qui post Baptismum ex peccatore factus est iustus, poenae temporales luendae maneant. Quas poenas si homo libere perfert, satisfacere dicitur. Libera perpessio harum poenarum in hac

vita est simul opus meritorium; sed sub hoc respectu hoc loco non consideratur. Hic de satisfactione solum agimus, quatenus est solutio poenarum post remissionem peccatorum remanentium.

231. Solvi autem possunt poenae duplici modo: aut patiendo poenas, quas Deus infligit; aut agendo aliquod opus poenale, quod Deus in redemptionem poenae infligendae acceptat. Illa est magis satisfactio, haec satisfactio. Nisi homo satisfactione poenas temporales luit, satisfactio luere debet, saltem in purgatorio. Si vero satisfacit, pro mensura huius satisfactionis satisfactio ei remittitur. *Definitur igitur satisfactio stricte dicta:* compensatio poenae temporalis ob peccata patiendae praestita per opera poenalia libere assumpta.

Satisfactio non est restitutio tantum aequilibrum ordinis moralis peccato turbati (poena vindicativa), sed est etiam remedium, quo futurum peccatum praecavetur (poena medicinalis).

Iam his suppositis dicimus *Christum ita instituisse Sacramentum Paenitentiae, ut sacerdos per se debeat paenitenti imponere satisfactionem.* Per se, quia per accidens non debet, quando paenitens impar est satisfactioni praestandae. Ergo extra hunc casum satisfactio semper imponenda est. Satisfactio non est pars essentialis Sacramenti sed integralis. Quare Sacramentum existere quidem potest sine satisfactione, sed, ut perfectum sit, satisfactio requiritur, quia sine satisfactione secundario effectu carebit, qui est remissio poenae temporalis, quamvis primum effectum habere possit, qui est remissio culpae et poenae aeternae.

232. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Licet Christus expressis verbis non dixerit sacerdotes in Sacramento Paenitentiae debere satisfactiones imponere, nihilominus censendus est hoc voluisse. Nam instituit Sacramentum Paenitentiae *per modum iudicii.* Cum igitur ex una parte constet in hoc iudicio Deum non semper remittere omnem reatum poenae, et cum ex altera parte omnis iudex reo, qui alicui poenae obnoxius factus est, solutionem huius poenae imponere debeat, rationabiliter concludimus Christum voluisse, ut etiam confessarii solutionem poenae gravitati criminum respondentis imponerent. Potestatem iniungendi tales poenas contineri illis verbis: „Quaecumque ligaveritis . . .“, non potest rationabiliter negari.

Deinde vero Sacramentum Paenitentiae institutum est *ad delenda peccata.* Atqui peccata non perfecte delentur remissione solius culpae, quae remissio absolutione obtinetur. Ergo supponendum est Christum voluisse, ut ad delendum reatum poenae satisfactiones imponerentur.

Porro Christus sine dubio noluit, ut hoc Sacramentum esset incitamentum ad peccandum, sed potius, ut esset *medicina peccatorum.* Ergo voluit, ut peccatorum remissio perfecta in hoc Sacramento non

obtineatur sine poena. Nam „poena a culpa futura praeservat, quia non facile homo ad peccata redit, ex quo poenam expertus est. Unde secundum philosophum poenae medicinae sunt“ (S. Thomas, Suppl. q. 15, a. 1). Hinc est, quod confessarius poenas convenientes imponere debet, i. e. tales, quae oppositae sint et medeantur peccatis commissis.

Magna etiam *convenientia* in hoc cernitur, quod, qui post acceptam fidei et Baptismi gratiam rursus Deum offendit, non tanta facilitate veniam accipiat, quanta qui baptizatur. Neque etiam per Paenitentiam homo regeneratur, sed ex morbo reconvalescit. Reconvalescentia autem semper difficultates annexas habet.

233. *Arg. 2. Ex veterrima praxi ecclesiae.*

Iam primis ecclesiae temporibus praxis invaluit pro certis peccatis determinatas satisfactiones statuendi, ex qua praxi postea ortae sunt Epistolae canonicae Gregorii Thaumaturgi, Athanasii, Basilii, Canones paenitentiales, e. g. Concilii Eliberitani, dein Libri paenitentiales, quae omnia ostendunt firmam ecclesiae persuasionem non posse tantum sed etiam debere pro peccatis satisfactiones imponi.

234. *Arg. 3. Ex SS. Patribus.*

S. Cyprianus in Epistulis suis saepe vehementer vituperat eos, qui lapsos velint sine condigna satisfactione in ecclesiam recipere, ut Ep. 16, n. 2; 43, n. 2 sq.; 55, n. 6 etc. *H* 2, 518. 591 sqq. 627.

S. Augustinus: „Veniat [peccator] ad antistites, per quos in ecclesia claves ministrantur . . . ; a praepositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum“ (Sermo 351, n. 9; *M* 39, 1545).

S. Leo M.: „Mediator Dei et hominum homo Christus Iesus hanc praepositis ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem paenitentiae darent et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent“ (Ep. 108, n. 2; *M* 54, 1011).

S. Gregorius M.: „Afflictio paenitentiae ad delenda peccata tunc demum idonea est, cum sacerdotis fuerit iudicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis pro modo criminis onus iis decernitur afflictionis“ (In 1 Reg. l. 3, c. 5, n. 13; *M* 79, 207).

235. *Arg. 4. Ex decretis Conciliorum.*

Debitam satisfactionem paenitentibus iniungendam esse docuerunt *Conc. Laodicenum* (a. 372) can. 2, *Conc. Carthag. IV.* (a. 397) can. 31, *Conc. Trullanum* (a. 692) can. 102, *Conc. Turon. III.* (a. 813), can. 22, *Conc. Wormatiense* (a. 858) can. 25, *Conc. Florent.* (*Denzinger* l. c. 594), tandem *Conc. Trid.* (sess. 14, c. 8): „Debent sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et paeni-

tentium facultate salutare et convenientes satisfactiones iniungere; ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum paenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem; nam claves non ad solvendum dumtaxat sed et ad ligandum concessas etiam antiqui Patres et credunt et docent“ (*Denzinger* l. c. 783). Cf. can. 15 (*Denzinger* l. c. 803).

236. *Coroll.* Ergo semper quidem, nisi impotentia paenitentis obstat, *sacerdos aliquam satisfactionem imponere debet*, ne Sacramentum mutilum maneat; et *haec obligatio ex genere suo gravis est*. Communiter tamen theologi censent non esse gravem hanc obligationem, si agatur de satisfactione pro peccatis solis venialibus imponenda, quatenus a peccato gravi excusat parvitas materiae, sicut etiam iudex saecularis non deesset graviter officio suo, si omitteret levem poenam imponere. Neque semper necesse est satisfactionem imponi per modum praecepti sub mortali obligantis, quamvis hoc sine dubio fieri possit pro peccatis mortalibus. Nihilominus ob rationabiles causas potest confessarius imponere satisfactionem sub obligatione levi, quia ipse verus iudex et praeses est, et consequenter praeceptum imponere potest, prout ei bonum videtur (cf. *De Lugo*, Disp. 25, sect. 4, n. 50). Num vero possit imponere sine ulla obligatione per modum meri consilii aut exhortationis, disputant doctores. Affirmat *Suarez* cum multis aliis, quos citat (Disp. 28, sect. 3, n. 2). Rationem reddunt, quia hic modus videtur sufficiens, ut satisfactio sit obiectum potestatis clavium. Negant *Vasquez*, *De Lugo* (Disp. 25, sect. 4, n. 54), alii. S. Alphonsus priorem opinionem vocat omnino improbabilem; „nam legislator potest ferre et non ferre legem; sed, si ferat, non potest quidem eam ferre sine obligatione, cum lex debeat necessario saltem sub levi obligare“ (l. 6, n. 518). Quare alteri sententiae standum videtur.

237. Debet quoque per se sacerdos satisfactionem imponere, quae respondeat gravitati delictorum, quia statutus est iudex ad aequitatem servandam. Nihilominus *valde consideranda est dispositio paenitentis*, num physice vel moraliter ferre possit satisfactionem condignam, et, si iudicatur ferre non posse, levior satisfactio imponenda est. Hoc enim Sacramentum principaliter est ad salutem hominum quam ad satisfaciendum iustitiae. Unde finis secundarius tantum neglegendus est, quantum requiritur, ut finis primarius obtineri possit; et, nisi evidenter constet posse utrumque coniungi, semper mitior pars eligenda est. „Etsi erramus modicam paeni-

tentiam imponentes, nonne melius est, propter misericordiam rationem reddere quam propter crudelitatem? (Decret. Grat. P. 2, c. 26, q. 7, c. 12.)

Similiter ob valde bonam dispositionem paenitentium, i. e. si moraliter certum est paenitentes iam sufficientem paenitentiam egisse pro peccatis suis, aliqualis tantum satisfactio imponi potest, quia sic et satisfactum est iustitiae divinae, et Sacramentum integrum servatur.

238. *Paenitens ex sua parte satisfactionem accipere et implere tenetur*, et quidem, si mortalia primo confessus est, per se sub gravi. Ratio est, quia sacerdos in paenitentem habet veram potestatem iudicalem et consequenter, si materia sufficiens est, eum sub gravi obligare potest. Paucorum opposita sententia hodie derelicta est (*Suarez*, Disp. 28, sect. 7; *S. Alphons.* l. 6, n. 516). Supponitur tamen satisfactionem imponi rationabilem, etiam relative ad vires paenitentis; nam ad irrationabilia imponenda confessarius ius nullum habet. Itaque si paenitenti satisfactio imposita videtur gravior, nec confessarius eam mutare vult, potest paenitens renuntiare absolutioni huius sacerdotis et alius sacerdotis iudicio se subicere. Si vero satisfactionem impositam acceptavit, ipse eam in alteram mutare non potest, cum ipse non sit iudex; potest tamen, si eam postea graviolem invenit, eundem vel alium sacerdotem adire, a quo in confessione aliam satisfactionem accipiat (*Suarez*, Disp. 28, sect. 10).

239. Nisi confessarius determinatum *tempus* statuit *implendae satisfactioni*, ad id unum obligatur paenitens, ne nimis diu eam differat, ut Sacramentum integrum fiat. Quae vero dilatio sit grave peccatum, difficulter dicitur, cum pendeat fere a quaestione, quanta in hac re negligentia appareat. Implere autem satisfactionem in statu peccati mortalis, non est grave peccatum, quia ita impletur praeceptum impositum; nam effectus, qui tunc utique non obtinetur, non est de praecepto. Num postea, recedente peccato, effectus sequatur, omnino incertum est (*Suarez*, Disp. 28, sect. 8).

Prop. XVII. Opera poenalia a confessario imposita habent vim satisfaciendi non solum ex opere operantis sed etiam ex opere operato.

240. *Pars I. Opera poenalia satisfaciunt ex opere operantis.*

Potest homo per opera poenalia libere assumpta efficere, ut Deus cedat iuri suo vindicandi iniurias sibi illatas, quae vindicta a Deo sub ratione purae vindictae exercetur in purgatorio; et haec est etiam vindicta, quae sola certo infligetur, nisi homo satisfecerit pro peccatis suis; nam in hac vita Deus non semper punit peccata. Unde satis-

factiones maxime spectant ad removendas poenas purgatorii. Ut autem opera poenalia satisfaciant, debent et habere valorem in actu primo et accipi a Deo in actu secundo.

241. a) *Habere opera iustorum in actu primo valorem ad redimendas poenas temporales* ita probari potest: Iustorum opera sunt meritoria ad impetrandam gloriam caelestem. Atqui opus iusti, quod est meritorium, a fortiori est satisfactorium. Nam minus est remissio poenae temporalis quam adeptio gloriae aeternae. Ergo opus, quod est sufficiens ad merendam gloriam aeternam, a fortiori est sufficiens ad delendam poenam temporalem. Quamvis enim secundum formalem rationem differant satisfactio et meritum, quia illa est reparatio iniuriae, hoc titulus remunerationis, tamen in hoc conveniunt, quod valor ad compensandam iniuriam et valor ad constituendum titulum remunerationis nihil aliud sunt in actu primo nisi moralis dignitas operis. Nam „satisfacere non est satispati, sed imitatur meritum eo, quod debitor tendat ad placandum principem et alliciendam eius mansuetudinem et clementiam, ut acceptet voluntariam punitionem anticipatam, et placeatur, ne exigat debitam poenam“ (*De Lugo*, Disp. 24, sect. 1, n. 10).

242. *Satisfactio quidem stricte dicta debet esse opus poenale*; nam satisfactio est vindicta iniuriae, vindicta autem fit per poenam. Sed nulla ex hac parte existit difficultas. Nam omne opus bonum in hoc ordine rerum est eatenus poenale, quatenus reprimit motus concupiscentiae et privat eius delectatione. Neque refert, quod interdum ex magna promptitudine voluntatis haec poena non adeo sentitur; nam ipsa natura actus per se consideranda est. Deinde quamvis poenalitas sit fundamentum satisfactionis, quatenus aequum est eum, qui praevenit iudicis officium et se ipse iam castigavit, non iterum a iudice castigari, tamen, quia satisfactio non est satispassio, sed rationem meriti annexam habet, quatenus homo studet bona sua voluntate iudicem sibi propitium reddere et minuere poenam debitam, opus, quod minus habet poenaltatis, potest habere plus satisfactionis, quia procedit ex meliore voluntate et est in se perfectius et magis gratum principi. Ita actus caritatis divinae valde intensus potest habere multo plus valoris ad satisfaciendum quam ieiunium diuturnum, licet in hoc sit multo plus poenaltatis. Quare magna contritio communiter recensetur inter causas, ob quas minor satisfactio imponi possit, licet fortasse in tali contritione nequaquam tantum poenaltatis insit quantum in satisfactionibus secus imponendis. Ceterum patet nostras satisfactiones eatenus tantum esse salutare, quatenus cum merito et satisfactione Christi coniunguntur.

243. b) *Hanc rem Conc. Trid. ita explicat* (sess. 14, c. 8): „Neque securior ulla via in ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amo-

vendam imminentem a Domino poenam, quam ut haec paenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad haec, quod, dum satisfactione patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes effimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod, si compatimur, et glorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Iesum; nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo, unde gloriatur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos paenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri et per illum acceptantur a Patre" (*Denzinger* l. c. 783). Et can. 13: „S. q. d. pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a sacerdote iniunctis sed neque sponte susceptis, ut ieiuniis, orationibus, elemosynis vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam paenitentiam esse tantum novam vitam, A. S.“ (*Denzinger* l. c. 801).

244. *Damnata est haec Baii doctrina* (Prop. LIX): „Quando per elemosynas aliaque paenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte redemptores); sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur“ (*Denzinger* l. c. 939) — (Prop. LXXVII): „Satisfactiones laboriosae iustificationum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatum“ (*Denzinger* l. c. 957).

245. c) Ex his igitur certum est non solum opera bona iustorum habere in actu primo valorem ad satisfaciendum de condigno, sed etiam *Deum in actu secundo acceptare haec opera* in hunc finem. Ad hoc quidem a priori Deus non tenetur; nam iudex insistere potest, ut reus det eam poenam, quam iudex statuit, non quam ipse sibi elegit. Sed propter Christum Deus nostras satisfactiones acceptat loco earum poenarum, quas ipse statuit.

246. Varia exempla satisfactionum occurrunt in S. Scriptura. Ita Deus pepercit Ninivitis, quia ipsi operibus suis satisfecerunt pro peccatis (Ion. 3, 10). Daniel quoque dedit Nabuchodonosor regi consilium, ut redimeret poenas peccatorum elemosynis (Dan. 4, 24). Achab „scidit vestimenta sua et operuit cilicio carnem suam ieiunavitque et dormivit in sacco et ambulavit demisso capite“, et Deus dixit: „Quia igitur humiliatus est, non inducam malum in diebus eius“ (3 Reg. 21, 27 sqq.). Et quoties prophetae exhortantur populum, ut

ad avertenda mala imminetia voluntarias satisfactiones subeant! (Cf. Ier. 18, 8. Ier. 2, 11 sqq. etc.) Idem constat *ex praxi ecclesiae*, quae semper fideles docuit bonis operibus placare iram divinam (*Suarez*, Disp. 37, sect. 1).

Veruntamen notandum est *non semper posse hominem suis operibus avertere poenas huius vitae*, quia ex his quaedam a Deo absolute decretae sunt (cf. Reg. 12, 14 sqq. Ez. 14, 14 sqq). Item poenalties huius vitae non omnes bonis operibus avertere possumus; nam omnibus patiendum et moriendum est. Neque constat, utrum Deus pro omni peccato statuatur luendas poenas in hac vita tantum an in purgatorio tantum, sed hoc constat eum postulare aliquam poenam sive in hac vita sive in purgatorio luendam, ita tamen, ut eam velit potius debitis satisfactionibus in hac vita deleri (cf. *Palmieri* p. 416 sqq.).

247. Itaque absolute valent satisfactiones aut ad avertendas poenas temporales huius vitae aut ad redimendas poenas purgatorii, quod quidem non directe ex S. Scriptura sed ex Traditione constat.

Ita Tertullianus: „Habes, cui satisfacias, et quidem volentem“ (De Paenit. c. 7; *M* 1, 1242). „In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi, crede, Deus parcat“ (l. c. c. 9; *M* 1, 1244). S. Cyprianus: „Aliud est pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse“ (Ep. 55, n. 20; *H* 2, 638). S. Ambrosius: „Tanta est paenitentiae medicina, ut mutare videatur suam Deus sententiam. In te est igitur, ut evadas; vult rogari Dominus, vult de se sperari, vult sibi supplicari“ (De Paenit. l. 2, c. 6, n. 48; *M* 16, 509). . . . „Ipse nos flere vult, ut evadere possimus“ (l. c. l. 2, n. 49). S. Augustinus: „Nihil aliud agit, quem veraciter paenitet, nisi ut id, quod mali fecerit, impunitum esse non sinat. Eo quippe modo sibi non parcenti ille parcat, cuius altum iustumque iudicium nullus contemptor evadit“ (Ep. 153, al. 54, n. 6; *M* 33, 656. Cf. Sermo 20, n. 2; *M* 38, 138). Caesarius Arelat.: „Si nec in tribulatione Deo gratias agimus nec bonis operibus peccata redimimus, ipsi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu supradicta peccata minuta tamquam ligna, faenum, stipula consumantur“ (Sermo 104, n. 4, versus finem, op. S. Aug. ed. Benedict. V, 186, append.). S. Petrus Damianus: „Ne tibi blandiaris, si graviter peccanti levior paenitentia a nesciente vel a dissimulante sacerdote dictatur; cum in purgatorio perficiendum sit, quidquid hic minus feceris, quia dignos paenitentiae fructus quaerit Altissimus“ (Sermo 2, de S. Andrea; *M* 144, 831). Multa alia collegit *Bellarminus*, De Paenit. l. 4, c. 9. Cf. *Suarez*, Disp. 37, sect. 9, n. 2.

248. d) Solent a theologis bona opera, quibus satisfacere possumus, in tres classes dividi: *elemosynam, ieiunium, orationem* (cf. S. Thomas, Suppl. q. 15, a. 3). Ratio huius divisionis est haec: per satisfacti-

onem debemus aliquid nostri dare Deo in compensationem. Habemus autem tria genera honorum: bona fortunae, quae damus per eleemosynam; bona corporis, quae damus per ieiunium; bona animi, quae damus per orationem. Iterum: Satisfactio est ad sanandam concupiscentiam, et quidem concupiscentiam oculorum per eleemosynam; concupiscentiam carnis per ieiunium; superbiam vitae per orationem. Aliter: Satisfactio homo sibi poenam infligit, privando se bono utili per eleemosynam; bono delectabili per ieiunium; et acquirendo bonum honestum cum labore per orationem. Tandem: Homo peccando laedit proximum, se ipsum, Deum. Ideo proximo subvenit per eleemosynam; castigat se per ieiunium; Deum honorat per orationem (cf. Hurter, Comp. theol. III, n. 502). Itaque nomine eleemosynae hic intellegitur omne opus misericordiae in proximum, nomine ieiunii quaelibet maceratio carnis, nomine orationis omnis actus cultus divini. Sed si sunt aliqua bona opera, quae ad has classes non possunt redigi, non ideo non sunt satisfactoria; nam Conc. Trid. docet satisfieri „ieiuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus“ (sess. 14, can. 13). *Non requiritur, ut haec opera sint supererogatoria*, sed possunt esse praecepta; nam, ut Christiani pro peccatis satisfaciant, ecclesia praecipit ieiunium. Ratio est, quia praeceptum neque tollit libertatem neque moralem bonitatem neque poenalitatem (Suarez, Disp. 37, sect. 4, n. 3). Immo etiam per poenas extrinsecus illatas sed propter Deum libenter toleratas homo satisfacit. Ita Conc. Trid. (sess. 4, c. 9): „Docet praeterea tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus“ (Denzinger l. c. 784). Licet enim hae poenae sint sine nostra voluntate inflictae, tamen, si voluntarie eas accipimus et Deo offerimus, licet non praecise ex intentione satisfaciendi, nostrae fiunt, et ita sicut per eas mereri possumus, ita etiam satisfacere. Hoc constat exemplo Christi, qui etiam per poenas extrinsecus illatas satisfecit.

249. e) Ad satisfactionem eadem condiciones requiruntur quae ad meritum, scil. ut actus sit liber, bonus, supernaturalis, ab homine viatore iusto factus (cf. Suarez, Disp. 37, sect. 2 et 3). Poenalitas enim, quae praeter haec requiritur, semper ex natura rei adest. Sed quia satisfactio proximum fundamentum habet in poenalitate operis, aliquod opus potest esse satisfactorium eo modo, quo non est meritum. Communiter enim docent theologii actui externo nullum inesse valorem ad merendum proprium et distinctum a merito actus interni, a quo imperetur. Sed aequè communiter docent valorem satisfactorium augeri per opus externum, ita ut plus poenae remittatur ieiunanti

quam volenti ieiunare, si actus interni sunt pares. Quia enim actus externus auget poenalitatem, quae est fundamentum satisfactionis, ideo plus remittit poenae; nam aequum est eo minus puniri reum, quo plus poenae iam solvit. Semper tamen supponitur actum externum aliquo modo procedere sive a voluntate praesente sive a voluntate praecedente, quia actus nullo modo voluntarius non potest esse satisfactorius (De Lugo, Disp. 24, sect. 4).

250. *Pars II. Opera poenalia, a confessario imposita, satisfaciunt ex opere operato*¹.

Satisfactio enim est pars Sacramenti Paenitentiae et, licet non sit pars essentialis, quia nihil confert ad delendum reatum culpae, tamen est vera pars, sine qua Sacramentum non producit effectum suum integrum. Ad integritatem enim Sacramenti pertinet, ut non solam culpam sed etiam poenam deleat. Conc. Trid. (sess. 14, c. 2) docet ad plenam et integram peccatorum remissionem, qualem in Baptismo recipimus, nos posse etiam per Sacramentum Paenitentiae pervenire, sed non „sine magnis nostris fletibus et laboribus, ut merito Paenitentia laboriosus quidam Baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit“ (Denzinger l. c. 775). Ergo satisfactio non solum habet valorem ex opere operantis sed etiam ex opere operato, quia est pars signi sacramentalis, ob quod Deus satisfactiones Christi nobis applicat.

251. Significat autem haec pars remissionem poenae, quia est punitio quaedam; nam eo ipso, quod quis poenam a iudice iniunctam perfert, censetur liberari ab alia poena pro eodem crimine perferenda. „Dico igitur proprium et maxime indubitatum effectum ex opere operato huius satisfactionis esse remissionem alicuius poenae temporalis praeter illam, quae respondere posset ex opere seu merito operantis. Haec est communis theologorum sententia“ (Suarez, Disp. 38, sect. 2, n. 2; cf. De Lugo, Disp. 25, sect. 2, n. 1; Bosco, Disp. 7, sect. 13, n. 17). Quamvis autem hic effectus partialiter iam obtineatur per solam acceptationem satisfactionis, tamen integer non habetur, antequam satisfactio actu praestita est.

252. *Quanta poena remittatur per satisfactionem, solus Deus scit.* Nam quod quidam dixerunt deleri semper omnem reatum poenae, etiamsi minima satisfactio imponatur, non est verisimile, quia Deus, quamvis sacerdoti dederit potestatem iudicandi de mensura satisfactionis, non tamen dedit absolute sed ita, ut servetur aequitas; neque enim sacerdos est supremus dominus sed inferior iudex. Unde si

¹ Oppositum videtur docere Dom. Soto (In 4, d. 19, q. 1, a. 5) et nostris diebus Dr. Oswald (Sacramentenlehre II, 184); sed est sententia singularis.

satisfactio minor est, quam iustitia divina postulat, aliquid poenae remanet; sin maior est, redundabit in thesaurum ecclesiae.

253. Potest autem quaeri, utrum solum opus particulare impositum habeat virtutem satisfaciendi, an per illam formulam „Quidquid boni feceris et mali sustinueris“ omnia nostra bona opera et perpersiones in genere eleventur ad satisfaciendum ex opere operato? *Card. de Lugo* docet haec verba esse meram deprecationem sicut et verba praecedentia „Misereatur tui“, quia incredibile est post unam confessionem statim omnia opera totius vitae nostrae habere valorem sacramentalem, et quia secus dicendum esset etiam merita B. V. Mariae et omnium sanctorum accipere virtutem sacramentalem (Disp. 25, sect. 4, n. 56). Sed hoc ultimum verum non est, quia solae actiones ipsius paenitentis sunt pars Sacramenti. Altera vero difficultas nulla est, quia non apparet, cur, si tota vita nostra est vere paenitentia, Deus non possit totam eam sacramentaliter elevare, donec poena post confessionem remanens deleta sit. „Longe probabilius et communius ex *d. Thoma* (Quodl. 3, a. 28) affirmant hanc elevationem“ inquit *S. Alphonsus* (l. 6, n. 507; cf. *Suarez*, Disp. 38, sect. 6, n. 7), quia ecclesia non sine ratione verba illa adhiberi iubet.

254. Num vero satisfactio sacramentalis etiam causet gratiam ex opere operato, incertum est. Affirmat ut probabile *Suarez* (Disp. 38, sect. 2, n. 3), quia omne signum sacramentale est efficax gratiae. Negat *Card. de Lugo* (Disp. 24, sect. 1, n. 2) quia satisfactio non significat gratiam, ergo eam non causat.

255. *Schol. 1.* Num remissionem poenae temporalis etiam aliter obtinere possimus quam per opera poenalia.

Intelleguntur opera poenalia, praecise quantum sunt poenalia. Quaeritur ergo, num remove possimus poenas peccatorum per alia quoque remedia quam per satisfactionem stricte dictam. Hoc videtur tuto affirmari posse saltem hoc sensu, quod possumus precibus seu merito congruo impetrare remissionem poenae. Nam propter intercessionem Abrahae et merita iustorum Deus voluit parcere Sodomitis (Gen. 18, 23 sqq.). Ecclesia nos docet orare ad avertendas vindictas divinas; neque, ut patet, solam poenalitatem orationis credit ad hunc finem esse efficacem. Immo rogat Deum, ut per intercessionem B. Virginis et sanctorum animas e purgatorio liberet; sed sancti opera poenalia offerre non possunt (cf. *S. Thomas*, Supplem. q. 71, a. 11). Praeterea cum satisfactiones Christi obiective exstent, nulla est ratio dicendi non licere nobis a Deo petere, ut has satisfactiones nobis applicare velit. Sic enim peccata non manent impunita, non magis quam si satisfactiones Christi in Sacramentis, Indulgentiis, Missa nobis applicantur. Certe remissio poenae non est excellentius donum quam

multa alia, quae propter Christum per orationes impetrare possumus; cur igitur minus donum hac via obtinere non possimus? Unica res, quam constat nos oratione directe impetrare non posse, est gratia sanctificans, sive prima sive secunda; gloria autem gratiae respondet, ut alibi docetur (cf. *De Lugo*, Disp. 24, sect. 1, n. 20 sqq.).

256. *Schol. 2.* Num unus homo pro altero satisfacere possit.

Imprimis certum est non posse unum satisfacere pro altero, quamdiu hic alter est in statu peccati mortalis; nam manente culpa non est locus remissioni poenae. Simul vero cum culpa poena aeterna remittitur propter merita et satisfactiones Christi. Ergo iustus tantum pro iusto satisfacere potest quantum ad poenam temporalem. Potest quidem iustus orationibus suis placare indignationem divinam, qua Deus vult irasci peccatori, at haec non est satisfactio, qua iustitiae divinae satisfit, sed intercessio, qua propitiatio divina impetratur.

Satisfactio est opus, quod non alteri, pro quo satisfit, sed quod Deo exhibetur. Consistit autem terminative in eo, quod desinit ius divinum exigendi poenas; neque vero producit aliquid in homine, pro quo satisfactio praestatur. Unde sicut unus alterius debita solvere vel pro eo restitutionem facere potest, ita etiam potest exhibere poenam, quam per se alter dare deberet. Nam poena nihil aliud est nisi compensatio quaedam laesi honoris; quae compensatio, cum sit finita, non excedit necessario valorem operis satisfactorii, quod iustus exhibet. Ergo per actum iusti aequitati et iustitiae satisfieri potest. Hoc constat exemplo Christi, qui pro peccatis aliorum satisfecit.

257. Non tenetur quidem Deus satisfactionem aliorum accipere, ut ostenditur in Tractatu de Incarnatione (n. 442), sed potest accipere, si vult. Atqui eum velle docet constans doctrina ecclesiae catholicae. Docent enim SS. Patres et Concilia nos posse satisfacere pro animabus, quae sunt in purgatorio. Docent praeterea SS. Patres propterea tam utilem esse paenitentiam publicam, quia in ea omnes pro uno satisfaciunt. E. g. Tertullianus: „Inter fratres atque conservos, ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio, quia communis spiritus de communi Domino et Patre. . . Non potest corpus de unius membri vexatione laetum agere, condoleat universum et ad remedium collaboret necesse est. . . Illi cum super te lacrimas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facile impetratur semper, quod Filius postulat“ (De Paenit. c. 10; *M* 1, 1245). *S. Ambrosius*: „Velut operibus quibusdam totius populi purgatur et plebis lacrimis abluitur, qui orationibus et fletibus plebis redimitur a peccato et in homine mundatur interiore. Donavit enim Christus ecclesiae suae, ut unum per omnes redimeret“ (De Paenit. l. 1, c. 15, n. 80, *M* 16, 490). Idem docent theologi, ut *S. Thomas* (Supplem. q. 13, a. 2) et alii apud

Suarez (Disp. 48, sect. 2, n. 4). *Idem Catech. Rom.*: „In eo summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus praedicanda est, qui humanae imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero satisfacere“ (P. 2, c. 5, n. 76).

258. Ratio vero interna huius doctrinae est *dogma Communionis Sanctorum*. Omnes enim fideles sub Christo capite unum corpus constituunt (1 Cor. 12, 12). Non possunt autem membra unius corporis ita inter se esse separata, ut unum alterum non iuvet, sed „pro invicem sollicita sunt; et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra“ (1 Cor. 12, 25. 26). Cum igitur ex conceptu satisfactionis nulla appareat repugnantia, cur communicari non possit, et ex altera parte tanta sit inter membra corporis mystici Christi unitas, ut satisfactionem communicari conveniat, censendus est Deus velle, ut revera hic caritatis actus ab uno membro erga alterum membrum fieri possit et fiat.

259. Disputant theologi, *num acceptatio Dei infallibiliter fiat*. Communiter affirmant, ut *Suarez* (Disp. 48, sect. 3, n. 3) et *De Lugo* (Disp. 26, sect. 1, n. 5); nam, ut ait *S. Thomas*, „affectio caritatis in eo, qui pro amico patitur, facit magis satisfactionem Deo acceptam, quam si pro se pateretur; illud enim est promptae caritatis, hoc autem necessitatis“ (Contra gent. l. 3, c. 158).

His suppositis patet *posse confessarium concedere, ut alius atque ipse paenitens satisfactionem iniunctam persolvat*, saltem quoad partem; nam aliqua satisfactio paenitentis ipsius est pars integralis Sacramenti et ideo omitti non debet, et praeterea satisfactio est etiam poena medicinalis, quod esse non potest, nisi ipse paenitens satisfacit. Proscripta autem est haec propositio: „Paenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius paenitentiam adimpleat“ (*Denzinger* l. c. 986). Ratio est, quia iudicis est, non rei, discernere poenam et modum poenae (cf. *Palmieri*, Thes. 39).

Prop. XVIII. Satisfactio imposita et ante et post absolutionem impleri potest.

Pars I. Satisfactio ante absolutionem impleri potest.

260. Dubitatio de hac re inde oriri potest, quod paenitens ante absolutionem est vel saltem potest esse et saepe supponitur esse in statu peccati mortalis. Opus autem peccatoris nihil valet ad satisfaciendum. At hic distinguendum est, quid satisfactiones possint ex opere operantis et quid ex opere operato. Ex opere operantis opera omnia honesta peccatoris nihil aliud possunt efficere, nisi ut eum melius disponant

ad gratiam suscipiendam. Quo melius autem dispositus est ad gratiam, eo abundantior gratiam recipit, et eo plus etiam poenae temporalis remittitur. Solebant antiquitus vel ipsi Catechumeni per paenitentias multas praeparari ad Baptismum, ut maiorem gratiam ex Sacramento haberent. Directe autem delere poenas temporales ex opere operantis non possunt opera facta in statu peccati mortalis.

Posse autem satisfactionem habere effectum suum ex opere operato non est cur negetur; nam, cum hunc effectum non habeat, priusquam per formam determinetur ad esse sacramentale, et cum statim cum forma sacramentali adsit status gratiae, eo ipso etiam tunc satisfactio praestita erit signum sacramentale movens Deum ad remittendam poenam (cf. *Suarez*, Disp. 38, sect. 2, n. 5, et sect. 8, n. 5).

Pars II. Satisfactio impleri potest post absolutionem.

261. Hoc negarunt *Iansenistae* (ut *Arnoldus* in libro De frequenti Communione), qui docebant satisfactionem omnino implendam esse ante absolutionem.

Sed thesis nostra sufficienter probatur *ex praxi ecclesiae*, quae per tot saecula universaliter observata est, implendi satisfactionem post absolutionem. Impium enim est dicere totam ecclesiam abusus omnibus notum constanter permisisse in receptione huius Sacramenti.

Merito igitur *damnata est opposita doctrina Iansenistarum*. Ita ab Alexandro VIII. die 7. Dec. 1690. Prop. XVI.: „Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio ecclesiae sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante“ (*Denzinger* l. c. 1173). Prop. XVII.: „Per illam praxim mox absolvendi ordo Paenitentiae est inversus“ (*Denzinger* l. c. 1174). Deinde cum Synodus Pistoriensis renovare studeret hanc doctrinam, Pius VI. eam rursus reiecit. Prop. XXXV.: Doctrina haec, „quatenus innuit paenitentias, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis quam ut paenitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis; quasi, ut vera ratio Sacramenti non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et paenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem: falsa, temeraria, communi praxi ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum“ (*Denzinger* l. c. 1398). Hic scil. *Petrus de Osma* (Oxonienis) a. 1479 a Sixto IV. damnatus erat ob eandem doctrinam: „Non sunt absolvendi paenitentes nisi peracta prius paenitentia iis iniuncta“ (*Denzinger* l. c. 614).

262. Deus ipse Davidi prius remisit peccatum et dein postulavit poenam temporalem, et apud Ezechielem testatur se dimittere peccatum eo die, quo iniquus conversus fuerit ab iniquitate sua (Ez. 33, 12).

Ergo ecclesia hoc exemplum Dei sequi potest et statim peccatori disposito remittere peccata, licet postea poenae solvendae sint. Ea enim satisfactio latius dicta, quae necessario absolutionem praecedere debet, i. e. retractatio peccati et voluntas compensandi iniuriam commissam, habetur per ipsam contritionem et confessionem. Debere autem ante absolutionem etiam omnem poenam temporalem deletam esse, eo minus postulari potest, quia homo sine speciali revelatione numquam scit, num pro tota poena temporali satisfecerit.

263. *Schol.* Utrum in veteri ecclesia absolutio sacramentalis data sit ante an post satisfactionem impletam.

Imprimis certum est *interdum datam esse absolutionem, antequam tota paenitentia impleta esset*, scil. in casu urgentis necessitatis. Ita tempore imminenti mortis sic concedebatur sacra Communio, ut tamen paenitens, si reconvalesceret, satisfactionem perficere deberet. Innocentius I. ad Decentium episcopum scribit; „Si quis aegritudinem incurrerit atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschae relaxandum, ne de saeculo absque Communionem discedat“ (Ep. 1, al. 25, c. 7; *M* 20, 559). Similiter *Leo M.*, Ep. 108, n. 4.

Item tempore persecutionis lapsis Eucharistia dabatur, ut scribit *Cyprianus*: „Nunc non infirmis [quibus semper dandam Communionem brevi ante dixerat] sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut, quos excitamus et hortamur ad proelium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus“ (Ep. 57 ad Cornelium, n. 2; *H* 2, 651). Idem sanctus testatur etiam concessam esse Communionem iis, de quibus timendum erat, ne nimis longa paenitentia territi ad haereticos deficerent (Ep. 55, al. 52 ad Antonian., n. 15; *H* 2, 634).

264. Ad solvendam autem quaestionem, utrum extra hos vel similes casus absolutio sacramentalis communiter data sit ante an post peractam integram paenitentiam, imprimis distinguendum est inter paenitentiam publicam et privatam. Nam ex eo, quod forte in paenitentia publica non dabatur absolutio nisi post expletam satisfactionem, non sequitur idem servatum esse in paenitentia privata.

Certum est igitur in paenitentia publica *aliquam absolutionem datam esse in fine tantum temporis paenitentiae assignati*. Eratne autem haec absolutio sacramentalis an fori externi, ut est absolutio ab excommunicatione?

265. Multa sunt, quae omnino suadeant *hanc absolutionem non fuisse sacramentalem*. Indubitata est enim doctrina catholica a quoquam, qui sacerdos non sit, absolutionem sacramentalem dari non posse. Atqui haec absolutio interdum dabatur a diaconis, ut discimus ex Cy-

priano: „Quoniam video facultatem veniendi ad vos nondum esse et iam aetatem coepisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus infestat, occurrendum puto fratribus nostris, ut, qui libellos a martyribus acceperunt et praerogativa eorum apud Deum adiuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata praesentia nostra apud presbyterum quemcumque praesentem vel, si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu iis in paenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt“ (Ep. 18; *H* 2, 523). Hic igitur dicitur eadem reconciliatio per diaconum dari posse, quam ipse episcopus publice dare solebat. Prorsus autem improbabile est, quod *Morinus* (De Paenit. l. 8, c. 23) putat, diaconis ibi concessam fuisse facultatem sacramentaliter absolvendi, cum ipse concedat Patres Latinos et Graecos docuisse hoc non posse fieri (cf. *Frank*, Bussdisciplin. p. 242 sqq. 807 sqq.), et cum hic apertus fuisset error in fide.

266. Praeterea *neesse non erat episcopus, qui paenitentes absolveret, eorum quoque confessiones audiret*, immo sunt ordines paenitentiales, in quibus expresse praescribitur, ut sacerdotes prius confessiones paenitentium audiant, dein episcopus paenitentes reconciliet (cf. *Martène*, De antiq. eccl. rit. I, 295). Atqui nemo potest absolutionem sacramentalem dare, nisi qui paenitentis confessionem audivit. Ergo illa publica reconciliatio non erat absolutio sacramentalis.

267. Porro *credibile non est paenitentes obligatos fuisse ad eadem peccata bis confitenda*, id quod fieri debuit, si inter confessionem, quae fiebat initio paenitentiae, et absolutionem multi forte anni intercedebant. Neque *credibile est veterem ecclesiam voluisse relinquere paenitentem per multos annos in statu peccati* et sine ulla spe per gravissima satisfactionis opera quicquam pro caelo merendi, et in gravissimo periculo perdendi salutem per inopinatam mortem.

268. Quare potius admittendum videtur *formula illa, quae in ordinibus paenentialibus omnibus statim post confessionem adhibenda praescribitur, paenitentes fuisse absolutos*. Nam verba huius formulae omnino significant remissionem peccatorum, neque alia verba in illis ordinibus ostendi possunt, quibus ratio absolutionis potiore iure ascribatur. Quod autem hae formulae in omnibus ordinibus occurrunt, signum est hos ritus secundum substantiam ex antiquitate esse traditos. Hoc etiam eo suadet, quod Graeci, qui multos veteres ritus retinuerunt, solent paenitentes graviorum criminum reos statim post confessionem absolvere sed iis sacram Communionem interdiceret, donec certas satisfactiones perfecerint, quibus expletis nova reconciliatio ad sacram Communionem admittuntur.

His aliisque rationibus nixi multi viri eruditi censuerunt etiam in publica paenitentia absolutionem sacramentalem datam fuisse statim post confessionem, alteram vero reconciliationem publicam fuisse tantum canonicam seu fori externi. Ita post multos alios nostra aetate Card. Wiseman (Die vornehmsten Lehren und Gebräuche der kathol. Kirche p. 443), Frank (Bussdisciplin p. 811 sqq.), Palmieri (De Paenit. p. 459 sqq.), Hurter (Comp. theol. dogm. III, 454 nota), Probst (Sacramente p. 367 sqq.), Schmitz (Katholik 1885, I, 357).

269. Quod vero paenitentiam privatam attinet, ne umbra quidem argumenti existit ad probandum absolutionem a confessione communiter separatam fuisse. Hoc interdum potuisse fieri non est negandum, sicut etiam hodie interdum fit. Sed quaestio est, num communiter ita factum sit, et hoc negandum putamus. Quamvis enim argumenta peremptoria ex neutra parte adsint, videtur tamen ea pars admittenda, quae non cogit nos ad varia statuenda, quae valde improbabilia sunt et cum catholica sentiendi ratione vix ac ne vix quidem conciliari possunt.

SECTIO III.

DE FORMA SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Prop. XIX. Forma Sacramenti Paenitentiae consistit in verbis: „Ego te absolvo“ vel aliis aequivalentibus.

270. *Nota:* Post materiam consideranda venit forma Sacramenti Paenitentiae. Quia vero maxima varietas apparet in modo enuntiandi hanc formam, prius eligimus unam formam, de cuius valore nemo dubitare potest, ut hac considerata de aliis facilius iudicare possimus. Haec autem est forma, quae praescribitur in universa ecclesia latina. Tenor huius formae hic est: „Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen“ (Rit. Rom. [edit. Ratisb. 1884] p. 57). Praecedunt quidem et sequuntur etiam alia verba; sed cum Rituale dicat in confessionibus frequentioribus ea omitti posse, patet ea non esse essentialia.

Porro ex verbis allatis quaedam significant absolutionem a censuris, quae ad cautelam in omni confessione addi solent, sed non sunt pars formae sacramentalis, quia non significant remissionem peccatorum. Similiter verba „Dominus noster Iesus Christus te absolvat“ non sunt aliud atque oratio quaedam praevia, non sententia iudicialis,

quippe quae enuntietur illis verbis: „Ego te absolvo“ . . . Ergo a verbis: „Ego te absolvo“, incipit essentialis forma huius Sacramenti, ut etiam ex argumentis patebit. Deinde vero videndum est, num omnia a verbo „Ego“ usque ad verbum „Amen“ (exclusive) sint de essentia.

Quae in thesi dicuntur de verbis aequivalentibus, intellegenda sunt secundum ea, quae dicuntur de forma Sacramentorum in Tractatu de Sacramentis in genere (n. 225).

271. Arg. 1. Ex Conciliis.

Conc. Florent. docet: „Forma huius Sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo . . .“ (Denzinger l. c. 594). Conc. Trid. (sess. 14, c. 3): „Docet praeterea sancta Synodus Sacramenti Paenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo etc., quibus quidem de ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur; ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant. neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae“ (Denzinger l. c. 776).

272. Arg. 2. Ex consensu theologorum.

Nullus theologus dubitat, quin verba allata sufficiant ad hoc Sacramentum ex parte formae. Ita S. Thomas (3, q. 84, a. 3), Scotus (In 4, d. 14, q. 4, n. 4) et utriusque discipuli, theologi Soc. Iesu, ut Suarez (Disp. 19, sect. 1), de Lugo (Disp. 18, sect. 1, n. 8 sqq.); item S. Alphonsus (l. 6, n. 430), alii.

Disputant autem theologi, num omnia verba formae illius essentialiter requirantur, et imprimis illa verba: „In nomine Patris“. Affirmat Durandus (In 4, d. 22, q. 2), cuius sententiae duo vel tres alii favere videntur. Sed reliqui omnes theologi docent ut sententiam omnino certam haec verba non essentialiter requiri. Quae communis sententia etiam docet verba: „a peccatis tuis“, non esse ad valorem necessaria, quamvis nonnulli, praecipue ex Casuistis, contrarium doceant. Itaque spectata sola auctoritate theologorum omnino certum est sufficere haec verba: „Absolvo te a peccatis tuis“, et longe probabilius etiam sola haec: „Absolvo te.“

273. Arg. 3. Ex Ratione.

Illa forma requiritur et sufficit, quae significat iudicalem absolutionem a peccatis. Atqui verba allata ex Rituali Rom. habent hanc significationem. Ergo sine dubio sufficiunt. Sunt enim verba, qualia in omni iudicio adhibere solent, quando reus absolvitur, et nisi his verbis sententia iudicialis enuntiatur, nulla inveniri possunt, quae sint apta ad hunc finem. Neque etiam sine ratione videtur potius dici: „Absolvo te“ quam „Remitto tibi peccata tua“, quia licet hae duae

phrases possint idem significare, tamen, cum verbum remittendi etiam ab eo, qui non est iudex, usurpari possit, verbum absolvendi, saltem ex usu, magis significat actum iudiciale.

274. *Invocatio vero Sanctissimae Trinitatis non est de essentia formae*, quia neque ex natura rei pertinet ad sententiam iudiciale, neque a Christo indicata est in institutione huius Sacramenti, neque ex doctrina vel praxi ecclesiae essentialis censi potest, quia multae formae exstant, in quibus haec invocatio non habetur. S. Thomas: „Quia tamen sacerdos sicut minister absolvit, convenienter apponitur aliquid, quod pertinet ad primam auctoritatem Dei. . . . Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in Baptismo, talis appositio relinquitur arbitrio sacerdotis“ (3, q. 84, a. 3 ad 3. Cf. Suarez, Disp. 19, sect. 1, n. 19).

275. Similiter verba „a peccatis tuis“ non videntur essentialia; nam supposita confessione sola verba: „Absolvo te“ habent significationem sufficienter determinatam, quia referuntur ex natura rei ad peccata accusata. Hoc etiam valet in iudicio humano, in quo non necessario in sententia iudiciali culpa rei exprimi debet. A fortiori idem valet in hoc iudicio, quia verbum: „Absolvo te“ super peccatorem absolute prolaturum significat restitutionem gratiae sanctificantis, qua omnia peccata delentur (cf. De Lugo, Disp. 13, sect. 1, n. 17 sqq.).

276. *Persona vero, quae absolvitur, aliquo modo debet indicari*, quia sententia iudicialis debet in determinatum subiectum ferri. Attamen sufficit, si quomodocumque subiectum indicatur. Quocirca videtur valere forma: Absolvo a peccatis „tuis“, quia per illud „tuis“ subiectum significatur, cum a suis peccatis is tantum absolvi possit, cuius haec peccata sunt. Ita De Lugo l. c. n. 26.

Nihilominus patet, si forma praescripta est ab ecclesia, omnem formae mutationem privata auctoritate factam plus minusve esse peccaminosam, et quidem graviter vel leviter pro materiae gravitate et pro periculo reddendi Sacramentum dubium (Suarez, Disp. 19, sect. 1, n. 24).

277. *Schol. 1. Quis sit proprius sensus horum verborum: „Ego te absolvo a peccatis tuis.“*

Ratio difficultatis in eo est, quod haec verba applicari possunt hominibus, qui iam sunt absoluti a peccatis, vel qui non sufficienter dispositi sunt ad iustificationem, quamquam eorum dispositio sufficit ad valorem Sacramenti. Nam etiam in hoc casu verba debent verum suum sensum retinere.

1. Secundum Petrum Lombardum (4, d. 18, n. 6) sensus esset: „Declaro te a Deo absolutum esse a peccatis.“ Quam expli-

cationem Richardus Victorinus dicit „frivolam et ridendam potius quam refellendam“ (De potest. ligandi et solvendi c. 12; M 196, 1168). S. Thomas eam ita refutat: Sacramenta Novae Legis non solum significant, sed etiam efficiunt, quod significant. Unde qui dicit: Ego te absolvo, hominem absolutum a peccatis ostendit non solum significative sed etiam effective. Hinc etiam fit, ut sacerdos proferat haec verba, non quasi de re incerta; nam Sacramenta habent de se certum effectum ex virtute passionis Christi, licet hic effectus possit impediri ex parte recipientis. Unde S. Augustinus ait: „Non erit turpis neque difficilis post perpetrata atque purgata adulteria reconciliatio coniugum, ubi per claves regni caelorum non dubitatur fieri remissio peccatorum“ (De adult. coni. l. 2, c. 9; M 40, 476). Neque requiritur specialis revelatio ad habendam hanc indubitatum certitudinem, sed sufficit universalis revelatio fidei de efficacia Sacramentorum (3, q. 84, a. 3 ad 5). Quod autem minister Sacramenti non potest esse absolute certus de dispositione paenitentis, nihil aliud ostendit nisi intentionem ministri semper hanc tacitam condicionem annexam habere: dummodo debita dispositio ex parte subiecti adsit, seu: nisi ponatur obex. Hoc autem valet non solum de absolutione sed de aliis quoque Sacramentis. Ceterum explicatio Petri Lombardi vix conciliari potest cum iis, quae docentur a Concilio Trid. (sess. 14, cap. 6 et can. 9; Denzinger l. c. 781. 797).

Alii autem modi explicandi, ut: „Ego te absolvo ab obligatione peccata subiciendi clavibus ecclesiae“ — „Ego te absolvo a poena aeterna vel a poena temporali“, quos refert Suarez (Disp. 19, sect. 2), refutatione non indigent, quia aperte pugnant cum doctrina hactenus stabilita.

278. 2. Nihilominus *difficultas* manet, quis sit verus sensus verborum in casu, in quo absolutio datur homini, qui iam est in statu gratiae. Secundum S. Thomam sensus est: „Sacramentum absolutionis tibi impendo“ (3, q. 84, a. 3 ad 5), id quod verum est, etiamsi Sacramentum datur homini, qui est in statu gratiae.

Hanc explicationem P. Suarez admittit, sed putat eam ulteriore declaratione indigere, „suas enim patitur difficultates“, primo quia „forma Sacramenti non significat quasi reflexe collationem ipsius Sacramenti, sed directe significat suum effectum“, et secundo, „quia iuxta hanc interpretationem non est necesse ad veritatem huius formae, quod conferat homini aliquem effectum, sed solum, ut conferat ipsum Sacramentum“. Hoc autem admitti nequit. Sacramentum igitur Paenitentiae debet significare suum effectum; effectus autem est infusio gratiae, qua delentur peccata. Ergo recte exponuntur illa verba: „Ego tibi gratiam sanctificantem confero, remissivam peccati, quantum est ex se.“ Cum hac autem explicatione facile conciliatur explicatio sancti Thomae; nam, quia effectus huius formae semper e condicione pendet: „Nisi paenitens obicem ponat“, recte dicitur haec

forma in omni casu vera esse secundum hanc condicionatam acceptionem, seu, quod idem est, forma dicitur conferre gratiam, quantum est ex parte Sacramenti. „Et in eundem sensum exponenda est sententia S. Thomae supra relata. . . . Non enim sensit significatum quasi obiectivum huius formae esse applicationem seu exhibitionem huius Sacramenti . . . sed illis verbis significavit . . . hanc formam significare efficaciam absolutionis, quantum est ex se, et hoc est significare exhibitionem Sacramenti ex se remissivi peccatorum, non in actu signato sed in actu exercito. Et ita exponunt S. Thomam omnes Thomistae“ (Suarez, Disp. 19, sect. 2, n. 13 sqq.; Disp. 18, sect. 1, n. 10).

279. Haec autem explicatio Patris Suarez non omnino placet Cardinali de Lugo, quia verba absolutionis „ex hominum institutione non habent significare gratiae collationem sed remissionem debiti et solutionem vinculi; ergo licet in hoc Sacramento causent gratiam, ipsa tamen de se non id significant“. Unde si obiective plures existerent modi remittendi peccata, e. g. cum gratiae infusione aut sine gratiae infusione, verba absolutionis nullum ex his determinate significarent; sed solum ideo, quia unus tantum modus existit, necessario hunc quoque modum significant. Distinguit igitur Cardinalis ita: „Verba absolutionis ex nativo suo valore, quem etiam in Sacramento retinent, significant solutionem a peccatis; secundum positivam vero institutionem Christi significant semper gratiam, per quam in hoc ordine peccata mortalia remittuntur. Iam si quaerimus, quid verba sacramentalia directe significant, haec quaestio refertur ad verba, ut verba humana sunt, non ad significationem, quam praecise ut signum sacramentale habent, et quae potius provenit ex obiecto, circa quod verba versantur. Nam directa significatio est ea, quam verba ex se et in omni casu habent; indirecta ea, quae verbis accedit, quia in certo casu significatum directum cum altera re inseparabiliter nectitur, ita ut propter hunc nexum haec altera res conotetur. Adaequata igitur explicatio debet utrumque sensum efferre: Ego tibi remitto peccata per infusionem gratiae“ (De Paen. disp. 13, sect. 3, n. 71 sqq.). Haec sententia Cardinalis de Lugo placet, quia quaestionem modo maxime naturali et perspicuo solvit, et quia simul omnibus difficultatibus satisfacit. Quomodo autem haec expositio vera maneat, etiamsi agitur de peccatis iam remissis, supra explicatum est in Prop. XIV (cf. Palmieri p. 122 sq.). Putat quidem De Augustinis: Si haec sententia vera est, „inferre debemus, ergo peccati remissio (quae directe significatur) antecedit gratiam (quae indirecte significatur), cum tamen causa formalis unica nostrae iustificationis sit gratia iuxta Conc. Trid. sess. 6, c. 7, et omnis formae veteris privatio formae novae inductione posterior censeatur“ (De Paen. p. 292 sq.). Sed respondendum est: Remissio peccatorum directe nihil significat homini

internum, sed significat Deum cedere iuri suo odio habendi et puniendi istum hominem. Haec autem cessatio irae divinae ratione praecedit collationem gratiae, et in alio ordine rerum posset esse sine gratiae collatione. Ergo manet vera sententia Cardinalis de Lugo.

280. Ex dictis etiam clarius patet sensus illius distinctionis iam supra (Prop. XIV, Schol. 2) indicatae: remitti peccatum aut directe aut indirecte. Directe remittitur, quod secundum nativum sensum est obiectum illorum verborum: „Ego te absolvo“, ergo ita remittuntur peccata clavibus subiecta; indirecte remittitur, quod quidem clavibus non est subiectum, sed deletur per gratiam potestate clavium datam.

281. Schol. 2. De absolutione condicionata.

Quamvis in omni absolutione aliquo modo inclusa sit illa condicio: „nisi adsit obex“, tamen nequaquam semper absolutio condicionate danda est, cum hac ratione modus a Christo institutus mutetur in alium. Sic etiam in iudicio civili inclusa est haec condicio: „dummodo testes vera dixerint.“ Neque tamen haec condicio expresse additur. — Ex altera parte condicionata forma adhiberi potest et debet, quando confessarius non sufficienter certus est de valore suae absolutionis, et tamen urgens ratio adest tentandi absolutionem. Haec expressa additio condicionis tunc fit solum propter reverentiam Sacramenti, quatenus sacerdos protestatur se nolle exponere Sacramentum periculo nullitatis. Quare nullius momenti est obiectio doctoris *Berlage* contra absolutionem condicionatam (Theolog. dogm. VII, 624), qui putat condicionem addi esse inutile, cum semper tacite includatur. Nam condicio, quae ex natura rei semper includitur, refertur ad rem Sacramenti: „Do tibi gratiam, in quantum possum ex mea parte.“ Condicio, quae interdum expresse additur, refertur ad ipsum signum sacramentale: „Volo Sacramentum conficere, si paenitens capax est recipiendi effectus.“

282. Alteram obiectionem movent, quod sententia iudicialis non potest valide ferri in forma condicionata. Sed hoc dictum sic universaliter prolatum verum non est; nam etiam in iudicio saeculari interdum similes sententiae feruntur: „Nisi haec feceris intra unum mensem, hanc mulctam dabis.“ A quibusdam videtur confundi iudicium, ut est actus intellectus componentis vel dividens ideas, et iudicium, ut est sententia iudicialis. Nam dicunt iudicium confessarii, num paenitens sit dispositus, esse ipsam actionem iudicalem. At hoc non est verum, cum sit merum praerequisitum; et praecise, quia sacerdos nescit, num hoc praerequisitum sufficienter adsit, sententiam condicionate fert. Quia autem est condicio de praesenti, et quia pertinet ad forum internum, in quo Deus ipse sententiam exsequitur secundum ea, quae obiective vera sunt, nihil obstat haec condicio validitati sententiae.

Licet igitur in iudicio forensi inepta sit haec sententia: „Adiudico domum Petro, si ius ad illam habet“, quia tunc nemo scit, num domus sit Petri; nequaquam idem valet de sententia: „Absolvo te, si dispositus es“, quia Deus, qui hanc sententiam exsequitur, scit, quid obiective verum sit.

Prop. XX. Forma absolutionis secundum sensum debet esse indicativa, licet secundum modum loquendi possit esse deprecativa, nisi obstet praeceptum ecclesiae.

283. Magna difficultas inde oritur, quod multi theologi docent formam Sacramenti Paenitentiae non valere, si proferatur modo deprecativo, et nihilominus ex altera parte historice videtur constare formam deprecativam saepe fuisse et adhuc esse in usu. Ut igitur hanc rem, quam maxime fieri potest, elucidemus, quattuor statuimus:

1. formam debere esse formaliter indicativam;
2. formam posse esse materialiter deprecativam;
3. formam materialiter deprecativam fuisse reapse in usu;
4. posse ecclesiam efficere, ut una tantum forma sit valida.

Pars I. Forma Sacramenti Paenitentiae debet esse formaliter indicativa.

284. Sensus est: Sacerdos debet formam absolutionis ita proferre, ut significet se sua potestate ministeriali peccata remittere neque solum ut hominem privatum rogare Deum, ut ipse paenitenti peccata remittere velit.

Argumentum: Absolutio est actus iudicialis; atqui mera precatio non est actus iudicialis; ergo absolutio debet fieri in forma non mere deprecativa sed indicativa. Christus enim non dixit: Pro quibus oraveritis, eorum peccata remittentur, sed quorum peccata remisistis, remissa sunt. Ad alterum vero textum: „Quodcumque solveris super terram . . .“ (Matth. 16, 19) S. Thomas notat: „In Sacramento Paenitentiae verba Scripturae, quae maxime sunt sectanda, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, sed magis verbo indicativo utitur; non enim dixit: Quaecumque petieris esse solvenda, erunt soluta, sed: Quaecumque solveris, erunt soluta. Si ergo illa tantum dicuntur esse soluta, quae habens claves solverit, qui autem petit aliquid esse solvendum, non solvit, miror, qua temeritate aliquis asserat esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum“ (Opusc. 18, al. 22, c. 1: Edit. Vives. vol. 24, p. 418). Oppositam vero sententiam vocat s. doctor „praesumptuosam“, quia repugnat evangelicis dictis, et quia illi sententiae obstat communis consuetudo tali forma utentium, cui aliquem contrariari non parvae praesumptionis est, et quia obstat „communis sententia magistrorum

Parisiis legentium“. Sed notandum est S. Thomam haec dixisse contra aliquem, qui affirmaverat formam indicativam non esse adhibendam; neque vero in eam quaestionem inquit, num possibilis sit vel in usu fuerit aliqua forma materialiter deprecativa, quae ad valorem sufficiat. — Formam indicativam ad valorem Sacramenti necessariam esse longe communior theologorum sententia docet. Cf. Suarez (Disp. 19, sect. 1, n. 25) et De Lugo (Disp. 13, sect. 4).

Pars II. Forma Sacramenti Paenitentiae per se potest esse materialiter deprecativa.

285. Sensus est: Non absolute requiritur, ut verba secundum grammaticalem constructionem modo indicativo proferantur. Nam forma indicativa ad hoc necessaria est, ut significetur actus iudicialis sacerdotis; sed hic actus etiam significari potest verbis grammaticaliter non indicativis. Exempli gratia haec forma: „Absolvat te Deus per (hoc) meum ministerium“, quamvis verbis deprecatoriis proferatur, tamen diserte significat ministerium sacerdotis. Quare rationabiliter dubitari nequit, quin haec forma per se sit valida. Recte enim notat P. Suarez „eadem verba materialiter sumpta, quae possunt proferri in sensum deprecandi, proferri posse modo et intentione imperandi; in quo sensu erunt aequipollentia et consequenter etiam sufficientia, quia practice significant efficiendo talem effectum“ (Disp. 19, sect. 1, n. 23).

286. Unde concludendum est posse verba deprecatoria etiam valere, licet non addatur illud: „per meum ministerium“; nam hunc sensum verba non solum habere possunt eo, quod hoc diserte addatur, sed etiam ex circumstantiis et communi acceptione hominum. Sicut enim per verba: „Baptizatur vel baptizetur servus Christi“, sufficienter exprimitur potestas ministerialis, ita non apparet, cur verbis: „Absolvatur servus Christi a peccatis“, vel similibus non aequè bene exprimi possit potestas ministerialis. Supposita vero in ministro Paenitentiae intentione iudicialiter absolvendi et hac mente formam proferendi, obiectivus sensus formae maxime ex usu pendet. Itaque si quando ecclesia publice approbet formam grammaticaliter deprecativam, cum ex altera parte doceat absolutionem esse sententiam iudicalem, omnes fideles formam deprecativam ita intellegent, ut simul credant se sententia sacerdotis absolvi. Itaque vel per auctoritatem vel per usum vel per circumstantias fieri potest, ut formae materialiter deprecativae indatur sensus indicativus. Et hoc concedunt etiam illi, qui defendunt formam deprecativam esse invalidam. Ita Card. de Lugo scribit de illa forma „Absolvat te Deus“: „Videtur in aliquo sensu imperativo subsistere illam formam, quatenus sacerdos per illam non imperet novam prolationem sententiae sed executionem ipsius, sicut si iudex reum detentum in carcere absolvat per haec verba: Solvat te custos

a vinculis, valida erit sententia. Similiter ergo sacerdos valide videtur absolvere dicendo: Solvat vel absolvat te Deus a vinculis peccati, quibus teneris. Haec enim solutio vere mandatur executioni a Deo per gratiam, quam producit in homine. Esset autem illud imperium non proprium, cum homo non possit proprie imperare Deo, sed improprium seu intimatio voluntatis facta ex potestate iudiciaria, quam ipse homo accipit a Deo" (Disp. 13, sect. 4, n. 106).

Talem formam P. Palmieri vocat „deprecationem potestativam“, qua, qui utitur, „ita manifestat voluntatem huiusmodi [i. e. ut paenitens absolvatur a Deo], ut simul sententiam eius, qui eam ex auctoritate fert, repraesentet ipsumque iudicem tamquam actu iudicantem ideoque et cum Deo absolventem nobis sistat" (De Paenit. p. 129).

Pars III. In quaestione historica, num talis forma deprecativa aliquando in usu fuerit in ecclesia, pars affirmativa est longe probabilior.

287. Omittamus argumentum illud: absolutionem a SS. Patribus saepe vocari „orationem“ (Morinus, De Sacram. Paenitentiae l. 8, c. 8, n. 7 sqq.), cum quodlibet Sacramentum vocari possit oratio, praesertim si efficacia Sacramenti dicitur esse moralis, quam unicam novisse Sanctos Patres non immerito inde concluditur, quod effectum Sacramentorum solent orationi ascribere (cf. Binterim, Denkwürdigkeiten III, 3. 222 sqq.).

Sed magnum pondus huic sententiae accrescit ex eo, quod veterinae formae absolutionis, quae exstant, vix non omnes modo deprecatorio conceptae sunt, ut patet ex Ritibus, quos collegerunt Morinus (in Append. ad opus cit.) et Martène (De antiq. eccl. rit. l. 1, c. 6, a. 5, n. 12, et a. 7, t. 1, p. 211 et 275 sqq.). Quamvis inter hos ritus quidam spectent ad reconciliationem publicam, alii tamen omnino pertinent ad absolutionem privatam, neque ullae aliae formae pro privata absolutione in libris exstant, unde Morinus ait: „Cum, quotquot sunt Libri rituales, Sacramentaria, Pontificalia, Paenitentialia ante annum ducentesimum supra millesimum scripta, nullas alias formas quam deprecativas nobis exhibeant, dici posse nullo modo mihi videtur alias in praxi adhibitas fuisse“ (l. c. p. 10, n. 1). Neque pro illis Libris ritualibus provocari potest ad disciplinam arcani, cum omnes ritus Sacramentorum in illis diligentissime describantur, et illa disciplina iam diu cessasset.

288. Item in veterioribus Euchologiis Graecorum catholicorum nulla invenitur forma nisi deprecativa (cf. Migne, P. G. 88, 1896, et Goar, Euchol. p. 673 sqq.). Morinus haec narrat: „Cum ego Romae hac de re interrogarem quendam graecum sacerdotem, Ligarinum nomine, Chium natione, virum doctum, quique in Collegio Romano adolescentibus graecis graece erudiendis praeerat, respondit

mihi absolutionis formam Graecis usitatam et vulgarem hanc esse, quam manu sua descripsit: „Ipse Domine, remitte, dimitte, condona peccata huius N., quia tua est potentia et tuum regnum Patris etc.“ (Morinus l. c. c. 12, n. 7.) Denzinger vero scribit: „Forma absolutionis apud Orientales catholicos et non catholicos, si solos Armenos excipias, deprecativa est“ (Rit. Orient. I, 101 sqq.).

289. Cum agebatur de unione Armenorum cum ecclesia romana, quidam Catholici obieiebant Armenis: „quod episcopi et presbyteri Armenorum nihil faciunt ad peccatorum remissionem... et ideo, cum absolvunt, dicunt: „Deus dimittat tibi peccata tua.“ Responderunt Armeni: „Hoc, quod dicitur, quod episcopi et presbyteri Armenorum nihil faciunt ad peccatorum remissionem, falsum est... Sed pro forma absolutionis sciendum est, quod, licet intentio sacerdotis et illius, qui confitetur, eadem est sicut vestra, quia sacerdos intendit dare et populus recipere remissionem peccatorum, tamen formam non perfecte ponebant, sed sic dicebant, ut supra dictum est. Sed ex tunc, quod habuimus notitiam romanae ecclesiae multi de nobis addiscentes formam eius, cum eadem forma facimus remissionem peccatorum et docemus alios facere“ (Mansi, Supplem. Conc. III, 488). Goar quoque varias formas indicativas refert, quas dixit Orientales accepisse ab ecclesia latina. Nihilominus etiam independenter ab ecclesia latina formas indicativas, saltem recentiore aetate, fuisse in usu apud Graecos, sive schismaticos sive catholicos, testantur Goar (l. c. p. 676 sqq.), Schelstrate (Acta orient. eccl. I, 329. 359), Papp-Szilagyi (Enchirid. iur. eccl. orient. cath. p. 399). Arcudius in opere De concordia eccl. orient. cum occid. (l. 4, c. 3) dicit post diuturnam investigationem se tandem invenisse usum formae indicativae: ἔχω σε συγχωρημένον, attamen hunc usum minime communem esse; sed Morinus ne pauca quidem illa Arcudii exempla concedere vult, cum non referantur ad absolutionem sacramentalem (l. c. c. 12, n. 8 sqq.).

290. Quando in ecclesia latina introducta est forma indicativa?

S. Augustinus videtur supponere sua aetate formam indicativam esse plane inusitatam inter Catholicos. Nam loquens contra Donatistas ait: „Futuri erant homines, qui dicerent: Ego peccata dimitto, ego iustifico, ego sanctifico, ego sano, quemcumque baptizo... Iudaei quid dixerunt? Quis est hic, qui et peccata dimittit? Audet sibi homo hoc usurpare? Quid contra haereticus? Ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico. Respondeat illi non ego sed Christus: O homo, quando ego a Iudaeis putatus sum homo, dimissionem peccatorum fidei dedi. Non ego, respondet tibi Christus: O haeretice, tu, cum sis homo, dicis: veni, mulier, ego te salvam facio; ego, cum putarer homo, dixi: vade, mulier, fides tua salvam te fecit... Respondent et dicunt: si non dimittunt homines peccata, falsum est ergo, quod ait Christus: Quae solveritis in terra,

soluta erunt et in caelo. Nescis, quare hoc dictum sit, quomodo dictum sit. Daturus erat Dominus hominibus Spiritum Sanctum, et ab ipso Spiritu Sancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intellegi dimitti peccata" (Sermo 99 in Luc. 7, c. 8 sq.; *M* 38, 599 sq.). Verum quidem est S. Augustinum hic loqui directe contra falsam praesumptionem, quasi peccata meritis hominum remittantur, sed in refutando hoc errore ita loquitur, ut non potuit loqui, si Catholici forma utebantur: „Ego te absolvo a peccatis tuis.“ Si vero forma deprecativa utebantur, non solum illa verba clara sunt, sed facilius etiam intellegitur, quod alibi Augustinus dicit: „Manus impositio [i. e. absolutio] non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super hominem?“ (De Bapt. l. 3, c. 16, n. 21; *M* 43, 149.)

291. Neque post tempora S. Augustini ullum vestigium apparet formae indicativae usque ad saeculum IX. vel X., quando incipiunt paulatim addi formae indicativae deprecativis, ut in Ordine VI. apud *Martène*: „Deus omnipotens Salvator et Redemptor generis humani, qui apostolis suis dedit potestatem ligandi atque solvendi, ipse te absolvere dignetur a cunctis iniquitatibus et peccatis tuis, et, quantum meae fragilitati permittetur, auxiliante Domino, sis absolutus ante faciem illius“ (De antiq. eccl. rit. l. 1, c. 6, a. 7, p. 283). Alia videri possunt apud *Morinum* (l. c. Append. p. 19: „Sis namque absolutus“) et apud *Binterim* (Denkwürdigkeiten III, 3, 231. 244 sqq.).

292. Magis magisque post saeculum X. videtur consuetudo invaluisse addendi verbis deprecativis etiam verba indicativa, sed ante saeculum XIII. hic usus nondum videtur fuisse plane communis. Nam initio saeculi XIII. Guilelmus Parisiensis de forma absolutionis haec scribit: „Neque more iudicum forensicorum pronuntiat confessor: ‚Absolvimus te, non condemnamus‘, sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat. Et nemo dubitat, quin possit et debeat confessor orare Patrem misericordiarum, ut etiam remittat peccanti peccata, quae nec ipse paenitens in se cognoscit et eidem confessori recognoscit. Unde in absolutione confitentium non consueverunt dicere sacerdotes: ‚Dimittat tibi Deus peccata, quae confessus es mihi, sed potius omnia“ (De Sacram. Paenit. c. 19 [edit. Venet. 1591], p. 472, col. 2, g). Praeterea adversarius, contra quem S. Thomas pugnat Opusc. 18, audacter dicit: „Vix triginta anni sunt, quod omnes hac sola forma deprecativa utebantur“ (Opusc. 18, c. 5). Quod certe non dixisset, si eo tempore forma indicativa notorie fuisset communis. Neque S. Thomas negat eius dictum, sed minuit tantum: „Quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit?“ Similiter adversarius pro sua sententia citat Guilelmum Altissiodorensem, Guilelmum Parisiensem,

Hugonem Cardinalem. Respondet S. Thomas de eorum sententia sibi non constare, „sed, et si ita senserunt, numquid eorum opinio praedjudicare poterit verbis Domini?“ (l. c. c. 2.) Quae omnia ostendunt saltem non multo ante aetatem S. Thomae formam indicativam communiter receptam fuisse.

293. Hae fere sunt rationes, ob quas magni theologi non solum censent formam materialiter deprecativam posse esse validam sed etiam reapse diu in usu fuisse. Ita *Duhamel*, *Card. Gotti*, *Tournely*, *Sardagna* (De Sacram. Paenit. n. 25 sqq.), *Perrone*, *Palmieri* (p. 127 sqq.), *Hurter*, *Frank* (Bussdisciplin p. 776 sqq.). Oppositam sententiam praeter doctores iam citatos nostra aetate maxime defendit *P. de Augustinis* (De Paenit. thes. 23, Schol.). Bene utriusque opinionis momenta collegit *Collet* (De Paenit. p. 2, c. 7, a. 1, n. 10 sqq.; *Migne*, Curs. theol., t. 22, coll. 711 sqq.). Sed hic theologus, ut multi alii, qui formam deprecativam reiciunt, eam intellegit, quae non solum grammaticaliter sed etiam formaliter et secundum sensum sit mera deprecatio et ea mente proferatur; quam non valere omnino concedendum est (cf. *Collet* l. c. n. 65 sqq.).

294. **Pars IV. Ecclesia potest praecipere unam formam tamquam unice validam.**

Imprimis enim forma deprecativa tunc tantum valida esse potest, si ob circumstantias habet sensum indicativum. Iamvero hunc sensum habet, quia ecclesia eum formae materialiter deprecativae adnexuit, similiter ac si in aliquo regno lege statueretur, ut omnes iudices ferrent sententiam his verbis: „Absolvat te rex“; vel: „Puniat te rex tali vel tali poena“; hac enim lege supposita omnes homines, non obstante forma deprecativa, intellegerent veram sententiam ferri. Unde e contra si ecclesia declarat illam formam non iam habendam esse legitimam, eo ipso cessant verba deprecatoria secundum communem acceptionem habere sensum indicativum. Consequenter etiam verba, quae in ecclesia latina praemitti solent ante absolutionem, i. e. „Misereatur“ et „Indulgentiam“, licet per se possint esse forma, tamen nunc non sunt forma, quia proferuntur non intentione absolvendi sed intentione impetrandi paenitenti debitam dispositionem. Itaque nequaquam dicendum est a sacerdotibus latinis bis proferri formam absolutionis, sed ut *Trid.* docet: Forma absolutionis posita est in solis verbis: Ego te absolvo; alia vero de ecclesiae sanctae more tamquam preces (inde a saec. XIII.) adiunguntur (sess. 14, c. 3; *Denzinger*, Enchir. l. c. 776).

295. Dein vero, quia absolutio est actus iuridicus, ecclesia statuere potest formam unice authenticam huius actus, ita ut, si quis velit alia forma uti, eo ipso careat in hoc actu iurisdictione. Sub hoc re-

spectu iterum apparet similitudo huius Sacramenti cum Matrimonio, quia simili modo ecclesia Matrimonium per se validum potest invalidum reddere. In utroque casu ecclesia non mutat substantiam Sacramentorum, sed efficit, ut aliquis actus omnino non subsistat, qui ratione prius praerequiritur ad signum sacramentale, qui actus in Paenitentia est actus iurisdictionis, in Matrimonio contractus nuptialis.

296. *Ecclesiam revera praescrripsisse formam indicativam pro Latinis* constat tum ex *Conc. Trid.* tum ex *Rituali Rom.*; num vero per hoc praeceptum sublatus sit valor formae deprecativae, non plane certum est, et pauci theologi negant, licet plurimi affirmant. Dom. Sotus, e. g. dicit: „In Sacramento Paenitentiae, licet quis diceret: absolvit te, vel: absolvat te Christus, vere absolveret, quamvis peccaret“ (In 4. d. 3. q. unica, a. 5, § „Percontaberis autem“ in fine; cf. *Sardagna*, De Paenit. n. 29).

297. *Orientalibus vero ecclesia numquam formam indicativam generaliter et simpliciter praescrpsit.* Immo, cum pluries in Conciliis ageretur de unione Graecorum cum Latinis, numquam dubitatio mota est de validitate absolutionis, quam Graeci verbis deprecativis dabant. Cum vero temporibus Clementis VIII. in Italia australi centum circiter parochiae essent, quae a graecis sacerdotibus administrarentur, cumque hi sacerdotes identidem Latinorum quoque confessiones audirent, summus pontifex statuit: „In casu necessitatis presbyteri graeci catholici possint Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in generali Concilio Florentino praescrpta; et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma huiusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt“ (Bull. Rom. t. 10 [ed. Taur.], p. 212). Testatur igitur pontifex Graecos uti solitos esse forma deprecativa. Praescrbit usum formae indicativae pro absolvendis Latinis. Permittit addi alias preces, quae utique in hoc casu considerandae sunt ut merae preces, non ut repetitio formae. Nihil statuit quoad generalem consuetudinem Graecorum utendi forma deprecativa. Tota vero instructio eo valet, ut illis locis paulatim aboleatur ritus graecus et introducatur ritus latinus. „De orientalis ecclesiae circa Paenitentiam disciplina“ habes dissertationem *Philippi de Carboneano* in Theologia morali Patris Antoine, in Appendice ad Tractatum de Sacramento Paenitentiae (Edit. Augustae Vindel. 1760, p. 288 sqq.), ubi § 3 hanc de forma quaestionem tractat.

Prop. XXI. Absolutio dari debet verbis ore prolatis ideoque paenitenti praesenti.

Pars I. Absolutio dari debet verbis.

298. Haec doctrina probari nequit ex natura iudicii; nam sententiae iudiciali non absolute repugnat, eam scripto ferri. Revera nonnulli

veteres theologi concluderunt eodem modo dari posse absolutionem (cf. supra Prop. XIII, Schol. 2, et *Wirceburg.*, De Paenit. n. 139). Sed immerito; quia enim Sacramentum est positivae institutionis, ad normam voluntatis Christi administrandum est. Atqui voluntatem Christi fuisse, ut absolutio voce humana daretur, constat ex Traditione.

299. Imprimis enim *Traditio docet omnia Sacramenta constare verbis tamquam forma.* Neque haec doctrina explicanda est secundum sensum minus proprium, nisi specialis ratio adsit. Sed talis ratio in unico Matrimonio adest. Nam Christus contractum matrimonialem non instituit, sed ad dignitatem Sacramenti evexit. Ergo quae valent ad contractum naturalem constituendum, per se etiam valent ad constituendum Sacramentum. Sed Paenitentia, ut alia Sacramenta, est tota quanta positivae institutionis; ergo praecise ii ritus servandi sunt, quos Christus instituit. Cum igitur Traditio doceat Sacramenta constitui verbis ore prolatis ut forma, nulla exceptio statuenda est in Sacramento Paenitentiae.

300. Porro *omnes Libri rituales* omnium ecclesiarum, quae admittunt Sacramentum Paenitentiae, semper exhibent ministrum ut absolutionem ore proferentem neque umquam aliter. Sic etiam Eugenius IV. docet: „Forma huius Sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo.“ Postea vero, ubi de Matrimonio agit, idem pontifex ait: „Causa efficiens Matrimonii *regulariter* est mutuus consensus per verba de praesenti expressus“ (*Denzinger* l. c. 594. 597). Illud „regulariter“ ostendit pontificem in illo decreto „verba“ intellegere sensu stricto; ergo, cum quoad formam absolutionis nullam limitationem addiderit, „verba“ ibi sunt sensu stricto intellegenda.

Hoc confirmatur communi doctrina theologorum docentium verba ore prolata esse de essentia huius Sacramenti (*Suarez*, Disp. 19, sect. 1, n. 3). Cum vero opposita paucorum opinio paulo latius spargi coepta esset, a *Clemente VIII.* damnata est (supra n. 193).

Pars II. Absolutio praesenti dari debet.

301. Hoc efficitur ex praecedentibus. Verba enim ore prolata ad solum praesentem dirigi possunt. Neque serio quis diceret ad absentem: Ego te absolvo. Iamvero ad hunc sensum omnes formae reduci debent, licet forte sint deprecatoriae. Mera quidem oratio potest etiam pro absente fieri; sed oratio, quae est simul sententia iudicialis, supponit reum praesentem, sicut etiam illa forma Baptismi: „Baptizetur servus Christi“, quam omnes validam agnoscunt, non debet proferri ut pura oratio sed ut actus ministerialis ideoque in praesentem. Ergo idem dicendum de forma: „Absolvat te Deus a peccatis tuis“, vel similibus. Propterea nulli Libri paenitentiales vel rituales

illum vestigium ostendunt absolutionis dandae absentibus. Immo necessitas absolutionis praesenti dandae semper tam certa videbatur fidelibus, ut olim in casu necessitatis utilius putarent confiteri laico praesenti quam sacerdoti absentem (cf. *S. Thom.*, In 4, d. 17, q. 3, a. 4, sol. 3, ad 3), id quod sensum non haberet, si sacerdos absens posset absolvere, quia laicus hoc non potest. Hinc decretum Clementis a theologis intellegitur de valore Sacramenti, nam de liceitate non erat quaestio inter theologos, neque sola illiceitas obstaret tali absolutioni in casu gravissimae necessitatis.

302. Referunt quidem nonnulla exempla S. Cypriani, S. Thomae Cantuar., Roberti Cenomanensis etc., quae ostendant absolutionem interdum datam esse absentibus. Sed praeter alia, quae contra haec exempla dici possunt, notandum est ibi agi de absolutione canonica, non de sacramentali (cf. *Suarez*, Disp. 19, sect. 3, n. 3 et 8; *Wirceburg.*, n. 144). Ceterum non quaeritur, quid aliquando factum sit, sed quid faciendum sit.

303. Cum hac re cohaeret quaestio, *quid censendum sit de absolutione per telephonium data*. S. Congregatio de hac interrogata noluit dare responsum. Dubium tum tantum esse potest, cum duo immediate inter se colloquantur, non mediante tertio; nam, si tertius intercedat, absolutionem nullam esse patet. Sed si duo tantum inter se loquuntur, res dubia est ob duas rationes. Imprimis quaeritur, utrum vox humana immediate transmittatur, an fiat nova productio sonorum per electricitatem, sicut in phonographo fit. Secunda dubitatio est de sufficienti praesentia hominis absolvendi. Quia enim et ratio iudicii et forma Sacramenti postulat, ne sententia proferatur nisi in praesentem, quocum iudex naturaliter loqui possit, praesentia ea, quae non admittit nisi artificiosam translationem vocis, non videtur sufficere. Quia igitur propter has duas rationes res valde incerta est, licite fieri non potest, nisi forte in extrema necessitate hic modus sit unicus, qui tentari possit. In extremis enim omnia tentare licet, quae aliqualem speciem probabilis auxilii prae se ferunt. Ceterum vix unquam hic modus agendi conveniens dici potest propter magna incommoda, quae facile sequerentur, quando sacerdos ita loqueretur cum paenitente, ut ne sciret quidem certe, quis ex altera parte sibi responderet, utrum talis vel talis, utrum eadem persona an diversae, utrum aliquis, qui serio loqueretur, an qui iocari tantum vellet. Cum igitur iam tota natura iudicii per se postulet, ut iudex reum in causae investigatione coram se habeat, hoc a fortiori ita est in hoc iudicio, in quo ipse reus debito modo agere debeat personam accusatoris et testis et exhibere dispositionem sufficientem ad absolutionem, quae omnia in absentia convenienter fieri vix possunt. Tandem quam facile sigillum confessionis hoc agendi modo in periculum vocetur, explicatione

non indiget. Quae cum ita sint, valde temerarium esset, in hac re innovationem inducere velle, priusquam auctoritas ecclesiastica iudicium tulerit.

304. „Quanta vero debeat esse haec praesentia vel propinquitas inter paenitentem et confessorem, morali et prudenti iudicio pensandum est. . . . Illa ergo propinquitas, quae sufficit ad sensibilem designationem et locutionem cum alio, ad huiusmodi formam valide et efficaciter conferendam satis erit; nam cum ratio huius praesentiae praecipue fundetur in forma, ex illa etiam colligendus est modus eius“ (*Suarez*, Disp. 19, sect. 9, n. 13). Neque tamen opus est paenitentem verba audire aut intellegere; neque enim paenitens est, quem verba moraliter movere debent ad aliquid agendum, sed Deus; praesentia autem paenitentis ad hoc tantum requiritur, ut verba rationabilem sensum habeant (cf. *S. Alphons.* l. 6, n. 429).

SECTIO IV.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Prop. XXII. Sacramento Paenitentiae peccata ita remittuntur, ut numquam propter subsequens peccatum redeant.

305. *Nota.* Sacramento Paenitentiae remitti peccata et dari gratiam ex toto antecedenti Tractatu tam evidens est, ut de hac re non iam quicquam dicendum supersit. Porro ostendimus eundem effectum, qui per Sacramentum Paenitentiae habetur, obtineri quoque posse contritione perfecta. Generatim quoad effectum contritio perfecta et attritio cum Sacramento non distinguuntur nisi quoad gratias sacramentales, quatenus Sacramentum dat aliquod ius ad auxilia divina, quod non datur per contritionem. Ex natura autem huius Sacramenti patet auxilia divina eo spectare, ut pro peccatis praeteritis debita satisfactio praestetur, et ut peccata futura caveantur. Finis enim Sacramenti est delere peccata; ergo propter Sacramentum ea auxilia dantur, quae ad hunc finem valent. Unde merito frequens usus huius Sacramenti tamquam optimum remedium contra relapsus in peccata commendatur.

Similiter iam sufficienter dictum est de *efficacia satisfactionis* tum per se spectatae, tum ut est pars huius Sacramenti.

Nihilominus duae praecipuae quaestiones tractandae remanent quoad efficaciam Paenitentiae, sive ut est Sacramentum, sive ut est contritio perfecta, quarum prior est, num peccata ita remittantur, ut numquam redire possint, altera, num cum remissione peccatorum redeant merita, quae per peccata destructa erant. Ad priorem quae-

stionem hac thesi respondemus affirmative. Eadem quaestio per se poni potuit in Tractatu de Baptismo, sed, quia Baptismo homo regeneratur novaque fit creatura, ita ut vetera destruantur, ac si numquam fuissent, ibi sufficienter responsum est ad hanc quaestionem. Sed quia Sacramento Paenitentiae homo non regeneratur, neque tam perfecta remissio omnis reatus habetur quam in Baptismo, merito hoc loco haec quaestio specialiter tractatur.

Ceterum quaedam argumenta, quae afferuntur, indifferenter applicari possunt ad omnem peccatorum remissionem, sive fit per Baptismum sive per contritionem sive per Sacramentum Paenitentiae.

306. *Arg. 1. Ex conceptu remissionis peccatorum.*

Ubi quaeque Deus in Sacra Scriptura promittit remissionem peccatorum, eam absolute promittit. Atqui si propter peccatum subsequens rediret peccatum remissum, non esset remissio absoluta. Ergo peccatum remissum non redit propter peccatum subsequens.

Prob. mai.: „Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt“ (Is. 1, 18). „Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. . . . Omnia peccata eius, quae peccaverit, non imputabuntur ei“ (Ez. 33, 12. 16). „Quis, Deus, similis tui, qui auferis iniquitatem et transis peccatum . . . deponet iniquitates nostras et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra“ (Mich. 7, 18. 19). In Novo vero Testamento Christus dicitur in se transulisse omnia peccata nostra et pro iis satisfecisse (Io. 1, 29. Col. 2, 14. 1 Petri 2, 24). Ergo si per Paenitentiam merita Christi nobis applicentur, peccata simpliciter et absolute remitti debent, quia condigna reparatio pro iis praestita est. Constat igitur remissionem peccatorum, si fiat, fieri absolute.

Est autem hic notanda differentia inter collationem gratiae sanctificantis et remissionem peccatorum. Omnia quidem dona Dei „sine paenitentia sunt“ (Rom. 11, 29); Deus enim non revocat dona sua, in quantum est ex sua parte. Sed interdum ponit homo aliquod impedimentum, quocum donum Dei non potest consistere, et cogit Deum, ut retractet donum suum, et sic peccatum expellit gratiam. Sed peccatum subsequens non pugnat cum remissione peccati praecedentis, quia remissio peccati formaliter est destructio, non positio alicuius formae, et sic, licet gratia, qua peccatum destructum est, cesset, tamen remissio peccati non cessat, quia effectus privativus non requirit continuationem causae suae. Immo praecise quia gratia simpliciter destruit peccatum, illud ita destruit, ut, licet gratia cesset, destructio tamen non cesset. Secus enim gratia non esset sufficiens causa destructionis peccatorum, quod falsum est (*S. Thomas* 3, q. 88, a. 1). Praeterea sicut peccatum absolute posset destrui sine infusione gratiae, ita destructio peccati potest permanere sine permanentia gratiae.

307. *Prob. min.:* Si peccata absolute remissa sunt, aliter redire non possunt, nisi eo quod Deus mutat voluntatem suam. Atqui hoc est impossibile. Unde apparet differentia inter remissionem peccatorum et donationem gratiae; nam remissio fit secundum absolutam voluntatem Dei; donatio vero gratiae semper hanc condicionem adnexam habet: nisi homo peccaverit, quia gratia est forma positiva pugnans cum peccato praesenti. Ergo si peccata redirent, similiter eorum remissio non esset absoluta.

308. *Arg. 2. Ex natura absolutionis.*

Absolutio in Sacramento Paenitentiae per se absolute dari debet; immo numquam valide dari potest sub condicione de futuro: „nisi iterum peccaveris“. Atqui si causa remissionis peccatorum absolute ponitur, etiam remissio ipsa absolute ponitur. Ergo propter peccatum subsequens remissio non potest invalida fieri. Secus etiam peccata remissa simul cum novis peccatis accusanda essent, quia denuo peccator eorum conscientiam haberet (*Conc. Trid. sess. 14, c. 5; Denzinger* l. c. 779); hoc autem est contra praxim et sensum ecclesiae.

309. *Arg. 3. Ex defectu principii, quo peccatum possit reviviscere.*

Si peccata vere remissa reviviscunt, debet aliquod principium huius reviviscentiae adesse. Atqui nullum est. Ergo peccata non possunt reviviscere.

Prob. min.: Malum culpa non potest a Deo fieri; ergo non potest a Deo reproduci; nam reproducere est idem denuo facere. Neque homo iterat eadem numero peccata, quae antea remissa sunt. Iamvero reatus culpa nihil est nisi actus peccaminosus moraliter permanens. Ergo post peccatum destructum, nisi idem numero actus repetitur, nequit idem numero reatus reproduci. Neque peccatum subsequens potest peccatum praecedens restituere. Secus peccatum furti posset hominem reddere blasphemum propter praecedens peccatum blasphemiae, id quod est absurdum. Generatim actus novus non reproducit actum praeteritum. Haec ratio si aliquid probat, probat utique non solum de facto non redire, sed nec de potentia absoluta posse umquam redire maculam peccati semel condonati. Ita sentiunt theologi communiter (*De Lugo, Disp. 10, sect. 1, n. 8*).

Ergo si peccatum posset reviviscere, deberet ipsum radicaliter manere. Si enim nullo modo manet, Deus nullum fundamentum habet odio habendi hominem propter illud peccatum. Sin manet ita, ut praebeat fundamentum odii divini, non vere remittitur. „Ut inter homines, si creditor absolute dimisit debitum alteri, licet postea eum possit remissionis factae paenitere et velit remissionem retractare, non tamen poterit id efficaciter consequi. . . . Sic ergo praeter immutabilitatem Dei, licet per impossibile in aliis rebus posset Deus mutare

suum decretum absolutum, in hoc non posset, quia talis est ille effectus, scilicet destructio peccati, ut oppositum eius, scilicet esse in peccato, non possit fieri per solam Dei voluntatem" (Suarez, Disp. 13, sect. 1, n. 6).

310. *Arg. 4. Ex consensu omnium theologorum.*

Quamvis *Magister* dicat (IV, d. 22) quosdam olim oppositum docuisse, nemo doctrinam eorum amplexus est (cf. *Suarez* l. c. n. 4; *De Lugo* l. c. n. 7; *Vasquez*, In 1, 2, disp. 208 et In 3, q. 88, a. 1, n. 49 sqq.; *Wirceburg.*, De Paenitentia n. 73). Diserte iam *S. Prosper* dixit: „Qui recedit a Christo et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in id, quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quae ei propter illa, quae remissa sunt, debebatur" (Ad obiect. 2 Gall.; *M* 51, 158. — Alia vide apud *De Augustinis*, De Paen. p. 128 sqq.).

311. *Schol. Quomodo peccatum dici possit redire.*

Peccatum remissum, licet non redeat simpliciter, potest tamen dici redire secundum quid. Nam 1. si homo *idem specie peccatum* committit, eodem quo antea odio divino dignus fit. Immo per omne peccatum grave homo denuo privatur gratia sanctificante et iure aeternae beatitudinis. Ergo quoad hunc effectum communem omnibus peccatis gravibus peccata remissa reviviscunt secundum speciem.

2. Quo plura et maiora peccata homini remissa sunt, eo maior est hominis ingratitude in Deum, si denuo peccatum committit. Ergo peccatum subsequens ob remissionem peccatorum priorum specialem foeditatem habet. „Canis reversus ad suum vomitum et sus lota in volutabro luti" (2 Petr. 2, 22). „Sic per peccatum sequens paenitentiam redit quodammodo reatus peccatorum prius dimissorum, non in quantum causabatur ex illis peccatis prius dimissis, sed in quantum causatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus" (*S. Thom.* 3, q. 88, a. 1).

Neque tamen propterea reatus subsequens semper maior est, quam fuit praecedens, sed maior est, quam ipse fuisset, nisi tot beneficia divina praecessissent. Num autem maior vel minor sit quam reatus antea remissus, hoc pendet a peccato, quod nunc committitur et a magnitudine et multitudine beneficiorum divinatorum, quae spernuntur.

3. *Ingratitudo sequentis peccati non est necessario speciale peccatum*, sed plerumque est mera circumstantia aggravans illius peccati, quod quis committit. Tum solum ingratitude esset speciale peccatum, si quis vellet in contemptum beneficiorum acceptorum peccatum committere (*S. Thomas* 3, q. 88, a. 4).

4. Quamvis autem omnia peccata sint ingratitude quaedam in beneficium remissionis peccatorum, tamen quattuor peccata sunt, quae specialem ingratitude praese ferunt, his versibus enuntiari solita:

„Fratres odit, apostata fit spernitque fateri,
Paenituisse piget: pristina culpa redit."

(*S. Thomas* 3, q. 88, a. 2 ad 1.)

Maxime vero odium fratrum seu denegatio veniae opponitur remissioni peccatorum; „iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam" (*Iac.* 2, 13).

312. 5. Sic intellegitur parabola illa de servo, cui rex iam dimiserat debitum, et quem nihilominus coniecit in carcerem, quia noluit conservo suo eandem misericordiam praestare. „Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum. Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum" (*Matth.* 18, 23 sqq.). Qua parabola Christus ostendere vult, quantopere Deus odio habeat odium fratris seu negationem misericordiae. Quod autem rex videtur postulare solutionem debiti, quod antea iam remiserat, non est transferendum in applicationem parabola; neque enim omnia, quae in ipsis parabolis narrantur, etiam ad applicationem pertinent. Tertium comparationis hoc est, quod Deus non miserebitur eius, qui non est misericors, sicut rex ille rigore exegit a servo solutionem debiti. Quomodo vero debitum in utroque casu contractum sit, non dicitur. Qui dure agit cum fratre suo sicut servus ille, eo ipso contrahit coram Deo debitum, et, nisi resipiscat a sua duritie, Deus eadem duritie eum tractabit¹ (cf. *Knabenbauer*, Comm. in *Matth.* 2 p. 135 sqq.).

Ceterum, ut iam dictum est, debitum, quod peccatis contrahitur, secundum substantiam semper idem est, i. e. debitum privationis aeternae beatitudinis, et sub hoc respectu non est differentia inter parabolam et applicationem. Quamvis autem hoc verum sit de omni peccato gravi, tamen specialiter Christus hoc inculcavit quoad peccatum immisericordiae, quia hoc peccatum prae ceteris meretur, ut secundum strictum rigorem iustitiae puniatur (cf. *Suarez*, Disp. 13, sect. 1, n. 7. 8).

313. 6. *Patres* quidam ecclesiae hanc parabolam ita explicant, ut videantur velle omnino affirmare reditum proprie dictum peccatorum, ut *S. Chrysost.* in hunc locum (*M* 51, 29), *Gregor. M.* (*Dial.* l. 4, c. 60; *M* 77, 428), *S. August.* (*De Bapt.* l. 1, c. 12, n. 20; *M* 43, 120), alii. Et *Vasquez* quidem ait: „Suspicio in ea illos fuisse sententia"

¹ „Freilich wird Gott, wenn er die Schuld einmal nachgelassen hat, dieselbe nicht mehr einfordern, aber durch die schreiende Ungerechtigkeit gegen seinen Bruder zieht sich der Schuldner eine neue Schuld vor Gott zu, deren Größe im Verhältniss zu der vorher erlangten Verzeihung steht" (*Schanz* in *Matth.* 18, 35).

(In 3, q. 88, a. 1, n. 41). Sed merito dicit *De Lugo* hoc concedi non esse necesse, cum Patrum dicta intellegi possint de peccatorum reatu secundum quid (Disp. 10, sect. 1, n. 6). *De Augustinis* putat S. Augustinum loco citato solum argumentari ad homines contra Donatistas ex eorum suppositione (De Paen. p. 143. Cf. *Palmieri*, De Paen. p. 202 sqq.).

Prop. XXIII. Peccata remissa ne quoad poenam quidem redeunt propter peccatum subsequens.

314. *Nota:* Simul cum reatu culpae mortalis etiam semper remitti reatum poenae aeternae est de fide, ut docet Conc. Trid. (sess. 6, c. 14): „Poenae aeternae, quae vel Sacramento vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur“ (*Denzinger* l. c. 690). Et c. 7: „Homo ex iniusto fit iustus et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae“ (*Denzinger* l. c. 681). Idem docet S. Paulus (Rom. 6, 22. 23; 8, 1. 10. 11). Immo repugnat poenam aeternam, prout nunc est, coniungi cum iustificatione. Nam damnatio essentialiter in eo consistit, quod damnatus Deum considerat inimicum suum et quae talem obstinata voluntate odit. Sed hoc impossibile est in homine iusto. Num vero in alio ordine rerum alia poena aeterna possit relinqui post remissum peccatum, est inutilis quaestio (cf. *Suarez*, Disp. 10, sect. 2).

Similiter secundum dispositionem paenitentis remittit Deus plus minusve poenae temporalis, ita tamen, ut nobis ignotum sit, secundum quam mensuram Deus poenas temporales pro peccato remisso subeundas statuatur vel remittat.

Thesis spectat imprimis reatum aeternum, consequenter autem etiam refertur ad poenas temporales, nam ratio est eadem. Reditus poenae intellegitur formalis, i. e. talis, ut poena remissa peccati remissi reviviscat propter illud ipsum peccatum, propter quod erat antea debita.

315. **Probatio et explicatio.**

Unicum fundamentum reatus poenae est reatus culpae. Atqui reatus culpae ex supposito deletus est nec reviviscere potest. Ergo etiam reatus poenae ita deletus est, ut reviviscere non possit.

Potest quidem Deus illud malum, quod est poena, homini infligere ob alias rationes, e. g. ad exercendam eius patientiam, neque vero potest ad vindicandum peccatum remissum. Quare theologi cum S. Thoma communiter docent impossibilitatem reviviscentiae poenae. Gratianus pro hac doctrina refert haec verba Gelasii papae: „Divina clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur“ (d. 4 De Paen., c. 24; *M* 187, 1630). Ceterum idem suadent argumenta in thesi praecedenti allata.

Neque tamen opus est Deum semper cum peccato omnem poenam temporalem remittere; quam poenam nisi homo luerit ante mortem, ei, qui in grave peccatum reincidit et damnatur, in inferno danda est. Utrum in hoc casu futura sit aeterna an temporalis, non constat inter theologos. Sed, quidquid id est, certe non agitur de reatu poenae dimissae sed de solutione poenae, quae numquam fuerat dimissa (cf. *De Lugo*, Disp. 10, sect. 2, n. 34 sqq.).

Potest etiam Deus poenas temporales statuere, quas homines luere debent, si iterum in peccata inciderint, et hoc sensu possunt intellegi verba: „Ne memineris iniquitatumstrarum antiquarum“ (Ps. 78, 7) et similia dicta S. Scripturae.

Tandem sicut culpa, ita etiam poena potest redire secundum quid seu materialiter, quatenus eadem vel similis atque antea poena perpetianda est, quia eadem vel similis culpa contracta est.

Prop. XXIV. Per paenitentiam, qua peccata delentur, merita mortificata perfecte reviviscunt.

316. *Nota:* Opera omnia humana secundum moralem valorem, quem habent ex relatione ad finem ultimum, in quattuor classes dividi possunt. Sunt enim a) opera salutaria seu viva, quae hominem simpliciter dignum reddunt aeterna mercede; b) opera mortifera, quibus homo meretur aeternam damnationem; c) opera mortua, quae quidem per se sunt bona, sed fiunt ab homine, qui est in statu peccati mortalis, et ideo neque damnatione neque aeterna mercede digna sunt; d) opera mortificata, quae erant quidem viva, sed superveniente peccato mortali non possunt hominem, utpote privatum gratia sanctificante, quamdiu status peccati durat, reddere dignum aeterna mercede (cf. S. Thomas 3, q. 89, a. 4).

Secundae classis opera sunt peccata, quae per paenitentiam remitti vidimus. De operibus vero mortuis hoc loco nihil est dicendum, neque enim sunt peccata, ergo remissione non indigent; neque sunt ullo modo directe utilia ad salutem aeternam, quia non processerunt ex gratia, sed solum indirecte, quatenus iis homo negative disponitur ad gratiam. Unde quia non processerunt ex principio meriti supernaturalis, ne reviviscere quidem possunt; nam „opera non possunt iterum a principio procedere, quia transeunt et iterum eodem numero resumere non possunt; unde impossibile est, quod opera mortua iterum fiant viva per paenitentiam“ (S. Thomas 3, q. 89, a. 6).

Ergo dicendum est de solis operibus quartae classis, et dicimus haec opera ita reviviscere, ut propter ea homo eadem mercede dignus sit atque ante peccatum, quo mortificata erant. Praemium autem aeternum, meritum supernaturale, gratia sanctificans sunt res correlatae, quae omnes pari gradu reviviscunt. Ergo si dicimus opera

mortificata reviviscere, simul dicimus gratiam reviviscere. De hac reviviscentia meritorum *Suarez* integrum opusculum scripsit (Edit. Vivès t. 11, opusc. 5).

317. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

„Si impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis . . . vita vivet et non morietur; omnium iniquitatum eius, quae operatus est, non recordabor; in iustitia sua, quam operatus est, vivet. Numquid voluntatis meae est mors impii? dicit Dominus Deus, et non, ut convertatur a viis suis et vivat?“ (Ez. 18, 21 sqq.) „Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. . . Si autem dixero impio: Morte morieris, et egerit paenitentiam a peccato suo, feceritque iudicium et iustitiam . . . vita vivet et non morietur. Omnia peccata eius, quae peccaverit, non imputabuntur ei; iudicium et iustitiam fecit, vita vivet“ (Ez. 33, 12 sqq.).

Ad intellegendos hos textus notandum est, *de qua vita et de qua morte loquatur Dominus*. Certe non vult dicere: Iustus numquam morietur morte corporali, morietur vero eo die, quo peccaverit, neque: In futura vastatione, de qua loquitur propheta, nemo iustus peribit, sed omnes peccatores peribunt. Sermo igitur est imprimis de morte et vita, quae sunt retributio malorum et bonorum operum, i. e. de morte et vita aeterna et secundo tantum de aversione quarundam poenarum extraordinariarum temporalium. Immo expresse Deus dicit se etiam peccatoribus prolongare vitam temporalem, ut per paenitentiam recuperare possint vitam spiritualem (Ez. 18, 23). Praeterea si Deus promittit i. e. retributionem operum secundum normam strictissimae iustitiae, haec promissio necessario refertur ad alteram vitam, quia ibi tantum talis retributio habebitur, non vero in hac vita. Tandem sententia universaliter prolata universaliter debet esse vera, etiam de homine, qui in ipso lectulo mortis convertitur (cf. *Knabenbauer*, In Ez. 18, 22).

318. His suppositis *ita argumentum fit*: Impietas impii non nocebit ei post paenitentiam. Atqui nisi merita, gratia, praemia reviviscerent, quam maxime noceret ei, quia certo gradu vitae spiritualis eum privaret. Ergo merita, gratia, praemia reviviscunt.

Neque obstat, quod saepe impietas impii etiam post paenitentiam eatenus nocet, quatenus poenas temporales pro peccatis remissis luere debet. Nam Deus non dicit simpliciter: Impietas impii nullo modo nocebit ei, sed non nocebit ei ad mortem, impius non morietur pro impietate remissa. Ergo sermo est de eo tantum damno, quod obest vitae spirituali. Ceterum utrum poenae temporales huius vitae noceant homini an prosint, pendet ab ipso; a poenis vero purgatorii praeservare se potest, si vult.

319. Simile argumentum duxit S. Hieronymus in Comment. ex Joel 2, 22 sqq., ubi Deus promittit se Iudaeis, si paenitentiam egerint, daturum esse omnia illa bona, quae daturus fuerat, nisi peccassent. „Si autem“, inquit s. doctor, „post paenitentiam tantam ubertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid respondebit Novatus negans paenitentiam et reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fuerint opera paenitentiae?“ (M 25, 974.)

320. *Aliud argumentum* multi conantur cum Patre Suarez (Opusc. 5, disp. 1, sect. 1) instruere ex Hebr. 6, 9. 10: „Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniore salutem; tametsi ita loquimur. Non enim iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis.“

At *argumentatio non procedit*, quia S. Paulus nequaquam videtur supponere illos Iudaeos Christianos sub persecutione laborantes iam defecisse a fide, sed studet eos in magno periculo apostasiae positos confortare et a tanto malo absterere. Postquam enim dixit terram, quae post crebros imbres fructum nullum faceret, esse maledicto proximum, statim addit: „Confidimus de vobis meliora“, quia scilicet illi Christiani non erant terra sterilis, sed producebant opera *ἐχόμενα σωτηρίας*, quae opera maxime erant opera misericordiae, „qui ministrastis sanctis et ministratis“. Talibus autem operibus Deus ex iustitia dare debet mercedem aeternam, dummodo homines in gratia perseverent. Quare apostolus exhortatur ad hanc perseverantiam: „Cupimus autem unumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem.“ Merito igitur *Conc. Trid.* (sess. 6, c. 6) verba illa: „non enim iniustus est Deus“, affert ad ostendendum operibus iustorum inesse rationem meriti de condigno quoad vitam aeternam (*Denzinger* l. c. 692). Recte quoque docet idem valere et de iis, qui acceptam gratiam perpetuo servaverint, et de iis, qui amissam recuperaverint. Hoc verum est, etsi S. Paulus illo loco nullo modo cogitavit de reviviscentia bonorum operum.

Alius textus, ex quo argumentantur, est Gal. 3, 4: „Tanta passi estis sine causa? Si tamen sine causa.“ Sed de his textibus prius audiamus SS. Patres.

321. *Arg. 2. Ex SS. Patribus.*

SS. Patres reviviscentiam meritorum commemorant exponentes vel Hebr. 6, 9. 10 vel Gal. 3, 4.

Ita S. Epiphanius, postquam citavit Hebr. 6, 9. 10, explicat ita: „In quo vides, quemadmodum et instaurationem illam secundam fieri non posse omnino pronuntiaverit, neque tamen a salute illos excluderit, quos peccati sui paeniteret; sed et salutem propinquos esse dixerit, et Deum recte ab iis factorum esse susceptorem, qui delic-

torum suorum absolutam paenitentiam capesserent seque adeo converterent animumque mutarent" (Haeres. 59, n. 2; *M* 41, 1019). Simili modo textum explicant *Primasius* (*M* 68, 722), *Alcuinus*, *S. Thomas*, alii, quos citat *Suarez* (Opusc. 5, disp. 1, sect. 1, n. 12, 13).

Textum vero ex Ep. ad Gal. ita exponit *S. Ioan. Chrysostomus* (in Comment. Ep. ad Gal. in c. 3, n. 2): „Omnium, ait [apostolus], illorum, quae [vos Galatae] sustinuistis, isti [seductores vestri] iacturam vos facere volunt. . . . Mox, ne concuteret illorum animos. . . . subtexit ‚si tamen frustra‘, significans videlicet, si volueritis expurgari ac revocare vos ipsos, non frustra passi fueritis. Ubi nunc sunt, qui tollunt paenitentiam? Ecce hi Spiritum acceperant, signa fecerant, confessores fuerant. . . . et post tam multa recte facta a gratia exciderant; et tamen dicit: Si volueritis, potestis vos ipsos revocare“ (*M* 61, 650).

S. Hieronymus in eundem locum (Comment. ad Gal. l. 1, c. 3; *M* 26, 350): „Quas [persecutiones] frustra arguuntur fuisse perpessi [Galatae], si a gratia Christi recedant, propter quam tanta perpessi sunt. Simul et illa spes, quod, quicumque ob Christi fidem laboraverit et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat, sic rursus non perdat ea, si ad pristinam fidem et ad antiquum studium revertatur.“

Similiter textum explicant *Theodoretus*, *Herveus Burgidal.* (*M* 181, 1151), alii (cf. *Suarez*, Opusc. 5, disp. 1, sect. 2, n. 7).

322. Unum igitur certum est Sanctos Patres admisisse reviscentiam meritorum, quia secus non poterant ita exponere illum textum ad Gal.; ergo habetur argumentum Traditionis. Aliud autem est, num sit hic verus sensus textus, et hoc, servata reverentia SS. Patrum, negare possumus, cum etiam ipsi SS. Patres textum aliter exposuerint. Ita e. g. *S. Chrysostomus* (In Ep. ad Rom. hom. 13, n. 8; *M* 60, 518) haec habet: „Illud ‚siquidem‘ saepe non ambigens posuit, sed admodum credens et loco illius vocis ‚quandoquidem‘ [εἴπερ loco ἐπειπερ], ut cum dicit. . . . Tanta passi estis sine causa, si quidem [Chrysost. legit εἴπερ pro εἴγε] sine causa.“ Ergo hic supponit sensum: Evidenter omnia passi estis sine ulla utilitate.

323. Ad veram intelligentiam textus rursus supponendum est *S. Paulum* nullo verbo indicare se supponere Galatas iam seductos esse, sed eum potius velle praecavere seductionem, quia videbat Galatas vacillantes; nam 3, 5 describit praesentem condicionem Galatarum: „ὁ οὖν ἐπιγορηγῶν ὑμῖν τὸ πνεῦμα καὶ ἐνεργῶν δυνάμεις ἐν ὑμῖν.“ Unde recte *S. Augustinus* (*M* 35, 2118) dicit: „Quamvis isti nondum cecidissent, sed iam inclinabantur, ut caderent.“¹

¹ Der vorige Ausdruck [Tanta passi estis sine causa] drückt der Form nach eine Klage aus über das Geschehene als über eine vollbrachte Thatsache. So sieht

324 Arg. 3. Ex auctoritate theologorum.

Suarez 30 circiter theologos pro hac doctrina allegat (Opusc. 5, sect. 2, n. 2), et post *Conc. Trid.* vix non unanimis est omnium sententia. *Card. de Lugo* ait: „Conveniunt theologo cum *S. Thoma* in praesenti, quod per paenitentiam reviviscunt merita praecedentia; conveniunt, inquam, in hoc, quasi in dogmate“ (Disp. 10, sect. 1, n. 3). Quamvis autem nonnulli rem non recte explicaverint, tamen longe plurimi thesim nostram omnino admittunt.

325 Arg. 4. Ex Conc. Tridentino.

Conc. Trid. (sess. 6, c. 16 et can. 32) tria postulat, ut opera nostra mereantur vitam aeternam: a) ut sint honesta opera, b) ut fiant ab homine iusto, c) ut homo in gratia decedat (*Denzinger* l. c. 692. 724).

Atqui haec omnia inveniri possunt in operibus mortificatis. Ergo opera mortificata reviviscere possunt seu esse meritoria vitae aeternae. Nam opera mortificata ex supposito sunt opera honesta, facta ab homine iusto; et hic homo iustus, quamvis postea peccaverit, potest tamen in statu gratiae decedere. Ergo in hoc casu omnes condiciones adsunt, quas Concilium assignavit, et consequenter pro illis operibus mortificatis homo habebit mercedem aeternam. Haec autem est reviscentia meritorum.

326. *Potest quis obicere:* Concilium (can. 26) docet tunc tantum iustos mereri aeternam mercedem, „si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint.“ Ergo pro illis tantum operibus aliquis habebit mercedem, post quae divina mandata usque ad finem fideliter custodivit. Sed *argumentum nihil valet.* Nam perseverare usque in finem idem est ac mori in statu gratiae. Sic enim Patres et theologo intellegunt perseverantiam; sic Concilium ipsum docet perseverantiae munus esse ab eo, „qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum, qui cadit, restituere“ (sess. 6, c. 13; *Denzinger* l. c. 689); et iterum docet verba apostoli de mercede aeterna omnibus iustis applicanda esse, „sive acceptam gratiam semper conservaverint, sive amissam recuperaverint“ (sess. 6, c. 16; *Denzinger* l. c. 689).

327 Arg. 5. Ex ratione theologica.

a) Si merita mortificata non reviviscerent, Deus dicendus esset poena aeterna punire peccatum remissum. Atqui nullum indicium

Paulus indes die Sachlage nicht an. Noch gibt er die Galater nicht auf. Darum limitirt er seinen Ausruf durch den Zusatz, er wolle dieses nicht absolut gesagt haben, dass es so sei, sondern nur ex hypothesi —, eventuell nämlich, dass es auch sein Verbleiben dabei habe, dass sie ohne Sinn und Zweck gelitten (*Reithmayr*, Commentar zum Briefe an die Galater p. 222). Alii aliter explicant (cf. *Windischmann*, Galaterbrief p. 65).

talis poenae apparet in fontibus revelationis. Ergo talem poenam a Deo infligi admittendum non est.

Maior patet, quia in aeternum privari maiore gradu beatitudinis, quam quis operibus suis meruerat, est poena utique gravissima.

328. *Ad min.*: Non negamus absolute Deum potuisse mulctare peccatum tali poena, neque enim est poena disproportionata. Sed tantum abest, ut Deus dixerit se velle hanc poenam infligere, ut affirmaverit nullo damno fore peccata peccatori, quo die conversus fuerit. Deus enim admittit peccatorem conversum ad amicitiam suam, quae amicitia in caelo erit in statu perfecto. Unde si beati nihilominus punirentur privatione gradus gloriae, simul esset status perfectissimae amicitiae et status poenae, id quod admitti nequit (*Toletus*, In 3, q. 89, a. 5, concl. 2).

329. b) Meritum in actu secundo in eo consistit, quod Deus acceptat bona opera et se obligat ad retribuendam pro iis vitam aeternam, dummodo is, cuius sunt opera, in statu gratiae moriatur. Unde licet opus physice praeterierit, moraliter tamen permanet, scriptum in libro vitae, id est in cognitione et acceptatione Dei. Iamvero peccatum superveniens neque cognitionem neque acceptationem Dei destruit, sed obicem tantum ponit vitae aeternae, quo obice remoto, statim opera mortificata recipiunt efficaciam perducendi hominem ad vitam aeternam. Unde reviviscentia non est aliquid physicum sed aliquid morale tantum.

330. *Itaque discrimen est inter peccata et bona opera quoad reviviscentiam.* Peccata enim ita remittuntur, ut penitus deleantur, etiam in acceptatione Dei, quia eo ipso, quod homo est in statu gratiae, desinit omne ius Dei odio habendi hunc hominem, et sic gratia et reatus culpae formaliter inter se opponuntur.

Contra peccatum subsequens non formaliter opponitur meritis praecedentibus seu cognitioni et acceptationi Dei, sed soli efficaciae eorum, unde sublato peccato efficacia eo ipso redit (cf. *S. Thomas* 3, q. 89, a. 5; *Suarez*, Opusc. 5, disp. 1, sect. 3, n. 13).

331. Quaeri autem potest, *utrum retributio praemii pro operibus vivificatis sit ex parte Dei opus iustitiae an opus misericordiae.*

Respondendum est: „Opus hoc supponere misericordiam et consummari per iustitiam“ (*Suarez*, Opusc. 5, disp. 1, sect. 3, n. 9).

Misericordia supponitur, quia Deus potuit punire peccatorem privatione absoluta omnium meritorum, quod nisi fecit, sed voluit etiam post peccatum valere merita, dummodo homo in gratia cedat, opus fecit misericordiae. Sed haec misericordia supposita merita post conversionem plane in eo statu sunt, in quo fuerunt

ante peccatum. Tum autem iis debebatur gloria ex iustitia. Ergo etiam postea.

Ceterum etiam quoad iustos, qui numquam peccarunt, opus est misericordiae, quod Deus voluit dare gratiam et dein bona opera auxilio gratiae facta acceptare ut meritoria vitae aeternae. Ergo omne meritum de condigno in actu secundo supponit aliquam misericordiam ex parte Dei. Quoad opera autem vivificata nova misericordia accedit, quia Deus removet impedimentum prohibens effectus meritorum.

332. *Coroll. 1.* Argumenta allata ostendunt *opera mortificata non quomodocumque sed perfecte reviviscere.*

1. Itaque imprimis *admittenda non est eorum sententia, qui docent merita quoad accidentale tantum praemium reviviscere*, quatenus sancti in caelo gaudeant, quod olim haec bona opera fecerint, licet nullum pro iis augmentum gloriae recipiant. Quae sententia dicitur quorundam veterum Thomistarum fuisse, sed *Suarez* scribit se eam apud nullum theologum invenisse (Opusc. 5, disp. 2, sect. 1, n. 1).

Refutatio non requiritur, quia haec sententia non explicat, sed negat reviviscentiam meritorum. Neque enim minus gaudebunt sancti in caelis de operibus mortuis, quae fecerunt, quamvis haec nullo modo possint reviviscere.

333. 2. *Neque admittenda est sententia eorum, qui dicunt hominem non accipere quidem maius praemium, quam quod respondeat bonis actibus, quibus conversus est a peccato et quos post conversionem posuit, sed eum accipere hoc praemium etiam titulo operum mortificatorum, ita ut praeterita merita simul cum praesenti merito perducant hominem ad gloriam tantam, quantam in praesenti meruit.* Ergo secundum substantiam praemium non est maius, quam si homo ante peccatum nulla bona opera fecisset. Ita *Bannez* (In 2, 2, q. 24, a. 6, dub. 6, concl. 3), quem quidam alii sequuntur.

Haec sententia non minus quam praecedens penitus tollit reviviscentiam meritorum secundum rem, neque quicquam relinquit nisi nomen et titulum sine re, qui est mera denominatio externa neque possessori ullam utilitatem affert.

334. 3. *Tertiam sententiam* habet Dom. Sotus, quam ita explicat: „Ille, qui summo conatu, quem per auxilium Dei habere potest, resurgit, praeter gradum gratiae respondentem contritioni recuperat omnem gratiam, a qua recesserat, sive magna fuerit sive parva. Quoniam si contritio est dispositio ad vivificationem operum, fit, ut optima, quae esse potest, in integrum illa restituat; nam sicut posita dispositione ponitur effectus, posita summa dispositione ponitur summus effectus. Si contritio deficit ab illa summa, in illa proportionem,

qua ab illa distat, restituitur antiqua gratia, ut, si contritio est medietas summae, restituatur medietas gratiae, a qua homo cecidit, et, si fuerit quarta pars, restituatur ei quarta pars gratiae pristinae (In 4, d. 16, q. 2, a. 2, § „Hanc igitur ob rem“).

Aliter hanc eandem sententiam alii Thomistae explicant, ut Gonet: „Quando merita mortificata per actus remissos contritionis vel caritatis reviviscunt, non reviviscunt secundum omnem gradum meriti, quem habuerunt ante peccatum, sed iuxta quantitatem praesentis contritionis sive dispositionis, per quam paenitens resurgit; v. g. si quis ante peccatum habuit decem opera meritoria intensa ut octo et cadat in peccatum mortale et postea resurgat contritione ut unum, quodlibet opus resurget ut unum, et manebit paenitens cum merito ut undecim“ (De Paenit. disp. 6, a. 2, § 2, n. 28).

Secundum Billuart homo, qui ante peccatum habuit merita ut decem et resurgit per actum contritionis ut duo, habebit ius ad gloriam ut quattuor, duos gradus respondentes praesenti dispositioni, duos vero praecedentibus meritis (De Paenit. diss. 3, a. 5, § 2).

Consequenter debent hi doctores dicere: si homo per alios actus paulatim revertitur ad eam bonam dispositionem, quam ante peccatum habuit, totum meritum mortificatum recuperat. In hac tertia sententia sine dubio servatur conceptus alicuius verae reviviscentiae meritorum, quia opera mortificata valent ad augendam gloriam. Nihilominus admitti non potest; nam, praeterquam quod statim apparet, quam arbitrarie tales opiniones excogitentur, quas sane Deus nullibi revelavit, omnia argumenta allata hanc explicationem excludunt.

335. 4. Nituntur quidam defensores huius sententiae quibusdam dictis S. Thomae; at quia etiam aliarum sententiarum defensores verba S. Thomae pro se afferunt, eius auctoritate in hac quaestione nihil definiri potest. Ita pro prima sententia citari possunt haec verba: „Ille, qui per paenitentiam resurgit in minori caritate, consequetur quidem praemium essenziale secundum quantitatem caritatis, in qua invenitur; habebit tamen gaudium maius de operibus in prima caritate factis quam de operibus, quae in secunda fecit, quod pertinet ad praemium accidentale“ (3, q. 89, a. 5 ad 3).

Bannez pro sua sententia ad hunc eundem et ad similem textum provocat (In 3, d. 31, q. 1, a. 4, concl. 3 ad 4), ubi S. Thomas negat maius dari praemium essenziale, quam quod conveniat actui caritatis, per quem homo resurgat a peccato.

Gonetus et alii pro sua sententia citant 3, q. 89, a. 2: „Secundum quod motus liberi arbitrii in paenitentia est intensior vel remissior, secundum hoc paenitens consequitur maiorem vel minorem gratiam. Contingit autem intensionem motus paenitentis quandoque proportionatam esse maiori gratiae, quam fuerit illa, a qua recesserat per peccatum, quandoque autem aequali, quandoque vero minori. Et ideo

paenitens quandoque resurgit in maiori gratia, quam prius habuerat, quandoque autem in aequali, quandoque etiam in minori.“

Verum nota in hoc textu non esse sermonem de praemio caelesti sed de gratia habituali, quae statim in conversione infunditur, quae duo non sunt idem.

Tandem Suarez et alii dicunt secundum S. Thomam merita per peccata non deleri, sed manere in acceptatione divina. „Sed quod isti, qui ea fecit, non sint efficacia in vitam aeternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis. . . . Unde restat, quod opera prius mortificata per paenitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam aeternam, quod est reviviscere“ (3, q. 89, a. 5, cf. In c. 6 Ad Hebr. lect. 3).

Impedimentum autem intactam relinquit rerum naturam; unde impedimento remoto opera mortificata statim recuperant totam suam efficaciam.

336. Quae cum ita sint, quaestio ex auctoritate S. Thomae nullo modo dirimi potest. Immo facilius in sententiis prima et secunda, quae re non differunt, videntur omnia dicta S. Thomae aliquo modo conciliari posse, ita ut Bannez dicat in hac quaestione apparere, „quantum distent moderniores Thomistae a sententia S. Thomae, quanto magis distincta sit et consequenter procedat magisque diligenda sententia S. Thomae, prout ab antiquis Thomistis et a nobis diligenter explicata est“ (l. c. in fine art. 6).

Nihilominus haec sententia communiter a theologis Thomisticis et non-Thomisticis reicitur. Ita Sotus vocat eam falsissimam et menti S. Thomae adversissimam; Ledesma erroneam, ita ut, qui eam populo praedicaret, esset a praesidibus ecclesiae magna poena mulctandus.

337. 5. Quidquid igitur est de sententia S. Thomae, nos quartam sententiam cum Suaresio tenemus de reditu meritorum secundum totam efficaciam ob has rationes:

a) Nisi merita secundum totam efficaciam redeunt, semper verum est Deum poena aeterna punire peccata remissa, i. e. privatione maioris gradus gloriae, ita ut etiam beati in caelo sint sub vindicta divina. Atqui hoc admitti non potest. Quod enim peccator privatur meritis suis, sine dubio est poena vindictae divinae. Unde quamdiu haec privatio durat, tamdiu durat vindicta divina.

b) Porro si requiritur certus gradus paenitentiae, neque sufficit ille, quo potest homo in gratia decedere, nova condicio additur praeter illas tres, quas Conc. Trid. posuit in doctrina de merito. Atqui nemo habet ius statuendi novas condiciones. Sane id, quod homo bonis operibus ante peccatum factum meruerat, erat gloria aut augmentum gloriae, et de hoc merito Concilium loquitur. Unde si homo decedens in gratia non recipit beatitudinem correspondentem operibus bonis

quae fecit in statu gratiae, non recte Concilium dixit: ubi hae tres condiciones adessent, nihil iam deesse, quominus illis operibus vitam aeternam quis mereretur.

338. c) *Obiciunt* quidem Concilium etiam docere hominem recipere gratiam secundum mensuram dispositionis; ergo minorem gratiam accipere eum, qui minore dispositione convertatur, quam eum, qui convertatur cum meliore dispositione, licet ille prior antea maiora merita habuerit.

Sed respondendum est verba Concilii referri ad eam gratiam, quae nunc primum propter contritionem vel Sacramentum infundatur, non vero ad merita, quae quis iam antea acquisivit. Negandum enim est (et hoc est falsum suppositum tertiae sententiae) relate ad opera mortificata paenitentiam esse dispositionem, cum sit tantum removens prohibens. Paenitentia enim merita illa non acquirit, sed obicem removet, qui impediabat, quominus merita iam acquisita efficaciam suam habere possent.

339. d) Secus etiam, ut recte ait Card. Toletus, sequeretur hoc absurdum: „Si esset homo per totam fere vitam Deo serviens in magnis operibus, et postea commisit unum leve mortale, a quo statim per paenitentiam non multum intensam surrexit et mortuus est; esset autem alter, qui toto tempore gravissimis offendit Deum peccatis, et postea intensiore surgens paenitentia mortuus est, tunc iste maius praemium aeternum apud Deum consequeretur. At hoc concedere durissimum est et contra Dei misericordiam videtur; nec erat affirmandum, nisi fides aut ratio convinceret, quorum neutrum est. Manet ergo firma conclusio et tenenda“ (In 3, q. 89, a. 5, concl. 2, arg. 7).

Potest etiam addi, quod non intellegitur, quomodo in hac sententia adversariorum impleatur illud, quod Christus dixit de peccatore converso: „Cito proferte stolam primam et induite illum“ (Luc. 15, 22). Quid est enim stola prima nisi ea gratia, quam peccator antea habuerat? Unde ad haec verba S. Ambrosius dicit: „Vide, quam bonus Deus et facilis indulgere peccatis; non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit“ (In Luc. l. 2, n. 33; M 15, 1564).

340. e) Hanc nostram sententiam tenent *Magister* (4, d. 14), *Albertus M.* (4, d. 14, a. 21, 22), *Scotus* (4, d. 22, a. 2, n. 9) et omnes Scotistae (*Bosco*, De Paenit., Disp. 6, sect. 7, concl. 2), *Durandus* (3, d. 31, q. 2 ad 3), ex Thomistis *Canus* (teste *Bannez* l. c. in concl. 6), *Medina* (De Paenit. tract. 1, q. 8); ex theologis Societatis Iesu: *Suarez* (Opusc. 5, disp. 2, sect. 3, n. 17), *Vasquez* (3, q. 89, a. 5, dub. 2, n. 62), *De Lugo* (Disp. 11, sect. 2, n. 30), immo, ni fallor, omnes excepto *Gregorio de Valentia*; et generatim haec sententia omni alia longe communior est.

341. *Coroll. 2.* Ergo neque admittenda est opinio Scoti. Scotus concedit quidem totum praemium operum mortificatorum statim secundum ius restitui post conversionem, *sed negat statim restitui totum habitum infusum gratiae sanctificantis*, nisi homo habeat aequae bonam dispositionem, ac habuit ante peccatum. Ait enim (l. c. n. 10): „Resurgens plura merita habet in acceptatione divina, quam habuit, quando cecidit, et per consequens ad maiorem gloriam ex ea parte ordinatur; sed non oportet eum in maiori gratia resurgere, quia secundum dispositionem in detestando peccatum commissum intense vel remisse datur sibi nunc maior vel minor gratia.“ Putare autem videtur augmentum gratiae debitum meritis vivificatis a Deo reservari usque ad instans mortis. Hinc accidere potest, ut ex duobus hominibus alter habeat maiorem gratiam infusam, et nihilominus alter habeat ius ad maiorem gloriam.

Servatur quidem in hac sententia integer conceptus reviviscentiae meritorum; attamen, quia ex altera parte aliquid statuitur, quod nihil est nisi opinionis commentum nulla solida ratione nixum, haec sententia extra scholam Scoti vix defensorem nacta est inter eos, qui docent totum meritum reviviscere.

Canus quidem dicitur eam secutus esse, et potest etiam doctrina *S. Thomae* similiter explicari. Docet enim (3, q. 89, a. 2) hominem interdum in minori gratia resurgere, et tamen etiam docet (a. 5) omnia merita reviviscere. Ergo videtur sensisse reditum meritorum separari posse a restitutione gratiae correspondentis, donec homo habeat aequae bonam dispositionem atque antea (1, 2, q. 114, a. 8 ad 3). Quam si numquam habebit, fortasse merita numquam in actu secundo totum effectum habebunt (cf. *Suarez*, Opusc. 5, disp. 2, sect. 3, n. 2 et 14).

342. *Potest haec sententia ita refutari:* Gratia est fundamentum amicitiae divinae. Atqui amicitia divina commensatur meritis, quae aliquis habet. Ergo, ubi maiora merita, ibi maior amicitia et consequenter maior gratia.

Deinde homo per merita acquirit ius ad gratiam. Ratio autem iustitiae postulat, ut debitum statim reddatur, nisi quid obstat. Ergo Deus non debet retinere mercedem operarii, in quantum hic capax est ad eam recipiendam. Neque enim minus efficax est meritum vivificatum quam meritum nondum mortificatum. Atqui meritum ante peccatum statim postulat gratiam. Ergo etiam meritum vivificatum (cf. *Suarez*, Opusc. 5, disp. 2, sect. 3, n. 21).

Multo etiam difficilior res fit, si quis docet gratiam numquam totaliter restitui, si homo numquam redeat ad priorem dispositionem. Tunc enim fieri potest, ut merita vivificata nullum praemium in caelo habeant. Neque apparet, quomodo tunc salva maneat doctrina Conc. Trid.: sufficere illas tres condiciones ad habendum praemium caeleste.

343. Maneat igitur firmum statim post iustificationem peccatoris reddi priorem gratiam, priora merita, priora praemia. Simul vero cum gratia reddi comitatum virtutum infusarum, quae peccato expulsae erant, inde patet, quod hae virtutes a gratia numquam separantur.

Unum dubium manet, num haec assertio extendenda sit ad gratiam, quam homo habuit sine suo merito, i. e. ad gratiam primam et ad gratiam, quae data est ex opere operato. Respondeo: Quamvis quidam doctores videantur de hac re dubitare, tamen nulla ratio videtur dubitandi.

Nam, si ius ad gloriam caelestem seu ad certum gradum gloriae datur, reddi quoque debet gratia, in qua hoc ius proxime fundatur. Omne autem ius ad gloriam reddi dicendum est, quia secus semper verum erit beatos in aeternum puniri pro peccatis remissis.

344. Quod autem in specie attinet gratiam datam ex opere operato, haec est fructus meriti Christi nobis applicati. Hoc igitur meritum manet in acceptatione divina tamquam nostrum et remoto obice statim reviviscit. Exemplo sit gratia baptismalis, quae, si propter fictionem non fuit statim data, recedente fictione datur (cf. Suarez, Opusc. 5, disp. 2, sect. 3, n. 57). Mirum est, quod reviviscitiam omnis gratiae, quae est ex opere operato, etiam ipse Bannez concedit (In 2, 2, q. 24, a. 6, dub. 6, concl. ultima. Cf. De Lugo, Disp. 11, sect. 3).

Prop. XXV. Culpa remissa non semper simul tota poena a Deo remittitur.

345. Haec quoque thesis valet de omni paenitentia, qua peccata remittuntur, sive extra Sacramentum sive in Sacramento. Dicimus non semper remitti totam poenam, quia non negamus posse fieri, ut paenitentia tam perfecta sit, ut etiam tota poena deleatur.

Lutherus hanc doctrinam a. 1518 reiecit in sermone De indulgentia, ubi docet Deum semper totam poenam temporalem remittere¹. Postea quidem contraria docuit, sed discipuli eius plerique retinuerunt priorem doctrinam: post remissa peccata numquam poenam relinquit.

Idem cum Calvino (Instit. l. 3, c. 4, n. 30 sqq.) docent Calviniani (cf. Bellarm., De Paenit. l. 4, c. 2).

¹ „Das sag ich, dass man auss keiner schrift bewerenn kann, das gottlich gedann allein seine herzliche und ware rew adder bekerung. . . . Es ist eyn grosser yrthum, das jemandt meyne, er wolle genughun vor seine sundt, so doch Got dieselben allzeit umbsunst auss unshezlicher Gnad vorzeihet, nichts dafur begerend, dan hinfur woll leben.“

346. **Arg. 1. Ex S. Scriptura.**

Saepe Deus peccatoribus remissa culpa poenam in vindictam peccatorum imposuit. Atqui haec res non solum ostendit posse hoc ita fieri, sed etiam hanc esse legem a Deo statutam, ut id, quod sufficiat ad delendam culpam, non eo ipso etiam sufficiat ad delendam omnem poenam. Ergo saepe post remissam culpam poena temporalis luenda remanebit.

Prob. mai.: Deus Adamum „eduxit a delicto suo“ (Sap. 10, 2), sed simul gravissimas poenas ei imposuit (Gen. 3, 17 sq.). Maria, soror Moysis, accepit quidem remissionem peccati sui, sed per septem dies separata est a populo (Num. 12, 14 sq.). Moyses et Aaron propter incredulitatem suam prohibiti sunt ab ingressu terrae sanctae (Num. 20, 1 sqq.; 27, 12 sqq. Deut. 34, 1 sqq.). „Dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum; non morieris. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur“ (2 Reg. 12, 13, 14).

„Qui manducat et bibit indigne [corpus et sanguinem Domini], iudicium sibi manducat et bibit. . . . Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi. . . . Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur“ (1 Cor. 11, 29 sqq.).

Hoc loco apostolus docet Corinthios fuisse punitos pro indigna tractatione sanctissimi Sacramenti; ex altera autem parte certe noluit dicere omnes, qui puniti essent, fuisse impaenitentes et multos etiam in impaenitentia esse mortuos, cum contra dicat: „Corripimur, ut non damnemur.“

Ergo apostolus supponit etiam pro peccatis remissis potuisse Corinthios puniri.

Praeterea S. Scriptura docet actum caritatis sufficere ad delendum reatum culpae; et nihilominus vult, ut cum paenitentia coniuncta sint ieiunium cum planctu et fletu (Ioel 2) et alia opera satisfactionis. Ideo prophetae toties non solum contritionem de peccatis sed ieiunium et generatim paenitentiam praedicant. Ergo non omne id, quod sufficit ad delendam culpam, statim semper etiam tollit omnem poenam.

347. *Prob. min.:* Prior pars, scilicet posse poenam relinqui post remissam culpam, ex dictis per se patet. Altera vero pars, scilicet hanc esse legem communem a Deo statutam, facile intellegitur.

Nam S. Scriptura docet Deum non agere cum peccatoribus modo ita et modo aliter pro arbitrio suo, sed reddere unicuique secundum opera sua (Ps. 61, 13. Prov. 24, 12. Matth. 16, 27. Rom. 2, 6). Atqui hoc verum non esset, si Deus modo relinqueret poenam post remissa peccata, modo non relinqueret, et hoc non pro meliore vel minus bona dispositione paenitentis sed pro suo arbitrio. Ergo est lex universalis non sufficere ad delendam totam poenam omne id, quod sufficit ad delendam culpam.

348. *Arg. 2. Ex Traditione.*

S. Augustinus (In Ps. 50, n. 15; *M* 36, 595): „Aliquando Deus, cui ignoscit in futuro saeculo, corripit eum de peccato in isto saeculo; nam et ipse David, cui dictum iam fuerat per prophetam: Dimissum est peccatum tuum, evenerunt quaedam, quae minatus erat Deus propter ipsum peccatum.“ Unde (ibid. n. 11; *M* 36, 592) concludit hanc esse legem a Deo statutam: „Impunita peccata etiam eorum, quibus ignoscis, non reliquisti. . . Ignoscis confitenti, ignoscis, sed se ipsum punienti.“

Et (Tract. 124, n. 5 in Io.; *M* 35, 1972): „Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, quamvis, ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim poena quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena. Ac per hoc . . . temporaliter hominem detinet poena, et quem iam ad damnationem sempiternam reum non retinet culpa.“

S. Gregorius M. (Moral. 1. 9, c. 34; *M* 75, 889): „Delictum sine ultione non deserit [Deus]. Aut enim ipse hoc homo in se paenitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. . . Sic David post confessionem audire meruit: Transtulit Dominus peccatum tuum (2 Reg. 12, 13), et tamen multis post cruciatibus afflicto et fugiens reatum culpae, quam perpetraverat, exsolvit.“

Ceterum toties Patres recommendant satisfactionem post peccata remissa subeundam, ut ipse Calvinus fateatur eos hac in re a sua doctrina dissentire, sed ait: „Parum me movent, quae in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes fere, quorum libri exstant, aut hac in parte lapsos esse aut nimis aspere et dure locutos“ (Inst. 1. 3, c. 4, n. 38).

Inter *theologos* catholicos nulla est differentia opinionum in hac quaestione (cf. *S. Thom.* 3, q. 86, a. 4 et Suppl. q. 12. 13; *Suarez*, Disp. 10, sect. 3, n. 2; *De Lugo*, Disp. 8, sect. 2, n. 44).

Concil. Trid. (sess. 14, c. 8) docet: „Sancta Synodus declarat falsum omnino esse et a Verbo Dei alienum culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam poena condonetur. Perspicua enim et illustrata in Sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus praeter divinam Traditionem hic error quam manifestissime revincitur“ (*Denzinger* 1. c. 783).

Et can. 12: „S. q. d. totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo satisfactionemque paenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro se satisfecisse; A. S.“ (*Denzinger* 1. c. 800).

Ceterum haec doctrina constat etiam ex praxi, quae semper viguit in ecclesia, paenitentibus imponendi satisfactiones, et ex dogmate purgatorii.

349. *Arg. 3. Explicatio ex ratione.*

a) Deus sicut misericors ita etiam *iustus* est. Ideo sicut ex misericordia remittit culpam et poenam aeternam, quia pro his nihil condignum homo agere potest, ita ex iustitia postulat poenam, quam homo praestare potest, ut ita simul difficultate remissionis homines arceantur a peccando.

b) *Neque enim est paenitentia regeneratio* sicut Baptismus sed medicina; generari enim non potest quis nisi semel, curari autem a morbo saepius potest. Curatio autem medicinalis non uno actu restituit sanitatem, sed multis remediis adhibitis hominem paulatim reducit ad perfectam sanitatem.

c) *Quo melior autem est dispositio aegroti, eo efficacior quoque erit medicina.* Similiter igitur paenitentia alterum altero perfectius et celerius sanat. Qui enim meliore contritione peccatum detestatur, plus quoque poenae temporalis delebit. Potest autem contritio esse tanta, ut omnem poenam deleat. „Ita sumitur ex S. Thomae 3, q. 86, a. 4, clarius Contra gent. 4, c. 72. Et est communis theologorum, et ita censent SS. Patres et expositores Luc. 7 accidisse in facto Magdalenae, et hunc sensum habere illa verba Christi: ‚Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum‘, scilicet de plena remissione proportionata dilectioni“ (*Suarez*, Disp. 10, sect. 3, n. 7). Ratio est, quia contritio cum alio opere bono postea facto sine dubio plus delet poenae quam sola contritio. Atqui maior gradus contritionis aequivalet alicui operi bono. Ergo maior contritio plus poenae delet; et potest contritio ita crescere, ut tantum valeat, quantum alia illa opera, quae cum minore contritione requiruntur ad delendam omnem poenam.

350. d) Solent theologo valde communiter totam hanc doctrinam de poena temporali ita exprimere, ut dicant *poenam aeternam in temporalem commutari*.

Ubi est difficultas intellegendi, quid hoc sibi velit, cum poena aeterna, i. e. poena inferni, totaliter remittatur, et poena altera pro culpa iam remissa imponi non posse videatur. Quare nonnulli dixerunt omni peccato deberi duplicem poenam: aeternam pro aversione a Deo, temporalem pro conversione ad creaturas; priorem tolli per remissionem peccati, alteram vero manere, ita ut nulla proprie dicta commutatio fiat. Sed contra est, quod secundum *Conc. Trid.* (sess. 14, c. 8) satisfactio imponenda est propter iniuriam Deo illatam, satisfactio autem est loco poenae temporalis. Ergo maxime aversio a Deo punitur. Deinde per contritionem non minus tollitur malitia conversionis ad creaturas, quae est in peccato mortali, quam malitia aversionis a Deo, quia haec duo sunt inseparabilia.

Melius igitur admittitur aliqua commutatio, quam ita explicat *Suarez*: Deus „statuit, ut tali peccato mortali, si perpetuo in homine maneret, talis aeterna poena responderet; si vero committeretur quidem, non tamen perpetuo maneret, alia poena et alterius modi tem-

poralis illi responderet, non solum ratione conversionis, sed etiam ratione aversionis et denique ratione totius malitiae, quam habuit. Et ita facile intellegitur ablata culpa mutari statum eius, quia iam non potest perpetuo perdurare, et ideo iam non potest esse illi debita nisi poena temporalis, non quidem propter aliquam moralem malitiam eius, quae moraliter maneat, sed solum, quia commissa fuit et nondum pro illa plene satisfactum est* (Disp. 10, sect. 3, n. 15). Mutatur igitur poena aeterna in temporalem, quatenus haec in locum illius succedit ex aeterno Dei decreto. Neque enim putandum est confessorium imponere hanc poenam temporalem, cum potius, ne haec poena subiri debeat, aliam satisfactionem imponat.

Poena enim, quae peccato mortali debetur, habet rationem merae vindictae, qua compensatur iniuria a peccatore Deo illata, estque poena, quae etiam nolenti imponetur, et quam peccator nullo modo effugere potest. Talem autem poenam solus Deus decernere potest, et quidem absolute decernit tantum quoad alteram vitam; nam multa peccata in hac vita impunita manent. Est igitur haec poena, communiter saltem, poena purgatorii. Satisfactio autem, quam confessorius imponit, et quae libere accipi debet a paenitente, non habet rationem merae vindictae, sed potius eo spectat, ut homo vindictam divinam et purgatorium evadat (cf. Bellarm. l. 4, c. 1. 3).

351. *Schol. 1.* Quid sit in Sacramento Paenitentiae res et Sacramentum.

Res Sacramenti in Paenitentia est remissio culpa et poenae. *Sacramentum tantum* est compositum ex confessione dolorosa et absolutione. Quaeri potest, num hic etiam inveniatur *res et Sacramentum*; i. e. aliquid, quod simul sit et productum a Sacramento et significans gratiam, ut est in aliis Sacramentis character. Sunt qui negent, sed communiter student tale quid assignare, ne quoad hanc rem hoc Sacramentum penitus solitarium ponatur, cum in omnibus aliis non appareat specialis difficultas.

Potest igitur dici pax conscientiae esse simul res et Sacramentum: res, quia sine dubio producit hoc Sacramento, Sacramentum, quia significat statum gratiae.

Satis communiter dicunt cum *S. Thoma* (3, q. 84, a 1 ad 3) contritionem internam esse rem et Sacramentum. Sed difficile intellegitur, quomodo contritio producat vel significet Sacramento. Dicunt contritionem secundum se esse Sacramentum tantum; prout autem elevetur per absolutionem, esse simul rem Sacramenti, quatenus vi formae efficiatur causa moralis exigens gratiam. Si vis, ita concipe; in se tota res non est magni momenti (cf. Suarez, Disp. 18, sect. 5).

352. *Schol. 2.* Num Paenitentia sit unum Sacramentum.

Imprimis specificè est unum Sacramentum; nam non existunt varia iudicia sacramentalia specie diversa. Itaque quasi de uno Sacra-

mento ex septem *Tridentinum* de Paenitentia loquitur. Unum quoque est numerice, nam, licet partes habeat, hae tamen omnes in unum signum sacramentale coalescunt. Multiplicatur autem Sacramentum ratione subiectorum, quae illud recipiunt, et quidem ita, ut toties sit novum Sacramentum, quoties novum fiat iudicium, seu quoties absolutio datur (cf. Suarez l. c. sect. 4).

SECTIO V.

DE SUBIECTO ET DE NECESSITATE SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Prop. XXVI. Sacramentum Paenitentiae est omnibus post Baptismum graviter lapsis iure divino necessarium.

353. Quis sit *subiectum capax* ad recipiendum Sacramentum Paenitentiae, non indiget explicatione. Constat enim ex dictis esse hominem, qui post Baptismum peccatum commisit. Porro etiam patet, quae requirantur ad hoc Sacramentum valide et licite suscipiendum, scilicet praeter ea, quae de dispositione requisita ad suscipienda Sacramenta generatim explicata sunt in Tractatu de Sacramentis in genere, requiruntur illi actus paenitentis, qui materiam huius Sacramenti constituunt.

Solum igitur agendum est de subiecto, ut ita dicam, *necessitatis* huius Sacramenti, et videndum, quo iure teneantur peccatores ad hoc Sacramentum recipiendum. Loquemur prius de iure divino, dein de iure ecclesiastico.

Iure divino dicimus peccatores obligari, ut ad obtinendam peccatorum mortalium remissionem peccata sua clavibus ecclesiae subiciant, ut Sacramentum Paenitentiae peccatoribus baptizatis aequè necessarium sit ad salutem ac Baptismus iis, qui nondum baptizati sunt. Itaque hoc Sacramentum necessarium est necessitate medii hypothetica.

354. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Christus dedit apostolis potestatem iudicalem remittendi et retinendi peccata (Io. 20, 23). Atqui haec potestas esset illusoria, nisi absolutio sacramentalis esset necessaria ad remissionem peccatorum. Ergo absolutio est necessaria vi institutionis Christi.

Prob. min.: a) Verba Christi habent hunc sensum: Quod vos remittitis, Deus remittit; quod vos retinetis, Deus retinet. Ergo, ut Deus remittat, tamquam condicio praerequiritur, ut apostoli remittant. Nam si independentè a potestate apostolis concessa peccator veniam impetrare potest, apostoli nullo modo retinere possunt peccata, ut patet de peccatis venialibus; apostoli autem tamdiu retinent, quamdiu

non absolvunt; nam retinere peccata est efficere, ut auctoritati clavium peccata necessario rursus subiciantur ad impetrandam remissionem. Ergo tam diu debet etiam Deus retinere, et consequenter praeter absolutionem nullum aliud medium independens iustificationis existit.

355. Dicimus „medium independens“; aliunde enim constat caritatem seu contritionem perfectam iustificare. Sed qui actum caritatis elicit, vult observare ea omnia, quae Christus instituit. Unde vult etiam peccata sua clavibus subicere, quae voluntas iam est vera subiectio, qua animus subicitur, quem lex proxime respicit. Quodsi paenitens postea hanc voluntatem retractat, non quidem priora peccata redeunt, quae voto Sacramenti deleta sunt, sed in novum peccatum incidit. eodem modo, quo quis ante Baptismum iustificari potest et tamen sub peccato obligatus manet ad suscipiendum Baptismum. Sic etiam hic, licet per contritionem deleantur peccata, non tamen tollitur obligatio comparandi in hoc iudicio. Ergo potestas remittendi peccata non supponit necessario peccata actu existentia, sed peccata nondum clavibus subiecta. Si autem Deus simpliciter optionem dedisset inter contritionem et Sacramentum Paenitentiae, omnes homines rationaliter praeferrent contritionem, quia est medium simplicius, facilius et plane in potestate paenitentis positum, id quod dici nequit de absolutione. Quodsi nunc tam difficulter multi homines adiguntur ad confessionem, quid, si scirent nullam existere huius rei obligationem? Est autem sine dubio haec potestas remittendi peccata a Christo instituta in bonum fidelium, et consequenter ita, ut fideles ad eius usum alliciantur.

356. b) Porro apostoli in regno Christi constituti sunt iudices in causis criminalibus. Atqui in omni regno bene instituto causae criminales non libere sed necessario subiciendae sunt iudicibus ad harum causarum tractationem constitutis. Ergo idem dicendum est de regno Christi. Possunt quidem in aliquo regno varia numero iudicia constitui, ita ut cives possint hunc iudicem potius eligere quam illum. Attamen si talia iudicia constituta sunt, oportet ad ea deferri omnes causas criminum. Ita etiam Christus multos quidem iudices voluit esse in ecclesia sua, quos fideles, nisi contrarium statuatur lege ecclesiastica, pro suo arbitrio adire possunt, attamen ita, ut necessario unum ex iis pro remissione peccatorum adire debeant. Hoc etiam inde patet, quod pro peccatis secundum Christi institutionem certae poenae seu satisfactiones imponendae sunt, quod ut convenienter fiat, praerogatur confessio.

357. c) Tandem Christus apostolis dedit potestatem clavium in regno caelorum, i. e. potestatem aperiendi portas caeli iis, quibus per se hae portae clausae sunt; quae quidem potestas moralis est et iudicia-

liter exercetur. Potestas enim clavium nihil aliud est nisi suprema potestas iudicialis. Potestati autem clavium subiacent, qui per Baptismum facti sunt membra ecclesiae; nam „quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare“? (1 Cor. 5, 12.) Ergo sine ministerio apostolorum nemo intrare potest in caelum, cui post Baptismum portae caeli clausae sunt per peccatum; aliis verbis: peccator baptizatus ad accipiendam remissionem necessario ad claves recurrere debet. Ergo non solum hypothetice aliquis clavibus ligari et solvi potest, si videlicet libere se huic potestati subicere vult, sed absolute tenetur ad se subiciendum huic potestati.

358. d) Ita textum Io. 20, 23 explicat Conc. Tridentinum (sess. 14, c. 5):

„Ex institutione Sacramenti Paenitentiae iam explicata universa ecclesia semper intellexit institutam esse etiam a Domino integram peccatorum confessionem et omnibus post Baptismum lapsis iure divino necessariam esse“ (Denzinger l. c. 779). Et can. 6: „Si quis negaverit Confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure divino; . . . A. S.“ (Denzinger l. c. 794).

Unde immerito Scotus dubitat, num ex S. Scriptura sufficienter possit necessitas confessionis probari (4, d. 17, q. 1, § „Sed tunc oportet videre“), et putat facilius dici, „quod est [confessio] de iure divino positivo a Christo promulgato apostolis, sed ecclesiae promulgato per apostolos absque omni Scriptura“. Eadem dubitatio proponitur a Gabriele et a Caietano, qui ad Io. 20, 23 ait: „Fateor institutionem Sacramenti hic haberi, non praeceptum.“ Sed hoc post Tridentinum admitti non potest (cf. tamen Iansenii Concord. c. 147).

Concilium enim non dicit ecclesiam hoc praeceptum aliunde sed ex ipsa institutione Io. 20, 23 intellexisse, neque umquam in vetere Traditione sermo est de aliqua promulgatione huius praecepti, quae non inveniatur in S. Scriptura. Recte autem dicit Suarez ante Conc. Trid. Scoti loquendi modum tolerari potuisse (Disp. 17, sect. 2, n. 5).

359. Confirmatur haec doctrina verbis Iac. 5, 14 sqq.:

„Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis est, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua.“

Catholici huic textui non insistunt ut argumento peremptorio, cum confessio, de qua hic sermo est, possit esse sola ascetica, non sacramentalis. Attamen, si quis dicit textum omnino non posse de confessione sacramentali intellegi, errat. Nam cum ex Io. 20, 23 constet a Christo institutam esse confessionem peccatorum apostolis eorumve successoribus faciendam, sensus obvius horum verborum „Confitemini peccata vestra“ postulat, ut explicentur de confessione sacra-

mentali. Deinde haec verba intime cohaerent cum praecedentibus versibus, ut ostendit illud *ὄν*. „*Ἐξομολογεῖσθε ὄν ἀλλήλοις τὰς ἁμαρτίας*.“ Ita enim legunt optimi codices et editiones criticae cum Vulgata. Iam vero in praecedentibus sermo erat de presbyteris, qui inducendi essent ad orandum super infirmum, ut, si in peccatis esset, remitterentur ei. Cum igitur apostolus pergat: „*Ergo confitemini peccata vestra*“, valde obvium est explicare: Confitemini presbyteris peccata vestra. Neque enim obstat illud *ἀλλήλοις*; nam secundum usum linguae graecae haec vox saepe nihil aliud significat nisi alii aliis, neque necessario reciprocam actionem postulat. Ita Eph. 5, 21: „*ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις ἐν φόβῳ Χριστοῦ*“, non significat debere omnes omnibus promiscue subiectos, sed inferiores superioribus. Ergo neque hic praescribitur, ut omnes omnibus promiscue confiteantur, sed laici presbyteris. Ita hunc textum explicat Origenes (Hom. 2 in Lev.; M 12, 419), qui post verba supra (n. 187) citata statim pergit: „In quo impletur et illud, quod Iacobus apostolus dicit: Si quis autem infirmatur. . .“ Eadem est explicatio S. Io. Chrysostomi (lib. 3 De sacerdot., n. 6; M 48, 644) et aliorum, quibus certe nota erat indoles linguae graecae (cf. Estius in h. l.).

360. Bona est explicatio, quam dat Card. Bellarminus: „Paulo ante apostolus Iacobus monuerat aegrotos, ut presbyteros arcesserent, a quibus oleo sancto cum precibus ungerentur, et adiecerat effectum illius sacrae unctionis et precum futurum, ut allevaretur aegrotus et sanaretur, et, si in peccatis esset, ea illi remitterentur. Sed ne forte, qui haec legeret, existimaret illa etiam peccata lethalia, quorum homo conscientiam habet, per sacram unctionem posse deleri, subiunxit: ‚Confitemini alterutrum peccata vestra‘; non enim sacra unctio peccata lethalia remittit, quorum aliquis conscientiam habet, cum ea per Confessionis Sacramentum purganda sint“ (De Paenit. l. 3, c. 4).

Alii textus, in quibus fortasse sermo est de sacramentali confessione, sunt: Act. 19, 18; 1 Io. 1, 9.

361. Arg. 2. Ex SS. Patribus.

Ex SS. Patribus ii, qui paulo post apostolorum tempora scripserunt, verbis magis generalibus de confessione loquuntur, alii vero posteriores dissertissime necessitatem confessionis sacerdotibus faciendae inculcant.

In „Doctrina 12 apostolorum“ (c. 4, n. 14; F 1, CLIII) haec praescribuntur: „In ecclesia confiteberis peccata tua neque accedes ad orationem cum conscientia mala.“ Exceptis verbis „in ecclesia“ plane eadem verba inveniuntur in Epistula Barnabae 19, 12; F 1, 57.

S. Clemens Rom.: „Quaecumque deliquimus et fecimus, seducti a quodam ex adversarii servis, eorum remissionem imploremus. . . Melius enim est homini peccata sua confiteri quam indurare cor suum“ (1 Cor. 51, 1; F 1, 125). „Quamdiu in hoc mundo sumus, peccatorum,

quae in carne gessimus, ex toto corde paenitentiam agamus, ut a Domino salvemur, dum paenitentiae tempus habemus. Postquam enim e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri aut paenitentiam agere“ (2 Cor. 8, 2; F 1, 153).

Hermae Pastor: „Deus ac Dominus noster, qui omnium dominatur et habet potestatem universae creaturae suae, non meminit iniuriae eorum, qui peccata sua confitentur, sed propitius fit“ (Sim. 9, c. 23, n. 4; F 1, 543).

Difficultas quoad hos textus est, quod non apparet, utrum confessio facienda sit hominibus an soli Deo. Sed imprimis „Doctrina 12 apostolorum“ dicit confessionem faciendam esse in ecclesia, dein vero S. Clemens exhortatur rebelles Corinthios, ut se subiciant praepositis ecclesiae (cf. 1 Cor. 57; F 1, 133); ergo coram his quoque debent peccata in ecclesia confiteri. Necessariam vero esse confessionem eo indicat, quod dicit: Nunc confitemini, quia post hanc vitam confiteri non iam poteritis.

362. Post Patres apostolicos necessitatem confessionis testatur S. Irenaeus narrans mulieres illas haereticas partim Deo reconciliatas non esse, quia confiteri volebant (supra n. 211).

Tertullianus paenitentiam ita describit: „Itaque exomologesis prosternendi et humiliandi hominis disciplina est. . . ingemiscere, lacrimari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, et caris Deo aggeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae iniungere. . . Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui aut suffugere aut de die in diem differre praesumo, pudoris magis memores quam salutis. . . Grande plane emolumentum verecundiae occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanae notitiae subduxerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatis hominum et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere quam palam absolvi?“ (De Paenit. 9. 10; M 1, 1243.)

363. Origenes: „Si peccaverit, inquit, unum aliquid de istis, pronuntiet peccatum, quod peccavit (Lev. 5, 4). Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod iubet pronuntiare peccatum. Etenim omni genere pronuntianda sunt et in publicum proferenda cuncta, quae gerimus. Si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri. Proferri autem ab illo, qui et accusator peccati est et incentor. Ipse enim nunc nos, ut peccemus, instigat, ipse etiam, cum peccaverimus, accusat. Si ergo in vita praeveniamus eum et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli, inimici nostri et accusatoris, effugimus. Sic enim et alibi propheta dicit: Dic tu, inquit, iniquitates tuas prior, ut iustificeris (Is. 43, 26, graece). Nonne evidenter mysterium, de quo tractamus, ostendit, cum dicit: Dic tu

prior? ut ostendat tibi, quia praevenire illum debeas, qui paratus est ad accusandum. . . . Vide ergo, quia pronuntiare peccatum remissionem peccati meretur. Praeventus enim diabolus in accusatione ultra nos accusare non poterit, et, si nostri simus accusatores, proficit nobis ad salutem; si vero exspectemus, ut a diabolo accusemur, accusatio illa cedit nobis ad poenam; habebit enim socios in gehenna, quos convicerit criminum socios" (Hom. 3 in Lev., n. 4; *M* 12, 429; cf. Hom. 17 in Luc. et supra n. 187. 213).

S. Cyprianum iam audivimus (n. 19. 212).

Lactantius: „Ob hanc causam Deus circumcisionem Iudaeis praecipiendo nudari pudendam corporis partem iussit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involutum pectus haberemus, i. e. ne quod pudendum facinus intra conscientiae secreta velemus. . . . Volens enim vitae ac saluti nostrae pro aeterna sua pietate consulere, paenitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, ut, si cor nudaverimus, i. e. si peccata confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quae contumacibus et admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem sicut homo sed intima et arcana pectoris intuetur" (Instit. l. 4, c. 17; *M* 6, 501).

S. Basilii et S. Ambrosii testimonia supra habentur (n. 187. 214. 215).

364. S. Ioan. Chrysost. (Hom. 34 in Io., n. 3; *M* 59, 196) de muliere Samaritana dicit: „Hanc ergo mulierem et nos imitemur, et in peccatis nostris evulgandis ne vereamur homines, sed Deum, ut par est, timeamus, qui et nunc facinora nostra videt et tunc puniturus est eos, qui nunc paenitentiam non agunt. At nos contra eum, qui iudicaturus est, non timemus, eos autem, qui nobis nocere nequeunt, formidamus tremimusque, ne apud illos infamia laboremus. Idcirco in eo, quod timemus, in eo poenas dabimus. . . . Commisisti aliquod peccatum et hominibus occultas. At Deo non occultas. Et tamen nihil curas, oculos autem hominum formidas. Cogita igitur te non homines latere posse in die illo. . . . Rogo igitur, etsi nemo nostra videat, singuli in suam conscientiam ingrediantur et iudicem sibi rationem constituent, peccata in medium agant" (cf. Hom. 20 in Gen., n. 3).

S. Hieronymus (In e. 10 Eccl.; *M* 23, 1096): „Si quem serpens diabolus occulte momorderit et nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit, qui percussus est, et non egerit paenitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister et frater, qui linguam habent ad curandum, facile ei prodesse non poterunt. Si enim erubescat aegrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat."

365. S. August. (Sermo 352, n. 8): „Elevatus est Lazarus, processit de tumulo, et ligatus erat sicut sunt homines in confessione

peccati agentes paenitentiam. Iam processerunt a morte; nam non confiterentur, nisi procederent [nisi gratia divina adiuventur, non venirent ad confessionem]. Ipsum confiteri ab occulto et a tenebroso procedere est. Sed quid Dominus ecclesiae suae? „Quae solveritis", inquit, „in terra, soluta erunt et in caelo". Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus misericordiam suam perducere ad confessionem mortuum, latentem, putentem, iam cetera implet ecclesiae ministerium: Solvite illum et sinite abire" (*M* 39, 1558).

Et (Sermo 392, n. 3): „Nemo sibi dicat: Occulte ago [paenitentiam], apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: Quae solveritis in terra, soluta erunt in caelo? Ergo sine causa sunt claves datae ecclesiae Dei? Frustramus evangelium? Frustramus verba Christi? Promittimus vobis, quod ille negat? Nonne nos decipimus? Iob dicit: „Si erubui, in conspectu populi confiteri peccata mea" (Iob. 31, 33). Talis iustus, thesauri divini obrizum, tali camino probatus ista dicit; et resistit mihi filius perditionis, et erubescit genu figere sub benedictione Dei superba cervix, mens tortuosa?" (*M* 39, 1711; cf. Enarr. in Ps. 66, n. 6 sqq.; *M* 36, 807).

Leo Magnus: vide supra (n. 25. 50. 187).

366. Haec sunt testimonia quaedam ex quinque primis ecclesiae saeculis, quibus ex omnibus sequentibus saeculis nullo negotio alia addi possunt. Sed quia res longa est, qui plura videre vult, adeat inter alios ex saec. VI. *Ioannem Climacum* in libro „Scala paradisi" grad. 4 (*M* 88, 682 sq.); *Ioan. Raithuens.* (*M* ibid. 1222); *Librum paenitent. Ioannis Ieiunat.* Constant. (*M* P. G. 88, 1890); ex saec. VII. *Gregor. M.* (Hom. 26 in c. 20 Io. et Hom. 40; *M* 76, 1197 et 1302) et *Synod. Trull.* can. 102; ex saec. VIII. *Bedam Vener.* (Hom. in c. 5 Ep. Iacobi; *M* 93, 36); *Paenitentiale Egberti Eboracens.* (*M* 89, 401; cf. *Schmitz*, *Bussbücher* p. 565); *Synod. I. Mogunt.* can. 2; ex saec. IX. *Synod. Turon. III.* can. 22; *Synod. Cabillon. II.* can. 32; *Paenitentiale Halitgarii Cameracens.* (*Schmitz* l. c. p. 719) et alia *Paenitentialia* ex sequentibus saec. (ibid. p. 745 sqq.), quae omnia sine interruptione nos deducunt usque ad Scholasticorum tempora. Quanta igitur absurditatis est dicere Innocentium III. induxisse confessionem in ecclesiam (cf. *Hurter*, *Compend. theolog. t. III*, n. 483 sqq.)!

367. *Arg. 3. Ex auctoritate theologorum.*

Nulli omnino theologo sunt, qui non doceant peccatoribus christianis confessionem necessariam esse ad salutem.

Ita Robertus Pullus docet: „Sic cordi contrito et humiliato mox venia conceditur peccati; necesse tamen est postea confiteri" (Sent. l. 5, c. 10, et l. 6, 51 et c. 59; *M* 186, 838).

Hugo Victor: „Si quis etiam post impetratam veniam peccatorum confiteri eadem peccata sua neglexerit, quasi institutionis divinae contemptor, quamvis non pro peccatis, quae iam dimissa sunt, reus teneatur, tamen pro contemptu reus erit“ (De Sacram. I. 2, p. 14, c. 8; *M* 176, 565).

Idem dicit Richardus Victor (De potest. ligandi et solvendi c. 5; *M* 196, 1163; cf. *Wirceburg.*, De Paenit. n. 119).

Petrus Lomb. docet ex Iacobi mandato et doctrina Patrum „indubitanter ostendi oportere Deo primum ac deinde sacerdoti offerri confessionem nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi, si facultas adsit“ (Sent. 4, d. 17, n. 4).

In explicatione huius distinctionis idem docent *Scotus*, *S. Thomas* (q. 3, a. 1, sol. 1), alii omnes theologi, sive admittunt rem probari posse etiam ex S. Scriptura sola sive ex Scriptura cum Traditione tantum.

E. g. *Scotus* docet: „Confessionem sacramentalem esse ad salutem necessariam semper ab orbe redempto fuit catholica veritas et eius assertio contraria fuit haeretica“ (In 4, d. 18, q. 1, a. 1, concl. 5).

368. *Difficultas* est quoad doctrinam quorundam veterum theologorum docentium a Christo quidem venire institutionem, non vero praeceptum confessionis. Haec sententia defenditur ab *Alexandro Al.* (4, q. 17, m. 3, a. 2) et a *S. Bonaventura* (In 4, d. 17, p. 2, a. 1, q. 3), qui provocant ad *Hugonem Vict.* (De Sacram. I. 2, p. 14, c. 1). At haec doctrina, dummodo secundum sensum auctorum intellegatur, nullam creat difficultatem.

Hugo Vict. enim isto loco haec ait: „Multa est malitia hominis. Nemo, quando male agere vult, auctoritatem quaerit. Quando autem dicimus hominibus, ut bona faciant et ut confiteantur mala, quae fecerunt, dicunt nobis: Date auctoritatem, qua Scriptura hoc nobis praecipit, ut confiteamur peccata nostra.“

Respondet Hugo primo ne illos quidem auctoritatem afferre posse, qua iubeantur tacere peccata sua. Dein vero dicit in vetere Instrumento saepe nos admoneri, ut confiteamur peccata, si velimus eorum remissionem consequi. Respondent adversarii ibi sermonem esse de confessione Deo facienda: „Quid igitur facit homo? Audi, quid facit. Nonne ille homo fuit, qui dixit: ‚Fili, dimittuntur tibi peccata tua?‘... Deus homo homines, qui puri homines erant, participes fecit potestatis suae, ut impleverent officium eius, paenitentium confessionem suscipiendo, et potestatem eius exercerent, paenitentibus et confitentibus peccata remittendo. Accipite, inquit, Spiritum Sanctum... Quare non similiter Christus praeceptum dedit peccata confitendi sicut discipulis potestatem confitentium peccata dimittendi? Audi, quare!... Medicis dixit, ut curarent; sed infirmis non dixit, ut ad medicos curandi venirent... Infirmum enim ipse morbus suus sufficienter admonet,

neque opus praecepto habet, si dolet. Tamen ipsi medici, quia postea negligentes in curatione sua aegrotos invenerunt, eos ad salutem quaerendam et admonitione sua excitaverunt et praecepto attraxerunt. Confitemini, inquit apostolus Iacobus, alterutrum peccata vestra et orate pro invicem, ut salvemini... Quid est confitemini, ut salvemini? Hoc est: non salvamini, nisi confiteamini. Fortassis conaris ad aliud dictum apostoli retorquere, ut intellegatur confitentibus quidem promississe salvationem, tamen non confitentibus non negasse iustificationem. Audi ergo, Augustinus dicit: Non potest quis iustificari a peccato, nisi ante peccatum confessus fuerit.“

369. Ergo Hugo docet *Christum solum instituisse Sacramentum Paenitentiae ut medium necessarium ad impetrandam iustificationem; sed praeter necessitatem medii non esse a Christo impositam necessitatem praecepti; speciale vero praeceptum postea datum esse ab hominibus, id quod est omnino verum.* Hugonis autem non solum sententiam sed etiam verba, ut solent, sua fecerunt Alexander et Bonaventura, qui consequenter eodem modo intellegendi sunt. Hi igitur non negant peccatoribus confessionem esse necessariam necessitate medii.

370. Ita *S. Bonaventura* ait: „Quidam [ad confitendum] non tantum obligantur ex ecclesiastica institutione sed ex propria transgressione [i. e. quia commiserunt peccata mortalia]; hi tenentur ex Sacramenti institutione“ (In 4, d. 17, p. 2, a. 2, q. 2). „Etsi quis pertinaciter assereret contrarium, esset haeticus iudicandus (In 4, d. 17, „expositio textus“, dub. 1). Ex altera autem parte etiam verum est confessionem esse medium non ex nature rei sed ex positiva institutione Christi necessarium. Sub hoc respectu recte dicitur tota necessitas confessionis esse ex praecepto Christi.“

371. Gratianus videtur docere sua aetate fuisse duplicem de necessitate confessionis sententiam: aliorum affirmantium, aliorum negantium, et dicit se lectoris iudicio relinquere, „cui harum potius adhaerendum sit“, et citat canonem ex Paenitentiali *Theodori*, qui incipit: „Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Graeci. Quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota fere sancta ecclesia“ (P. 2, causa 33, d. 1, c. 89 sq.). Hic canon non quidem est in Paenitentiali *Theodori* sed in aliis collectionibus, ut *Burchardi* et *Ivonis*, et primo invenitur in *Concilio Cabillonensi* II. (a. 813), can. 33, sed sine illis verbis „ut Graeci“ et „ut tota fere ecclesia“. Docet quidem Concilium utramque confessionem non fieri sine magno fructu in ecclesia. Sed sensus canonis est obscurus. Cum enim in canone praecedenti et in multis aliis Concilium aperte supponat necessitatem confessionis, non intellegitur, quomodo in hoc canone confessio sacramentalis quasi libera considerari possit. Quare multi non

sine ratione dicunt Concilium voluisse docere utramque confessionem esse utilem, i. e. etiam contritionem perfectam per se solam valere ad iustificationem, licet confessio sacramentalis necessaria sit, ita ut illo canone non agatur de necessitate confessionis quoad praeceptum sed quoad effectum.

Quod si ita est, etiam Gratianus eodem modo explicari debet. Ceterum quod ipse dicit de Graecis, falsum est, et tota illa quaestio apud Gratianum mira manet, quomocumque explicatur. Nam si Gratianus loquitur de sufficientia contritionis ad iustificationem, certe non tota fere sancta ecclesia hanc negavit; si vero loquitur de necessitate confessionis, omnes doctores nullo excepto eam affirmabant. Sed quomocumque res explicanda est, illa Gratiani verba in re dogmatica non sunt tanti ponderis, ut tuto cum Gregorio de Valentia dicere possimus: „privatum plane Gratiani errorem atque hallucinationem fuisse“ (T. 4, disp. 7, q. 9, punct. 2, obi. 3).

372. Arg. 4. Ex consensu ecclesiarum orientalium.

De Graecis catholicis testatur Goar: „Minime respuunt, ut falso quidam suspicantur, confessionem graeci sacerdotes . . . peccatum esse irremissum, quamdiu manet ἀναόριστον, canonum rigori per confessionem non subiectum profitentur“ (Euchol. p. 109).

De Graecis schismaticis idem constat ex actis apud Schelstrate (p. 162, 323 sqq. 521 sqq.). De aliis Orientalibus testatur Denzinger: „Christianos, cum ad annos discretionis pervenerint, ad confessionem teneri Orientales non negarunt, in definiendo tamen discretionis adeptae termino a nobis nonnulli non parum discedunt“ (Rit. Orient. I, 113).

373. Arg. 5. Ex definitionibus ecclesiae.

Martinus V. cum Concilio Constantiensi damnavit Prop. VII. Wicliffi: „Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis“ (Denzinger, Enchir. 483; cf. 564).

Sixtus IV. ut haeticam notavit Prop. II. Petri Oxoniensis: „Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto utilis ecclesiae, non de iure divino“ (Denzinger I. c. 611).

Concilium Trid. (sess. 14, c. 5): „Cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio ecclesia sancta usa est et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam et inventum humanum esse atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse docere non vereantur. Neque enim per Lateranense Concilium ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod iure divino necessarium et institutum esse intellexerat“ (Denzinger I. c. 780). Can. 6: „Si quis

negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure divino. . . A. S.“ (Denzinger I. c. 794).

374. Arg. 6. Confirmatio ex ratione theologica.

a) Lex satis *difficilis* omnes homines obligans non potuit tam secreto introduci a potestate humana, ut nullum huius introductionis, nullum quoque contra hanc introductionem oppositionis vestigium historicum exstet. Atqui nullum tale vestigium exstat, sed, quantumcumque regredimur in historia ecclesiastica, semper ostendi potest iam antea confessionem fuisse in usu, usque ad prima religionis christianae initia, neque umquam querela apparet de lege recenter lata, quae antea fuerit inaudita. Ergo lex confessionis non minus antiqua est quam ipsa ecclesia, seu data est ab ipso Christo Domino.

375. b) Ex altera parte confessio peccatorum tam *utilis* est, ut mirum videri non possit, quod Christus eam instituerit et praeceperit.

Utilitates autem confessionis sunt hae: Minor dispositio requiritur ex parte paenitentis, ut cum confessione quam ut sine confessione venia impetretur. Ergo sub hoc respectu via salutis est facilior et certior. Homini sincere converso est naturale, ut crimina sua manifestet alteri homini gravi et prudenti et maxime fido amico, a quo consilium et solacium accipere possit. Ideo vel apud Iudaeos (Num. 5. 6 sqq. Cf. Lev. 6. 2 sqq. Matth. 3. 6) et apud gentiles exempla confessionis occurrunt; ipsa enim confessio iam quaedam expulsio morbi peccati est, ut recte ait Origenes (In Ps. 37 Hom. 2, n. 6; M 12, 1386).

„Ipsa confessionis difficultas ac peccati detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur“ (Conc. Trid. sess. 14, c. 5). Magnum enim *solacium* est audire a viro competenti et ad hoc munus a Christo instituto de peccatis praeteritis nullam iam esse anxietatem habendam.

Ipsa *confessio deterret a peccando* tum per instructionem et confessarii admonitionem tum per ipsam difficultatem confitendi facta turpia (cf. Eccl. 4, 10).

„Constat enim, si sacramentalem confessionem e christiana disciplina exemeris, plena omnia occultis et nefandis sceleribus futura esse . . . etenim confitendi verecundia delinquendi cupiditati et licentiae tamquam frenum inicit et improbitatem coerces“ (Catech. Rom. P. II, c. 5, n. 37). Quoties hoc apparet evidenter in materia iuris et iustitiae!

Magna quoque in ipsa confessione est satisfactio pro peccatis et optima dispositio ad gratiam. Aut confiteri aut uri!

Propter haec omnia ait Catech. Rom.: „Omnibus fere piis persuasum est, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in

ecclesia summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse, ut nulli mirandum sit humani generis hostem, cum fidem catholicam funditus evertere cogitat, per ministros impietatis suae et satellites hanc veluti christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum esse" (l. c. n. 36).

376. *Schol. 1.* Num ecclesia potuisset praecipere confessionem, nisi Christus eam praecepisset.

De hac re saepe disputarunt theologi. *Negant Scotus* (In 4, d. 18, q. 1, a. 1, concl. 4), *Canus* (Relect. de Paenit. P. 6, § „Ita licet ecclesia“), *De Lugo* (Disp. 15, sect. 6, n. 90), alii. Idem videntur supponere illi moderni theologi, qui dicunt legis ecclesiasticae non esse pro confessione eam materiam praescribere, quae iure divino necessaria non sit, ut *Lehmkuhl* (t. II, n. 321).

Affirmant Suarez (Disp. 35, sect. 1, n. 16), *Vasquez* (De Paenit. q. 90, a. 1, dub. 4, n. 43), alii, qui maxime student enervare quorundam argumentum pro opposita parte dicentium ecclesiam non posse praecipere actus internos; ergo ne confessionem quidem, cum haec necessario supponat actum internum contritionis. Respondent igitur lege ecclesiastica praecipi posse confessionem externam, quo praecepto supposito lege divina necessariam esse contritionem ad dignam Sacramenti receptionem (cf. Inst. propaed. n. 523). Similiter philosophandum est de accusatione peccatorum mere inter-
norum.

377. Sed hac ratione omissa videtur nihilominus prior sententia omnino tenenda. Nam lex confessionis est adeo difficilis, ut, si ab auctoritate humana ferretur, multi contra eam pugnarent et passiva saltem resistentia cogerent auctoritatem, ut legem retractaret vel in desuetudinem abire sineret, ne tot peccata contra eam committerentur, neve lex in damnum potius quam in bonum societatis vergeret. Atqui non est admittendum ecclesiam habere potestatem, quae plane inutilis sit et in actum deduci nequeat. De qua re *Bellarminus*: „Quid enim molestius, quid onerosius, quam ut cogantur etiam viri, principes regesque potentissimi sacerdotibus, qui et ipsi homines sunt, peccata sua omnia detegere, quamvis arcana, quamvis tupia, quamvis pudenda, quamvis horrorem etiam ipsi confitenti afferentia, et eorundem sacerdotum iudicio stare ac mulctam ab illis iniunctam subire? Tanta profecto huius rei difficultas est, ut nullo modo credibile sit aut ecclesiae praesides ausuros fuisse legem eiusmodi ferre, aut populis persuaderi potuisse, ut eiusmodi legem acciperent et tot iam saeculis observarent, nisi divinum imperium, divina institutio, divina promissio accessissent“ (De Paenit. l. 3, c. 12, ratio 2).

Haec ratio probatur etiam a *Cardinali De Lugo* (Disp. 15, sect. 6, § 1), *Wirceburg*. (De Paenit. n. 116), aliis; immo ipse *Suarez* fatetur

propter hanc rationem non esse verisimile „humana auctoritate esse introductam huiusmodi obligationem“ (Disp. 38, sect. 1, n. 14).

378. *Schol. 2.* Num ecclesia possit in hac lege dispensare vel eam abrogare.

Respondent theologi unanimiter cum *S. Thoma*: „Institutio ecclesiae praesupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis praesupponitur ad opus naturae. Et quia ecclesia fundatur in fide et Sacramentis, ideo ad ministros ecclesiae nec novos articulos fidei edere aut editos removeere aut nova Sacramenta instituere aut instituta removeere pertinet; sed hoc est potestatis excellentiae, quae soli debetur Christo, qui est ecclesiae fundamentum. Et ideo sicut papa non potest dispensare, ut aliquis sine Baptismo salvetur, ita nec quod salvetur sine confessione, secundum quod obligat ex ipsa vi Sacramenti“ (In 4, d. 17, q. 3, a. 1, sol. 5). „Et in hoc conveniunt omnes theologi“ (*Suarez*, Disp. 35, sect. 1, n. 15). Secundum *Gregorium de Valentia* haec sententia est „communis et certa“ (t. 4, disp. 7, q. 10, punct. 5). Idem docet *Vasquez* (De Paenit. q. 90, a. 1, dub. 5), qui pro hac sententia citat *Richardum, Durandum, Paludanum, Sotum*.

379. Ratio autem, qua haec sententia nititur, est haec: „Iure divino est hoc Sacramentum Paenitentiae lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus“ (Conc. Trid. sess. 14, c. 2). Atqui in re, quae est ex iure divino adeo necessaria ad salutem, ecclesia non potest dispensare. Ergo ecclesia, sicut non potest dispensare a praecepto Baptismi, ita non magis dispensare potest a Sacramento Paenitentiae. Ceterum idem valet de omni re, quae ex iure divino est necessaria necessitate medii.

Potest quidem fortasse aliqua disputatio fieri, utrum omnino in iure divino obiectivo summus pontifex dispensare possit necne, quod quidem communiter theologi negant (cf. Inst. propaed. n. 377). Sed etiamsi supponamus talem dispensationem esse possibilem, semper supponit rationabilem causam, quae numquam adesse potest quoad confessionem. Qui enim impossibilitate excusatur, non indiget dispensatione.

380. Iam Patres ecclesiae obiecerunt Novatianis eos esse inobedientes praecepto Christi, quod vellent confessionem saltem partialiter abrogare (cf. supra n. 19 sqq.). *S. Coelestinus* dicit se horrere tantam impietatem, ut alicui hoc Sacramentum denegetur (supra n. 49; cf. *Denzinger* l. c. 1401). Cf. *S. Cypriani* Ep. 57, n. 5 ad *Cornel.* (H. 2, 6).

Palmieri contra eos, qui dicunt olim ab ecclesia quibusdam peccatoribus hoc Sacramentum simpliciter et in perpetuum denegatum

esse, recte ita argumentatur: Ecclesia, si hoc fecit, vel ab enormi inobedientia in Christi legem vel ab errore in fide nequit liberari. Nam dogma fidei non est tantum potestas facta ecclesiae remittendi quodlibet peccatum, sed dogma est quoque necessitas exercitii huius potestatis, ut assequantur fideles remissionem peccatorum. Ergo ecclesia debebat novisse sibi esse obligationem hanc potestatem exercendi, si debitaе condiciones adessent, neque enim in suam sed in aliorum utilitatem pastores ecclesiae hanc potestatem acceperunt. Si igitur ecclesia noverat necessitatem usus clavium pro remissione peccatorum, enormiter in damnum fidelium abusa esset sua potestate negando rite postulantibus absolutionem. Si autem putasset ecclesia non necessariam esse absolutionem peccatoribus necessitate mediі ad salutem, fuisset in errore. Neutrum admitti potest. Ergo ecclesia numquam homini rite disposito simpliciter et in perpetuum denegavit absolutionem (De Paenit. p. 93 sqq.).

Prop. XXVII. Nihil contra necessitatem confessionis probant vel factum Nectarii vel doctrina S. Chrysostomi.

Pars I. De facto Nectarii.

381. Contra doctrinam modo a nobis stabilitam solent argumentari ex praxi et doctrina ecclesiae Constantinopolitanae saec. IV. et V.; quod quidem argumentum, si quid valeret, nihil efficere posset contra unanimum et constantem ecclesiae doctrinam. At ipsum argumentum est nullum. Factum historicum, de quo agitur, narratur a duobus scriptoribus Constantinopolitanis Socrate et Sozomeno (utroque ex saec. V.). Audiamus hunc alterum, quia expositio eius est magis perspicua.

Narratio Sozomeni: „Per idem tempus (a. 390) Nectarius, Constantinopolitanus episcopus, presbyterum illum, qui praepositus erat paenitentibus, primus ex ecclesia sustulit. Cuius exemplum omnes fere episcopi postea sunt secuti.* Dein narrat, quid fuerit presbyter paenitentiarium (supra n. 218), et quomodo in variis ecclesiis paenitententes soleant tractari, et pergit: „In Constantinopolitana autem ecclesia certus presbyter constitutus erat, qui paenitentibus praeesset. Donec matrona quaedam nobilis ob peccata, quae confessa fuerat, iussa ab hoc presbytero ieiunare ac Deum suppliciter orare, dum huius rei causa in ecclesia moraretur, a diacono se stupratam esse prodidit. Quo cognito plebs omnis vehementer succensuit, nec mediocri probro expositi erant sacri ordinis viri. Nectarius vero, cum eum, qui stuprum admiserat, diaconatu exiit. Cumque nonnulli ei consilium dedissent, ut unicuique, prout sibi conscius esset ac fiduciam sui haberet, ad sacrorum mysteriorum communionem accedendi liberam

faceret potestatem, presbyterum, qui agendaе paenitentiae praepositus erat, abolevit. Atque ex eo tempore id firmum ac stabile permansit, vetustate atque ei adiuncta gravitate et severitate iam tum, ut opinor, in laxam ac dissolutam vivendi rationem paulatim delapsa“ (Hist. eccl. l. 7, c. 16; M 67, 1458).

Idem narrat Socrates (Hist. eccl. l. 5, c. 19; M 67, 614), qui addit Eudaemonem quendam Nectario dedisse consilium abrogandi paenitentiarium. „Haec ego, cum ab ipso Eudaemone acceperim, historiae huic inserere minime dubitavi. . . . Et initio quidem Eudaemoni ista dixi: Consilium tuum, o presbyter, utrum ecclesiae profuerit ammon, Deus viderit. Ceterum ansam ex eo singulis datam esse video, ut delicta sua invicem amplius non coarguant nec observent praeceptum illud apostoli, quod ita se habet: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed potius redarguite. Verum de his satis.“ Hae narrationes, cum sint satis obscurae, ab aliis aliter explicantur.

382. Imprimis igitur disputant, *quoties mulier illa confessa sit.* Quidam enim putant de unica tantum confessione sacramentali sermonem esse. Sed hoc admitti nequit, tum quia Sozomenus clare distinguit duplicem confessionem: unam, ut videtur, privatam, alteram publicam; tum quia non apparet, quomodo ex sola confessione facta apud paenitentiarium potuerit rumor criminis in vulgus venire. Itaque dicendum est illam mulierem primo secretam confessionem peregrisse apud paenitentiarium. Deinde hic varia opera paenitentiae iniunxit, inter alia ieiunia et orationes in ecclesia, et fortasse permisit etiam publicam aliquam confessionem, quia Socrates dicit confessionem simul cum orationibus et ieiuniis fuisse inter opera paenitentiae huius mulieris. Cum haec opera perageret, mulier a diacono vitiata est. Quod crimen mulier aliquo die ita confessa est, ut res in notitiam plebis veniret, id quod supponit aliquam publicam confessionem. Fortasse mulier ipsa diaconum coram populo accusavit; fortasse, cum ipsa simul cum aliis paenitentibus quaedam peccata ex licentia paenitentiarium publice confitebatur, ultra licentiam etiam hoc crimen indicavit. Ita enim nonnulli explicant illa verba Socratis: *ἡ δὲ γυνή προβαίνουσα καὶ ἄλλο πταῖσμα ἐαυτῆς κατηγορεῖ.* „Ipsa, cum alia peccata, quae publica erant, confiteretur, longius progressa, quam par erat, etiam hoc peccatum confessa est“ (Bellarminus, De Paen. l. 3, c. 14).

Alii autem putant utramque confessionem mulieris fuisse secretam. Ita *Valesius* in notis ad Socratis historiam (*Migne* 67, 616). Sed si hoc verum esset, non potuisset notum fieri plebi crimen, nisi aut presbyter aut episcopus illud manifestasset, id quod sine summa imprudentia et iniuria fieri non potuit. Cum vero neque Socrates neque Sozomenus vel presbyterum vel episcopum accusent, sed dicant simpliciter ob mulieris confessionem plebem commotam esse, ius nullum habemus tam enormem rem imponendi episcopo vel presbytero.

Alii putant illam secundam confessionem non fuisse confessionem sacramentalem neque etiam plane publicam sed in eo constitisse, quod mulier coram tribunali paenitentiarum praesentibus aliis accusaverit diaconum, ut hic poena plecteretur. Ita *Zaccaria* in Dissertationibus (tom. 2, diss. 9). Etiam in hoc casu aliqua difficultas manet explicandi notitiam criminis plebi factam. Nam qui in iudicio praesentes erant, ad hoc munus electi erant et ad strictum silentium obligabantur; scriptores autem soli confessioni mulieris divulgationem criminis attribuunt.

Quare explicatio primo loco data aliis praeferenda videtur. Duplicem illam confessionem: alteram privatam, alteram publicam, admittunt etiam *Morinus* (De Paenit. l. 3, c. 14), *Thomassinus* (Vet. et nov. eccles. discipl. l. 2, c. 7), *Frank* (Bussdisciplin p. 187), alii.

383. His suppositis quaeritur, quid *Nectarius* aboleverit. Imprimis non abrogavit totum institutum confessionis, ut volunt *Calvinus* (Inst. l. 3, c. 4, n. 7) et alii. Nam de hac re ne verbum quidem dicunt scriptores, sed de abrogatione solius muneris paenitentiarum loquuntur. Hoc etiam inde patet, quod non abolevit *Nectarius* id, quod post eum semper exstabat in ecclesia Constantinopolitana. Atqui confessio semper etiam post *Nectarium* exstabat, ut iam ex solo Libro paenitentiali *Ioannis Ieiunatoris* († 505) constat (*Migne* t. 88). Abrogatum autem est, quod causa fuerat scandali; sed confessio secreta nullo modo erat causa scandali. Neque scandalum inde oriri poterat, quod publicum crimen publice accusabatur, quia tunc crimen iam ante accusationem notum erat. Ergo ne publica quidem paenitentia pro criminibus abrogata est, ut mirum non sit, quod etiam post tempora *Nectarii* publica paenitentia pro publicis criminibus in historia ecclesiarum orientalium occurrit (cf. *Binterim*, Denkwürdigkeiten V, 2, 441; *Denzinger*, Rit. or. I, 475, 497).

Nihil igitur remanet, nisi ut abrogata sit accusatio et paenitentia publica pro criminibus occultis. Sed tunc dubium manet, quomodo abrogatio huius rei cohaereat cum abrogatione muneris presbyteri paenitentiarum.

384. De munere paenitentiarum. Itaque notandum est paenitentiarum non fuisse presbyterum unicum constitutum ad audiendas confessiones secretas; ad hoc enim in magnis ecclesiis unus presbyter non fuisset sufficiens. Dein vero *Sozomenus* diserte dicit presbyterum hunc eodem munere functum esse, quo alibi fungebantur episcopi relate ad paenitentiam publicam. Describit enim, quomodo Romae episcopus egerit cum paenitentibus, et pergit: „Haec episcopi urbis Romae iam inde ab ultima vetustate ad nostram usque aetatem custodiunt. In Constantinopolitana autem ecclesia certus presbyter constitutus erat, qui paenitentibus praeesset“ (*Migne* 67, 1462).

Praeerat igitur paenitentiarum publice confitentibus. Ad eum accedere debebant, qui canonici criminis rei erant, a quo absolvi non poterant a quolibet sacerdote sed a solo paenitentiarum; itaque secundum nostrum modum loquendi ipse solus poterat absolvere a casibus reservatis. Praeterea praeses erat iudicii ecclesiastici, ad quod fideles deferre debebant, si quem Christianum crimen commisisse sciebant; immo paenitentiarum erat diligenter in vitam moresque Christianorum inquirere, ne forte crimina in occulto serperent; et si quem reum invenerat, eum ad iudicium suum vocabat. Ipse quoque constituebat, quae paenitentia agenda et num aliquod peccatum publice confitendum esset, et invigilabat, ne quis paenitens nondum plene cum ecclesia reconciliatus ad Sacram Communionem accederet. Neque ob publica tantum sed etiam ob secreta crimina, saltem si coram iudice probata erant, homines arcebantur a Sacra Communionem (supra n. 48 sqq.), et licentia interdum vel etiam consilium paenitentibus dabatur, ut aliquod peccatum publice confiterentur.

Sublato paenitentiarum hominibus licebat ad Sacram Communionem accedere, prout sibi quisque sufficienter dispositus videbatur, neque ob alia atque ob crimina notoria amplius quis a Sacra Communionem arcebatur. Etiam abrogata est delatio criminum ad iudicem ecclesiasticum. *Socrates* enim dicit factum esse, ut „delicta sua amplius non coarguerent.“ *Sozomenus* vero putat, quamdiu viguerit institutum paenitentiarum, pauciora fuisse peccata „tum ob verecundiam eorum, qui sua ipsi delicta enuntiabant, tum ob severitatem iudicium, qui ad id erant constituti“.

385. Abrogavit ergo *Nectarius* tria: a) munus paenitentiarum, b) delationem criminum occultorum ad iudicem ecclesiasticum, c) obligationem agendae publicae paenitentiae et publicae confessionis pro criminibus coram paenitentiarum accusatis; immo probabiliter omnem licentiam publicae confessionis.

386. Quamquam autem multa sint obscura in hac historia, nihil tamen ex ea contra necessitatem confessionis concludi potest. *Sozomenus* enim diserte testatur confessionem esse omnibus peccatoribus necessariam, et paenitentibus veniam ex praecepto divino esse dandam. *Socrates* dicit mulierem illam peccata sua „sigillatim“ confessam esse (κατὰ μέρος ἐξομολογείται). Porro hic usus paenitentiae fuit „ab initio“ et „ab ultima vetustate“, ut ait *Sozomenus*. Ergo confessio peccatorum ad obtinendam absolutionem non est institutum posterioribus saeculis inventum (cf. *Suarez*, Disp. 17, sect. 2, n. 30 sqq.).

Pars II. De doctrina S. Ioannis Chrysostomi.

387. *Chrysostomus*, cum esset successor *Nectarii*, mirum non est, quod, post facta modo relata, in sermonibus, quos patriarcha habuit,

numquam exhortatur fideles ad paenitentiam publicam, contra vero saepe de confessione peccatorum Deo facienda loquitur. Ceterum idem iam videre est in eius Homiliis Antiochiae habitis. Ei autem certam fuisse necessitatem confessionis sacramentalis constat ex iis, quae in thesi praecedenti citata sunt. Quanta autem diligentia munere confessarii ipse functus sit, apparet ex obiectione quadam, quam adversarii eius contra eum movebant: „quod licentiam peccantibus praebeat sic dicens: Si iterum peccasti, veni ad me, ego te sanabo“ (Photii cod. 59; *M* 103, 111).

388. Quando igitur dicit soli Deo confitendum esse, attendendum est, quid hoc sibi velit. Saepe nihil aliud videtur excludere nisi confessionem publicam, ut in Hom. 5 de Incomprehensibili (*M* 48, 746): „Non te in theatrum conservorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo; conscientiam expande coram Deo, ipsi ostende vulnera tua.“ Et Hom. 31 in Hebr., n. 3 (*M* 63, 216): „Ne nos dicamus peccatores tantum, sed etiam peccata recenseamus, speciatim unumquodque enumerantes. Non tibi dico, ut ea tamquam pompam in publicum proferas, neque ut apud alios te accuses, sed ut pareas prophetae dicenti: Revela Domino viam tuam. Apud Deum ea confitere, apud iudicem confitere peccata tua, orans si non lingua, saltem memoria“, i. e. si non semper lingua, saltem semper memoria, ut numquam eorum obliviscaris. Ita enim ipse explicat. Si autem per haec et similia vellet excludere etiam confessionem coram sacerdote faciendam, cur toties loqueretur de erubescencia et pudore in ea confessione, quam ipse ab auditoribus postulat? ut in illa Hom. 5 de Incomprehensibili (*M* 48, 744): „Quisnam frigidus ille multorum sermo? Vereor, inquit, pudore suffundor, neque possum vel os deducere. Satanica est haec verecundia.“ Vix intelligitur, quomodo talia de confessione coram Deo dici possint.

389. Alibi vero videtur docere efficaciam contritionis ad delenda peccata, ut in Hom. 20 in Gen., n. 3 (*M* 53, 170 sq.): „Num grave aliquid et molestum a nobis [Deus] requirit? Contritionem cordis, compunctionem mentis, confessionem lapsus, assiduitatem continuam.“ Maxime etiam inculcat iudicium de peccatis non consistere in hoc, quod alter alterum accuset, sed quod homo se ipsum probet: „Probet se ipsum unusquisque et tunc accedat. Nec praecepit [apostolus], ut alter alterum probet, sed ut quisque se ipsum, iudicium statuens, quod non sit publicum, et probationem sine testibus“ (In 1 Cor. Hom. 28, n. 1; *M* 61, 233). Ad hanc probationem etiam pertinet, ut unusquisque videat, utrum confessione indigeat ante Communionem necne.

390. Ceterum aperte non excludit, sed includit munus sacerdotis in opere conversionis: „Cuiusmodi est medicamentum paenitentiae et quomodo conficitur? Primum est ex suorum peccatorum condemnatione

et confessione. Nam si peccatum fueris confessus, ut oportet confiteri, fit humilis animus. Oportet autem alia quoque addere humilitati... [variis enumeratis ait:] Et se in sacerdotes, ut convenit, gerere. Et si fecerit, inquit, quisquam peccata, remittentur ei.“ Iac. 5, 15 (Hom. 9 in Hebr., n. 4; *M* 63, 80). Iterum: „Ne, quia peccasti, te pudeat accedere [ad sacerdotem]; immo ob hoc ipsum accede. Nemo enim dicit: Quia ulcus habeo, medicum non accerso neque pharmacum accipio; immo ob hoc ipsum maxime et medici advocandi sunt et pharmacorum vim requirere opus est. Scimus etiam nos [sacerdotes] ignoscere, quia et ipsi aliis peccatis sumus obnoxii. Ideo namque Deus non angelos dedit nobis doctores neque Gabrielem desuper mittens ipsum gregi praefecit, sed ex ipso ovili pastores assumit, ex ovibus gregis ducem, qui ad ignoscendum subditis pronus sit et infirmitatem propriam expendens non insurgat adversus gregarios“ (Hom., quod frequenter conveniendum sit, n. 2; *M* 63, 463). Ulcus detegere, ut medicus medicinam adhibere possit, aliud nihil esse potest nisi confessio (cf. supra Prop. I et XXV).

Chrysostomus et alii Patres, si loquuntur de peccatis Deo confitendis, saepe possunt recte explicari de confessione Deo per sacerdotem facienda; sacerdotem enim quasi Deum, i. e. vicarium Dei, considerabant. Ita in Paenitentiali *Ioannis Ieiunatoris* (*M* 88, 1891) sacerdos alloquitur paenitentem: „Spiritualis fili, ego tuam confessionem primario et praecipue non recipio nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus (illius est enim opus eiusmodi) peccatorum tuorum confessionem suscipit.“ Saepe dicta similia apud veteres scriptores inveniuntur (cf. Hurter, Comp. theol. III, 492).

391. Tandem recte intellegendum est, quod S. Chrysost. et alii Patres saepe dicunt *variis remediis posse peccata deleri*. „Cum omni studio curetis admissa peccata abluere et accedentia [i. e. futura] propellere. Etiam si enim innumera nos circumdant mala, si sapiamus et vigiles simus, poterimus et excusationem multam et veniam consequi atque delicta abluere. Et quomodo id eventurum sit, audi: Si in ecclesiam nos conferamus, si de peccatis nostris ingemiscamus, si ipsa peccata confiteamur, si eleemosynas erogemus, si preces emittamus, si iniuria affectos iuvenimus, si inimicis peccata condonemus, si ob delicta lacrimas emittamus; haec quippe omnia sunt peccatorum pharmaca“ (Chrysost., Hom. adv. Catharos; *M* 63, 492).

At quamvis haec omnia et alia remedia peccatorum saepe enumerentur a SS. Patribus, nullo tamen modo dicendum est omnia eodem modo valere ad remittenda peccata. Alia enim sunt remedia remota, alia proxima, alia directe disponentia ad iustificationem, alia impetrantia gratias actuales ad hunc finem. Ergo non sequitur, ut haec remedia indifferenter et pro arbitrio adhiberi possint; sed quaedam possunt esse necessaria, quaedam vero libera. Hoc iam inde efficitur, quod inter-

dum etiam Baptismum inter ea enumerant (e. g. *Origenes*, Hom. 2 in Levit.; *M* 12, 417), quem liberum esse nulli eorum in mentem venit. Praeterea haec remedia et a SS. Patribus et in S. Scriptura sub hoc quoque respectu dicuntur delere peccata, quod, quo plura ex iis usurpentur, eo plenior remissio reatus culpae et poenae obtineri et eo facilius futurum peccatum caveri possit; neque enim semper SS. Patres istis locis loquuntur de adipiscenda iustificatione, sed saepe supponunt iustos, quos edocere volunt, quomodo pro praeteritis peccatis satisfacere et futura peccata vitare possint (cf. *Palmieri*, De Paenit. thes. 34).

Prop. XXVIII. Praeceptum divinum confessionis obligat peccatores baptizatos saltem in articulo mortis et etiam interdum extra articulum mortis.

392. Hac thesi explicanda sunt quaedam dubia circa praeceptum divinum confessionis, quae ad magis accuratam notitiam eorum, quae hactenus dicta sunt, pertinent. Haec dubia versantur partim circa personas obligatas, partim circa tempus obligationis.

Pars I. De subiecto obligationis.

393. 1. Per se quidem patet homines non baptizatos non posse suscipere hoc Sacramentum. Nihilominus quaeri potest, num hoc praecepto etiam infideles teneantur simili modo sicut praecepto Communionis, i. e. num ideo quoque teneantur ad Baptismum, ut possint recipere Sacramentum Paenitentiae. Afirmat *Scotus* (In 4, d. 16, q. 1, a. 1) et alii. Est tamen negandum, quia praeceptum confessionis eatenus obligat, quatenus hoc Sacramentum est necessarium ad salutem. Atqui infidelibus non est necessarium, quia salvantur per Baptismum; immo per solum Baptismum salvari possunt, et consequenter non sunt capaces praecepti confessionis. Hoc igitur praeceptum neminem obligat nisi peccatorem iam baptizatum, et est praeceptum non absolutum sed condicionatum. Obligantur autem haeretici et apostatae et generatim omnes, qui post Baptismum graviter peccaverunt, licet ab ecclesia separati sint.

394. 2. Sed quid, si quis probabiliter baptizatus est, i. e. si quidem adsunt positivae rationes suadentes eum esse valide baptizatum, quae tamen rem non reddunt moraliter certam, numquid talis homo debet confiteri peccata post illum Baptismum dubie validum commissa, licet ipse iterum postea baptizandus sit? Haec quaestio a scriptoribus veteribus vix tangitur, sed nostra aetate celebris facta est. Notandum est autem agi de Baptismo vere probabili; nam si Baptismus prior non esset solide probabilis, homo esset simpliciter baptizandus

neque ullo modo ad confessionem obligandus. Non igitur quaelibet tenuissima probabilitas valoris prioris Baptismi sufficit ad imponendam obligationem confessionis.

Restat igitur casus, quando *solida probabilitas* stet et pro valore et pro nullitate prioris Baptismi. Olim quidem plerique theologi, qui hanc quaestionem tractabant, dicebant homines probabiliter baptizatos practice non teneri ad confessionem. Ita *Lacroix* (De Bapt. n. 323), *Gury* (t. 2, n. 419), sed simul dicebant suadendam esse in tali casu confessionem, cum etiam contraria opinio sit speculative probabilis.

395. Nunc autem omnes concedunt esse strictam obligationem confessionis propter decretum hac de re editum a Congreg. S. Offic. (cf. *Lehmkuhl* t. 2, n. 320). Sed quomodo vis obligatoria huius decreti est explicanda? Omnes concedunt hoc decretum non esse novam legem ecclesiasticam, tum quia nullum signum talis legis apparet, tum quia ecclesia non potest praecipere confessionem peccatorum, quorum confessionem Christus non praecepit. Ergo illud decretum nihil continet nisi declarationem legis divinae, et consequenter dicendum est eum, qui sit dubie baptizatus, lege divina obligari ad confessionem omnium peccatorum, quae post illum Baptismum commisit.

Hoc autem nequaquam explicandum est ex principio, quod in re sacramentaria sequenda sit sententia tutior. Id enim valet solum, quando agitur de valore Sacramenti. Atqui valor Sacramenti omnino non vocatur in quaestionem, quando quis non confitetur peccatum, ad quod confitendum est dubie obligatus, ut ex doctrina S. Alphonsi ostendit *Gury-Ballerini* (t. 2, nota ad n. 420).

396. Ergo ex ipsa lege divina debet adesse non solum probabilis sed certa obligatio confessionis, si quis post Baptismum dubie validum commisit peccata gravia. Et revera, quia ecclesia est societas visibilis, ille, qui subiit ritum externum, quo homines in hanc societatem cooptantur, eo ipso censetur pertinere ad hanc societatem et omnibus legibus in ea, sive ex iure divino sive ex iure humano valentibus, subiacere. Nam ecclesia de hominum ad suum coetum ascriptione aliter iudicare nequit nisi ex signis externis. Ergo ubi requisita signa externa adsunt, ecclesia habet ius a Deo acceptum homines adigendi ad implendas leges in ecclesia valentes. Propter dubium autem restans de valore Baptismi condicionate Baptismus repetitur, ut salus hominis in tuto collocetur. Minores enim rationes requiruntur ad repetendum Baptismum, ut quod sit medium salutis maxime necessarium, quam ad eximendum hominem a legibus in ecclesia vigentibus, ad quam ritu externo requisito ascriptus est.

Haec argumentatio proxime valet in dubio iuris, quando constat de ritu externo collato; in dubio vero facti tunc solum homo tenetur ad confessionem, si aliis signis externis suadetur hominem vere

ascriptum esse coetui Christianorum, ut si natus a parentibus christianis semper vixit ut Christianus inter Christianos. Tunc enim legaliter pertinet ad ecclesiam, quamvis rationes possint adesse sub condicione eum baptizandi (cf. S. Alphons l. 6, n. 134).

3. *Peccata vero, quae fiunt in ipsa susceptione Baptismi*, ut est peccatum fictionis, postea accusanda esse doctores communiter docent, quia, cum moraliter perseverent, eo ipso erunt peccata post Baptismum commissa (*De Lugo*, Disp. 16, sect. 1).

Pars II. De tempore obligationis.

397. 1. Praeceptum confitendi, cum sit positivum, *non semper obligat*. Quamquam pauci theologo contrarium docuerunt, communis tamen theologorum sententia consentit (*Suarez*, Disp. 35, sect. 3, n. 2). Ipsa etiam ecclesia eo, quod determinavit obligationem annuae confessionis, satis ostendit non esse obligationem statim confitendi.

398. 2. *Obligare hoc praeceptum in articulo mortis* convenit inter omnes theologos, tum quia hoc praeceptum aliquando in hac vita impleri debet, tum quia certe urget in articulo extremae necessitatis. Eadem rationes valent, si quis hic et nunc habet copiam confessarii, quam postea rationabiliter censet se non amplius habiturum. Ita S. Thomas (In 4, d. 17, q. 3, a. 1, sol. 4), *Suarez* (l. c. n. 3), *De Lugo* (Disp. 15, sect. 3, n. 37).

399. *Extra articulum mortis nullum assignari potest tempus, quo praeceptum confessionis urgeat*, sed Christus ecclesiae dedit potestatem hoc tempus determinandi, quia, qui habet supremam iudicandi potestatem, habet etiam potestatem constituendi tempus iudicii. Unde certe legi divinae satisfacit, qui mandato ecclesiae oboedit. Ita iidem doctores docent. Quod autem homo non debet diu manere in statu peccati, hoc non ostendit nisi necessitatem contritionis cum voto confessionis debito tempore faciendae.

Quod autem quidam dicunt urgere praeceptum confessionis, *si sit periculum, ne peccata oblivioni dentur*, non est verum, quia nullum existit praeceptum providendi, ne peccata oblivioni dentur, sed unicum praeceptum est confitendi ea peccata, quorum quis post diligens examen conscientiam habet.

400. 3. *Per accidens obligatur quis ad confitendum*,
a) si confessio est medium necessarium ad vitanda peccata, quod raro accidit, quia alia media suppetunt, licet confessio contra quaedam peccata sit medium maxime utile et ideo valde suadendum;
b) si sumenda est S. Eucharistia, ut docet Conc. Trid. (sess. 13, c. 7): „Ecclesiastica consuetudo declarat eam probationem necessariam

esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat“ (*Denzinger* l. c. 761).

In utroque autem casu homo obligatur ad confitendum non praecise ex praeccepto confessionis qua tali, sed vel ex praeccepto alius virtutis, quo homo iubetur adhibere remedia ad vitandum peccatum necessaria, vel ex praeccepto digne sumendi Sacram Eucharistiam, ad cuius sumptionem dispositio praevia a Christo praeccepta est confessio iis, qui habent peccata nondum absolute deleta. Ergo qui in his casibus omittit confessionem, non duo peccata committit sed unum, i. e. vel contra aliquam specialem virtutem vel contra reverentiam Eucharistiae debitam.

Schol. De lege ecclesiastica annuae confessionis.

401. 1. *Praeceptum divinum confessionis exactius determinatum est quoad tempus lege ecclesiastica data a Concil. Lateran. IV. (c. 22)*: „Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti“ (*Denzinger* l. c. 363). De qua lege Conc. Trid. (sess. 14, c. 5) dicit: „Neque enim per Lateranense Conc. ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod iure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur; unde iam in universa ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimae, quem morem haec sancta Synodus maxime probat et amplectitur tamquam pium et merito retinendum“ (*Denzinger* l. c. 780).

402. 2. *Haec igitur est vera lex obligans*, quamvis quidam de hac re olim dubitaverint. Constat tum ex tenore verborum tum ex consensu ecclesiae. Sed quia est lex ecclesiastica tantum, posset eam ecclesia abrogare vel in ea dispensare, si debitae rationes adessent; quae numquam aderunt pro universali abrogatione. Summus pontifex non aliter subiacet huic legi atque omnis supremus legislator legibus reipublicae, scilicet secundum vim directivam.

403. 3. *Obligat autem haec lex eum tantum, qui habet peccata mortalia*, quamvis olim theologo nonnulli aliter censuerint; id quod iam inde efficitur, quod fideles iubentur „omnia“ peccata confiteri; sed certe ecclesia neque voluit neque potuit praescribere confessionem omnium peccatorum venialium. Constat idem ex communi consensu posteriorum doctorum (*Suarez*, Disp. 31, sect. 2, n. 7; *Ballerini*, Opus mor. t. 5, n. 1071).

404. *Non obligat lex ad confitendum praecise tempore Quadragesimae*, quia de hac re nihil dicitur, et Conc. Trid. hoc suadet tantum, sed ratione Communionis Paschalis potest aliquis circa id tempus ad confessionem obligatus esse. Generatim dicendum est hanc legem per se non obligare determinato anni tempore, dummodo semel in anno impleatur.

405. 4. *Quomodo computandum sit tempus anni, non certo constat.* Alii dicunt a Quadragesima ad Quadragesimam; alii intra annum a commisso peccato mortali; alii intra annum ab ultima confessione; alii intra annum civilem. Et haec sententia correspondet obvio sensui vocis anni; sic enim annus intellegitur, si sine addito dicitur. Ergo huic praecepto satisfacit, qui tempore Paschali confitetur; quamvis enim una confessio ab altera distet forte ultra duodecim menses, nihilominus semel intra annum civilem confitetur. Ecclesia autem nihil aliud dicit nisi „semel in anno“; quod fit, etiamsi quis semel circa initium anni et semel circa finem anni confitetur.

406. 5. *Cum autem praeceptum ad sola mortalia confitenda obliget, dubium est, num satisfecerit praecepto, qui venialia tantum confessus sed postea in mortalia lapsus est.* Hoc probabile videri potest; nam tunc paenitens id facit, quod voluit Concilium, i. e. semel in anno suscipit Sacramentum Paenitentiae; licet igitur eodem anno in peccatum mortale incidat, vi tamen huius praecepti non videtur obligari ad confitendum nisi proximo anno (cf. *Ballerini*, Opus mor. t. 5, n. 1061). Porro cum sensus praecepti sit, ut confessio non differatur ultra annum, ille, qui ulterius distulit, manet sub obligatione implendi praeceptum, quam proxime fieri potest.

407. 6. *Praeceptum non impletur per confessionem invalidam*, ut patet ex Prop. XIV. damnata ab Alexandro VII. (*Denzinger* l. c. 985); ratio est, quia confessio invalida est nulla; *neque per confessionem sine absolutione*, quia ecclesia voluit praescribere usum Sacramenti Paenitentiae, seu voluit exactius determinare praeceptum Christi. Christus autem fructuosam Sacramenti susceptionem praescribit. Ita *Suarez* (Disp. 36. sect. 7, n. 3).

408. 7. *Nemo tenetur vi huius praecepti per interpretem confiteri.* „Solutus confiteatur sacerdoti.“ Hoc eo magis dicendum est, quia ne iure quidem divino confessio per interpretem vel per media extraordinaria praescripta est. *Neque praescribitur confessio per scriptum faciendam* ob eandem rationem. Omnes igitur, qui aliter non possunt, debent nutibus vel quibuscumque signis, quantum possunt, manifestare peccata sua, et tunc absolvendi sunt.

409. 8. *Fideles, qui commiserunt peccata mortalia, teneri ad confessionem faciendam iam initio anni, quando tunc quidem possunt, praevident autem fore, ut reliquo tempore anni non iam possint*, theologi satis communiter docent, quia hoc praeceptum non limitatur ad finem anni, sed generatim praescribit, ut confessio fiat semel in anno. Similiter igitur se habet sicut praeceptum audiendi Sacrum die dominica, quod quis debet e. g. hora octava implere, si scit se alio tempore non posse.

9. *Etiam pueri, qui mortalia commiserunt, hoc praecepto tenentur; et ideo mature ad confessionem praeparandi sunt, ut Sacramentum recipere possint, si indigeant.* Neque licet primam confessionem tam diu differre quam primam communionem (cf. *De Lugo*, Disp. 15, sect. 6—8; *Wirceburg.*, De Paenit. n. 180 sqq.).

SECTIO VI.

DE MINISTRO SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Prop. XXIX. Minister Sacramenti Paenitentiae est solus sacerdos.

410. *Nota.* Supponimus hic ex Tractatu de Sacramento Ordinis esse in ecclesia duplicem hominum statum: laicalem et clericalem. In statu clericali sunt ii, qui a populo segregati ad ministerium cultus divini assumuntur. Porro in hoc statu sunt varii gradus, quorum duos supremos occupant episcopi et presbyteri, qui communi nomine vocantur sacerdotes, ita ut episcopi sint sacerdotes primi ordinis, presbyteri sacerdotes secundi ordinis. Qui sunt in inferioribus gradibus, numquam vocantur sacerdotes sed clerici.

Sensus igitur thesis est solos episcopos et presbyteros esse ministros aptos ad administrandum Sacramentum Paenitentiae seu, quod idem est, eos solos posse valide dare absolutionem. Posse etiam laicis fieri confessionem sacramentalem docuerunt Waldenses et Wicifitae et Protestantes, quamvis potius negaverint Paenitentiam esse Sacramentum.

411. Vidimus Christum dedisse potestatem absolvendi apostolis eorumque successoribus. Sed quaeritur, qui sint hac in re successores apostolorum. Quaedam enim data sunt apostolis ut apostolis, quaedam ut episcopis, quaedam ut sacerdotibus, quaedam ut repraesentantibus totius ecclesiae. Absolvendi potestatem non esse datam omnibus fidelibus facile patet, quia in nullo regno omnes indiscriminatim constituuntur iudices. Item non esse datam solis apostolis ut talibus iam diximus (Prop. I). Ergo quaestio sola manet, quibus ex prae-

positis ecclesiae haec potestas conveniat. Sed cum Christus ipse non instituerit nisi ordines episcopatus, presbyteratus, diaconatus (id quod postea probabimus), de his solis potest quaestio esse, et hoc omnes concedunt. Quod autem non solis episcopis debuit haec potestas dari, a priori suadet propter magnam et frequentem necessitatem huius Sacramenti. Diaconis autem non data est potestas, quia non sunt pastores ecclesiae.

Attamen cum hae sint potius coniecturae a priori factae, ex doctrina et praxi ecclesiae videndum est, qui in munere absolvendi successores apostolorum habiti sint.

412. *Arg. 1. Ex doctrina SS. Patrum.*

Secundum SS. Patres sacerdotes iique soli habent potestatem hoc Sacramentum administrandi. Ita docet *S. Cyprianus* (supra n. 19, 212), *S. Io. Chrysostomus* (n. 23, 66), *S. Leo M.* (n. 25, 187), *Origenes* (n. 187), *S. Hieronymus* (n. 187), *Sozomenus* (n. 215), *S. Gregor. M.* (n. 234), *Tertull.* (n. 362).

Ex his textibus etiam patet non solis episcopis sed etiam presbyteris hanc potestatem competere; quidam enim Patres hoc aperte supponunt, quidam diserte dicunt, ut e. g. *S. Hieronymus* (In Matth. 16, 19; *M* 26, 118): „Illum locum episcopi et presbyteri non intellegentes, aliquid sibi de Pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes vel solvere se noxios arbitrentur.“ Diaconos vero eadem potestate pollere SS. Patres numquam dicunt; immo quia semper solos sacerdotes nominant, diaconos excludunt (cf. n. 265). Ita *S. Ambrosius* dicit: „Ius hoc [solvendi et ligandi] solis permissum sacerdotibus est“ (De Paenit. l. 1, c. 2, n. 7; *M* 16, 468).

Hoc unum est notandum SS. Patres saepe episcopos vocare simpliciter sacerdotes, saepe vero etiam distinctionem facere inter episcopos et sacerdotes. Nisi igitur ex contextu patet eos loqui de solis episcopis, quando nominant sacerdotes, censendi sunt loqui de utrisque. Contra vero numquam vocant diaconos sacerdotes, sed potius eos sacerdotibus opponunt. Solus *S. Optatus* semel vocat diaconos sacerdotes tertii ordinis (De schismate Donat. l. 1, n. 13; *M* 11, 910).

413. *Arg. 2. Ex doctrina theologorum.*

Theologi cum *Magistro* (4, d. 17, 18) et *S. Thoma* (Suppl. q. 8, a. 2, et q. 11, a. 3) unanimiter nostram doctrinam proponunt. „Dicendum est sacerdotem esse ministrum simpliciter necessarium, ita ut in nulla necessitate neque ex ulla dispensatione alius sufficere possit. Est conclusio communis theologorum et de fide“ (Suarez, Disp. 24, sect. 1, n. 3). Cf. *De Lugo*, Disp. 18, sect. 1, n. 2.

414. *Arg. 3. Ex definitionibus ecclesiae.*

Hanc doctrinam proponit *Martinus V.* in art. 20 Bullae „Inter cunctos“ (Denzinger l. c. 564), *Eugenius IV.* (Denzinger l. c. 594), *Leo X.* in Bulla „Exurge, Domine“ (Denzinger l. c. 637), *Conc. Trid.* (sess. 14, c. 6): „Declarat S. Synodus falsas esse et a veritate evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter episcopos aut sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt“ (Denzinger l. c. 781). Idem in can. 10 (Denzinger l. c. 798). — Tandem confirmatur haec doctrina ex universali et constanti praxi ecclesiae.

415. *Schol. De confessione laicis vel diaconis facta.*

Temporibus medii aevi solebant fideles in casu necessitatis, si sacerdos non aderat, interdum non-sacerdotibus confiteri, ut hoc humilitatis exercitio eo facilius remissionem peccatorum consequerentur. Haec igitur erat confessio mere ascetica, non sacramentalis. Ita iam docet auctor operis „De vera et falsa paenitentia“ (c. 10, n. 25; *M* 40, 1122; inter opera *Augustini*): „Tanta itaque vis confessionis est, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo. Saepe enim contingit, quod paenitens non potest verecundari coram sacerdote, quem desideranti nec tempus nec locus affert; et si ille, cui confitebitur, potestatem non habet solvendi, fit tamen dignus venia sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio“ (l. c.). *S. Thomas* ait: „Nihilominus confessio laico ex defectu sacerdotis facta sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum, quia deest id, quod est ex parte sacerdotis [i. e. absolutio]“ (Suppl. q. 8, a. 2 ad 1). *Scotus* dicit talem confessionem non esse consulendam, quia per eam homo sine causa se infamet (In 4, d. 14, q. 4); sed hoc est nimium, quia interdum talis confessio fieri potest ex optima causa (*Suarez*, Disp. 24, sect. 1, n. 12).

416. Iam vero ubi haec consuetudo confitendi non-sacerdotibus vigeat, valde naturale erat fideles deficiente sacerdote diacono, si aderat, potius quam laicis confiteri voluisse peccata sua. Ex hac re factum esse videtur, ut diaconi quidam potestatem sibi assererent audiendi confessiones; unde plura Concilia provincialia strictissime hoc iis interdixerunt, excepto casu extremae necessitatis, quando scl. confessio etiam laicis fieri solebat. Ita Synodus Pictaviensis (a. 1280) statuit: „Abusum erroneum, qui in nostra dioecesi ex perniciose ignorantia inolevit, eradicari volentes inhibemus, ne diaconi confessiones audiant, et ne in foro paenitentiali absolvant, cum certum et indubitatum sit ipsos absolvere non posse, cum claves non habeant, quae in solo sacerdotali ordine conferuntur“ (*Mansi* 24, 383 sq.). Si vero pro casu necessitatis diaconis dabatur licentia audiendi confessiones,

saepe tamen diserte monebatur eos non habere potestatem clavium, ut in Statuto synodali Odonis de Soliaco, episcopi Paris. (n. 56): „Item prohibetur districte, ne diaconi ullo modo audiant confessiones nisi in arctissima necessitate; claves enim non habent, nec possunt absolvere“ (M 212, 68). Multa alia ad hanc rem pertinentia congressit *Benedictus XIV.* (De Syn. l. 7, c. 16, n. 4 sqq.). Cf. *Palmieri* (De Paenit. p. 166 sqq.), *Schmitz* (Bussbücher p. 88. 472).

Diaconis autem munus reconciliandi in foro externo fideles cum ecclesia in casibus necessitatis potuisse concedi et concessum esse certum est. De qua re sermo est, quotiescumque datur diaconis facultas paenitentiam imponendi.

Prop. XXX. Praeter potestatem ordinis requiritur potestas iurisdictionis, ut sacerdos valide absolvere possit.

417. *Nota.* Sacerdotium confertur per Sacramentum.

Quod Sacramentum cum vocetur Ordo, ideo potestas hoc Sacramento collata dicitur *potestas Ordinis*; quae definiiri potest: „potestas conficiendi corpus Christi eucharisticum et sanctificandi corpus Christi mysticum per media gratiae.“ Obiectum huius potestatis imprimis est administratio Sacramentorum, quatenus solus sacerdos valide potest nomine Christi ponere signa efficacia gratiae. Forma vero interna huius potestatis est character sacerdotalis.

418. Praeter hanc potestatem existit altera in ecclesia, quae vocatur *potestas iurisdictionis*. Est haec „potestas regendi fideles subditos in iis, quae pertinent ad finem supernaturalem“; et secundum totum ambitum suum dividitur in potestatem legislativam, iudicalem, coactivam. Aut est fori externi, in quantum directe et primario publicam ecclesiae utilitatem respicit; aut fori interni, in quantum directe et primario refertur ad privatam uniuscuiusque fidelis utilitatem. Quia potestas iudicialis est species huius potestatis, ubicumque iudicium ecclesiastico fit, sive in foro externo sive in foro interno, iurdictio necessario requiritur. In iudicio fori externi agitur de actionibus fidelium, prout hae actiones referuntur ad visibilem ecclesiae societatem; in iudicio fori interni agitur de actionibus, prout spectant invisibilem fidelium ad Deum relationem.

419. *Distinguuntur potestas ordinis et potestas iurisdictionis* eo, quod illa confertur interna consecratione, haec vero externo actu voluntatis seu iniunctione superioris ecclesiastici; quod illa spectat eo, ut faciat validum actum ab ea procedentem, haec vero, ut faciat actum legitimum; illa, in quantum circa personam versatur, pro termino actionis suae supponit subiectum idoneum tantum ad recipiendum effectum, haec vero supponit subiectum sibi ut superiori subditum.

Sic autem hae potestates distinctae sunt, ut etiam *inter se separatae existere possint*. Ita potest aliquis habere iurisdictionem episcopalem, licet nondum sit sacerdos; contra potest aliquis habere consecrationem episcopalem, qui nullam habeat iurisdictionem.

Porro ad quosdam actus valide ponendos vel potestas ordinis vel potestas iurisdictionis per se sola sufficit. Valide consecrat quilibet sacerdos, etiamsi iurisdictione caret; episcopus, qui nondum est sacerdos, valide dat aliis sacerdotibus iurisdictionem. Quidam autem actus sunt, ad quos valide ponendos utraque potestas simul necessaria est, et hi sunt omnes ii actus, qui ex una parte sunt administratio alienius Sacramenti, quod supponit characterem sacerdotalem, ex altera vero parte versantur circa fideles ut subditos.

420. Talis actus est imprimis absolutio sacramentalis; nam *absolutio est actus et iudicialis et sacramentalis*. Ut est actus sacramentalis, fieri nequit nisi a ministro a Christo instituto, qui est sacerdos; ut actus iudicialis exerceri nequit nisi in subditos. Quantum igitur ad hoc, thesis non indiget speciali probatione, sed ex iis, quae iam dicta sunt, satis constat. Unice inquirendum est, utrum iam sola consecratione sacerdos etiam simul accipiat iurisdictionem requisitam ad administrandum hoc Sacramentum, an alio modo eam accipiat. Dicimus *praeter* potestatem consecratione collatam requiri insuper iurisdictionem alio modo acceptam.

421. *Iurdictio autem est ordinaria*, si habetur vi muneris, cui annexa est cura animarum. *Delegata* est, quae habetur non vi muneris, sed ex commissione superioris ecclesiastici. Ad valide absolvendum requiritur, ut sacerdos sive ordinariam sive delegatam iurisdictionem habeat.

Cum Christus potuerit ita hanc rem instituere, ut cuilibet sacerdoti simul cum characterem sacerdotalem daret potestatem iudicalem, saltem pro foro interno, ex Traditione videndum est, num hoc revera factum sit; nam ex sola S. Scriptura nihil aliud efficitur nisi ministros Sacramenti Paenitentiae debere esse iudices; quomodo vero quis iudex fiat, non dicitur.

422. *Argumentum et explicatio thesis.*

1. Certum est ex monumentis ecclesiasticis non a quolibet sacerdote posse absolutionem valide dari, sed ab eo tantum, qui ad hoc munus est specialiter constitutus. Ergo praeter ordinem sacerdotalem requiritur specialis deputatio a superioribus facta, quae vocatur iurdictio.

Prob. ant. Declarat Conc. Lateran. IV. c. 21: „Si quis alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non

possit absolvere vel ligare" (*Denzinger* l. c. 363). — *Conc. Trid.* (sess. 14, c. 7): „Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem" (*Denzinger* l. c. 782).

423. 2. Evidens igitur est ipsa ordinatione sacerdotem non accipere iurisdictionem. Nam potestas, quae ordinatione datur, cum immediate a Deo detur, nullo modo pendet quoad valorem actus ab ecclesia. Ergo ecclesia, sicut efficere nequit, ut consecratio a sacerdote secundum ritum a Christo institutum facta, aut ut ordinatio vel confirmatio ab episcopo rite collata invalida sit, ita nullo modo efficere posset, ut absolutio a quolibet sacerdote data esset invalida, si sacerdos ipsa ordinatione acciperet iurisdictionem. In hoc enim casu potestas iurisdictionis esset elementum characteris sacramentalis, quem ecclesia auferre aut limitare non potest. Posset igitur ecclesia in hoc casu ad summum efficere, ut usus potestatis esset illicitus. Atqui Concilia docent absolutionem datam a sacerdote, qui careat iurisdictione, esse invalidam (*Suarez*, Disp. 16, sect. 3, n. 15 sqq.).

424. 3. Ergo admitti nequit sententia quorundam veterum theologorum iurisdictionem dari ipsa ordinatione, usum vero eius ligari prohibitione ecclesiae, quam sententiam saltem ut probabilem defendunt *Durandus* (In 4, d. 19, q. 2), *Almainus*, *Armacanus*. Omnes autem alii hanc sententiam reiecerunt. Exemplo sit *S. Thomas*: „Ad absolutionem a peccato requiritur duplex potestas: potestas ordinis et potestas iurisdictionis. Prima quidem aequaliter est in omnibus sacerdotibus, non autem secunda" (Suppl. q. 20, a. 1 ad 1. Cf. q. 8, a. 4; 2, 2, q. 39, a. 3, et Quodl. 12, q. 19, a. 30). — Multos alios doctores citat *Suarez* (Disp. 16, sect. 3, n. 7, et Disp. 34, sect. 2, n. 5). Cf. *De Lugo* (Disp. 15, sect. 2, n. 1).

425. Potest autem haec communis theologorum sententia ratione practica ita probari: Si in ipsa ordinatione datur aliqua iurdictio, haec est aut ordinaria aut delegata. Atqui non est ordinaria, quia ipsa ordinatione nemo accipit aliquam dioecesim vel parochiam, quam regat. Neque est delegata, quia neque episcopus consecrans neque summus pontifex habent hanc intentionem, sed alio modo dant iurisdictionem, ut notum est. Neque Christus ipse dat tunc iurisdictionem; secus enim haec iurdictio non posset a praelatis ecclesiae auferri. Unicus casus, in quo omnes sacerdotes indifferenter absolvere possunt, est articulus mortis, ut docet *Conc. Trid.* sess. 14, c. 7 (*Denzinger* l. c. 782), non quia tunc iurisdictione non indigent, sed quia pro hoc casu

ecclesia omnibus iurisdictionem dat. „Quia ecclesia acceptat, ut quilibet sacerdos absolvere possit in articulo mortis, ideo ex hoc ipso quis iurisdictionis habet usum, quamvis [alias] iurisdictione careat" (*S. Thom.*, In 4, d. 20, q. 1, sol. 2 ad 1). Hoc autem valet, sive adest alius sacerdos approbatus, sive non adest, quia Tridentinum nullam restrictionem facit. Immo valet etiam de sacerdote haeretico vel schismatico, sed in solo casu necessitatis licet cum talibus communionem in sacris habere (cf. *Ballerini*, Opus mor. t. 5, n. 593 sqq.).

426. 4. Potest quis quaerere, cur in ordinatione dicatur: „Accipe Spiritum Sanctum, quorum peccata remisit. . . ." Dicendum est his verbis significari potestatem ordinis, quatenus referatur ad remissionem peccatorum, seu dari potestatem Sacramentum absolutionis administrandi, si constituatur iudex. Apostoli quidem his verbis integram potestatem acceperunt immediate a Christo Domino; ecclesia vero nequaquam haec verba profert cum intentione dandi per ea iurisdictionem. Immo valde dubium est, utrum haec verba omnino pertineant ad formam Sacramenti Ordinis, an potius sint caerimonia tantum declarativa.

Quare doctrina *Synodi Pistoriensis* docentis (Art. 37) ad absolvendum sufficere potestatem ordinatione acceptam, damnata est a *Pio VI.*: „Doctrina Synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat post institutionem dioecesum et parochiarum conveniens [ergo non necessarium] esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas . . . sic intellecta, tamquam ad validum usum huius potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa iurdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam: falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et iniuriosa, erronea" (*Denzinger* l. c. 1400). Ergo non solum conveniens est, ut ad potestatem ordinatione acceptam accedat iurdictio, sed plane necessarium. Consequenter valor Sacramenti Paenitentiae pendet ab aliqua concessione vel prohibitione ecclesiae, id quod est peculiare huic Sacramento, non quia ecclesia habet potestatem in substantiam huius Sacramenti, sed quia efficere potest, ut homo non habeat ea, quae ex Christi institutione necessaria sunt in ministro huius Sacramenti. Christus enim vult, ut in ministro sit aliqua potestas, quae nisi per iniunctionem ecclesiae haberi non potest.

427. 5. Omnis autem potestas iurisdictionis in ecclesia ultimo loco descendit a summo pontifice, a quo eam accipiunt, qui aliis possunt iurisdictionem dare, i. e. episcopi et praelati religiosi; summus vero pontifex suam potestatem accipit a Christo Domino (cf. *Conc. Vatic.* sess. 3, c. 3). Cum igitur summus pontifex sit supremum caput visibile ecclesiae, ipsi omnes fideles subditi sunt; ipse vero singulis fide-

bus suos pastores et rectores assignare potest. *Nihil igitur aliud est concessio iurisdictionis nisi assignatio subditorum*, et quidem in nostro casu pro foro interno. Quia autem ii, qui absolvuntur, aliquo vero sensu dici possunt materia, circa quam versatur actus iudicialis, *iurisdicio etiam dici potest et a quibusdam dicitur materiae applicatio*. Qui ita loquuntur, plerumque etiam dicunt ordinatione accipi iurisdictionem ligatam, quippe quae non possit in actum transire propter defectum materiae (cf. *Suarez*, Disp. 16, sect. 3, n. 25). Hoc sensu etiam intellegi potest, quod quidam veteres dicunt: sacerdotes sine iurisdictione habere claves ligatas. Ita S. Bonaventura: „Iurisdicio est tamquam vis motiva ipsius clavis sive manus; hac autem deficiente, quae clavem moveat, etsi adsit clavis, numquam aperiet; et si amittitur haec iurisdicio, cessat clavis exsecutio. . . . Et ideo dico, quod, etsi clavis quantum ad esse ordinem consequatur, tamen quantum ad executionem sequitur statum et iurisdictionem“ (In 4, d. 19, a. 2, q. 2. Cf. *S. Thom.*, In 4, d. 18, q. 1, a. 1, sol. 2 ad 2). Hic modus dicendi secundum rem verus est; attamen quia character sacerdotalis improprie tantum vocari potest iurisdicio, maioris perspicuitatis gratia melius dicendum videtur in ipsa ordinatione non dari ullam iurisdictionem, sed solam potestatem ordinis. Sic enim et Concilia et plerique theologi loqui solent.

428. 6. Ex his igitur apparet *utramque potestatem active concurrere ad absolutionem peccatorum*. Nam a peccatis absolvere imprimis est nomine Christi seu Dei renuntiare iuri odio habendi et puniendi peccatorem. Et hoc fit per actum iudiciale. Quia autem in hoc ordine salutis cum remissione peccati coniuncta est infusio gratiae, ideo sententia iudicialis simul est signum sacramentale, quod, ut valeat, supponit in ministro potestatem ordinis. Ergo, qui non habet iurisdictionem, non potest Sacramentum administrare, quia forma Sacramenti est sententia iudicialis; qui vero non habet ordinem, non potest iudiciale sententiam absolutionis ferre, quia non potest valide ponere signum efficax gratiae, sine qua absolutio peccatorum est impossibilis. Ergo iurisdicio in hoc Sacramento non ut in aliis Sacramentis administrandis est solum condicio extrinsecus efficiens, ut actus sit licitus, sed elementum intrinsecus constituens ipsum actum, ut sit validus. Evahitur autem potestas iurisdictionis quodammodo ad potestatem ordinis, quatenus actus iudicialis simul est signum sacramentale.

429. 7. Propter hunc intimum nexum hic actus sicut omnis actio sacramentalis exclusive nomine Christi exercetur; unde et sacerdos dicit: „Ego auctoritate ipsius [Christi] te absolvo.“ Quia igitur non nomine alicuius hominis hoc iudicium fit, sed nomine Christi, omne iudicium sacramentale est supremum neque appellationem ad superio-

rem iudicem admittit; unicus enim iudex superior est Christus, ad quem recursus relate ad administrationem Sacramentorum non patet. Unde fit, ut romanus pontifex confessario se subicere possit. Conferendo enim ei iurisdictionem efficit, ut ille vices Christi gerat, cui etiam pontifex subditus est. Praeterea ut pontifex dat iurisdictionem, ut homo privatus confitetur, paenitentiam accipit, absolvitur.

430. 8. Tandem notandum est *potestatem absolvendi vocari potestatem clavium* (Matth. 16, 19), quia per eam aperitur porta regni caelorum (cf. e. g. *Conc. Trid.* sess 14, c. 6). Theologi autem solent distinguere, sicut quoad iurisdictionem in communi, ita in specie quoque quoad iurisdictionem sacramentalem, clavem scientiae, qua confessarius potestatem habet auctoritative inquirendi et cognoscendi statum conscientiae paenitentis, et clavem potentiae, qua confessarius absolvit a peccatis; quae tamen duae claves in re sunt una integra et perfecta potestas (*S. Thom.*, In 4, d. 18, q. 1, sol. 3; *Suarez* Disp. 16, sect. 4, n. 6).

431. *Schol. 1.* Num quivis sacerdos possit absolvere a peccatis venialibus.

Veteres theologi hanc quaestionem communiter affirmabant, sed alia aliter responsum explicabant. *Quidam dicebant ad absolvendum a venialibus nullam requiri iurisdictionem*, sed sufficere potestatem ordinis. Ita sensisse videtur S. Thomas: „In foro conscientiae aliquis non potest absolvere . . . de mortali nisi ex commissione sibi facta; de venialibus autem potest, quia venialia ex quibuslibet Sacramentis gratiam conferentibus remittuntur; unde remissio venialium sequitur potestatem ordinis“ (In 4, d. 18, q. 2, a. 3, sol. 1 ad 3). Idem clarius docet Scotus: „Possunt omnes sacerdotes a venialibus absolvere, quia ad id nulla opus habent iurisdictione; iurisdicio enim nulla est, ubi nulla invenitur cogendi vis“ (In 4, d. 18, q. 4, a. 2, sol. 3). Sed haec sententia non est admittenda. Quamvis enim paenitentia liberum sit, utrum velit confiteri peccata venialia necne, si tamen Sacramentum Paenitentiae recipere vult, eo modo recipere debet, quo Christus instituit, i. e. per modum iudicii; ad iudicium autem semper requiritur minister habens iurisdictionem. Ideo etiam Concilia sine ulla limitatione vel distinctione dixerunt ad hoc Sacramentum valide administrandum iurisdictione opus esse.

432. *Alii autem theologi dixerunt quoslibet sacerdotes habere iurisdictionem, qua absolvere possint a venialibus, et id quidem ex ecclesiae concessione per consuetudinem manifestata*. Quod potuit olim verum esse; nam ex consuetudine posse constare de iurisdictione non est cur negetur, quia consuetudo continet tacitum vel legalem consensum superiorum, i. e. in nostro casu summi pontificis (cf. *Suarez*, Disp. 26,

sect. 5, n. 2. 10; *De Lugo*, Disp. 18, sect. 3, n. 41. 44). Eodem modo doctores argumentantur quoad peccata mortalia priore confessione iam deleta.

Attamen talis usus, quamvis aliquando exstiterit, *hodie in desuetudinem abiit*. Ergo, quia illa ratio non iam valet, nullo modo nostra aetate simplices sacerdotes utpote iurisdictione carentes a venialibus absolvere posse videntur. Praeterea Innocentius XI. d. 12. Februar. 1679 decreto „Cum ad aures“ hoc districte inhibuit: „Non permittant [episcopi], ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut ordinario. Si confessarii, etiam regulares aut quicumque alii sacerdotes, secus egerint, sciant Deo O. M. rationem reddituros esse, neque defuturam episcoporum et ordinariorum iustam et rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam regulares, etiam Societatis Iesu, facultate ipsis episcopis et ordinariis per hoc decretum per sedem apostolicam specialiter attributa.“ (Integrum decretum invenitur in „Bibliotheca“ *Lucii Ferraris* s. v. Eucharistia n. 21. Cf. *Denzinger* l. c. 1086). Consensus igitur summi pontificis retractatus et consequenter iurisdictio omnis in hac materia sacerdotibus simplicibus sublata est. Censent tamen alii vi illius interdicti illicitam quidem sed non invalidam esse absolutionem a venialibus datam a sacerdote non approbato (cf. *Ballerini*, Opus. mor. c. 5, n. 555).

433. *Alius modus confessionis venialium est*, de quo loquitur S. Thomas in Suppl. q. 8, a. 3: „Per peccatum veniale homo nec a Deo nec a Sacramenti ecclesiae separatur. Et ideo non indiget novae gratiae collatione ad eius dimissionem neque indiget reconciliari ecclesiae. Et propter hoc non oportet, quod venialia aliquis sacerdoti confiteatur. Et quia ipsa confessio laico facta sacramentale quoddam est, quamvis non sit Sacramentum perfectum, et ex caritate procedens, talibus natum est veniale remitti sicut per tusionem pectoris et per aspersionem aquae benedictae.“ Hic non est sermo de confessione sacramentali, sed de confessione ascetica, qualis etiam nunc in usu est apud religiosos.

434. Schol. 2. De approbatione.

Conc. Trid. decrevit (sess. 23, c. 15 de reform.): „Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decrevit tamen sancta Synodus nullum, etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.“

Approbatio est testimonium auctoritativum hunc sacerdotem esse idoneum ad confessiones audiendas. Non igitur est theoreticum iudi-

cium neque, ut sit validum, respondere debet veritati; sed est auctoritativa declaratio publici magistratus in ecclesia, quae quoad valorem tenet, etsi id, quod testificatur, sit falsum. E contra notorietas idoneitatis per gradum doctoratus vel per dignitatem episcopalem vel alio modo non sufficit, sed omnino requiritur approbatio episcopi.

435. *Quia soli episcopi possunt hanc approbationem dare*, et quidem pro suo dioecesi tantum, cum ibi tantum sint magistratus, ius, quod olim habuerunt parochi delegandi iurisdictionem quoad suos parochianos, inutile evasit, licet non sit abrogatum (cf. *Suarez*, Disp. 26, sect. 1, n. 3), quia episcopi simul cum approbatione solent dare iurisdictionem. Confessarii regulares, cum iurisdictionem a summo pontifice per superiores suos accipiant, pro singulis dioecesibus indigent approbatione tantum ordinarii. Nihilominus possunt etiam ab episcopis iurisdictionem accipere. Ad audiendas confessiones regularium nulla opus est approbatione sed facultate tantum a superioribus facta. Unde fit, ut religiosus, qui habet facultatem sibi eligendi confessarium, possit eligere non approbatum (*Suarez*, Disp. 28, sect. 4, n. 5).

436. *Approbatio petenda est ab episcopo eius loci, in quo confessiones audiuntur*, ut constat ex bullis variorum pontificum (*Lehmkuhl* t. II, n. 379), et potest illimitate vel limitate dari et revocari simili modo atque ipsa iurisdictio, de qua re statim. Particularia vero, quae magis praxim quam principia spectant, alibi traduntur. Hoc unum hic notari sufficiat: „proprium sacerdotem“, apud quem semel in anno facienda est confessio, secundum hodiernam praxim intellegi omnem sacerdotem approbatum.

Prop. XXXI. Iurisdictio et approbatio variis modis limitari possunt.

437. 1. Iurisdictio, cum sit potestas regendi certos homines quoad certos actus, habet obiectum materiale, quod sit vario modo divisibile; cumque conferatur non lege aliqua invariabili sed libero actu hominis, sequitur, ut secundum varios respectus dividi seu limitari possit.

Inprimis *limitari potest quoad homines*, ita ut aliquis e. g. iurisdictionem quidem accipiat in tota dioecesi, certis tamen hominibus exceptis, quamvis in hoc casu practice et directe potius habeatur limitatio approbationis. Hoc modo moniales claustrales debent confiteri apud confessarios pro ipsis specialiter approbatos, et plerumque etiam aliae moniales non claustrales a communi approbatione per episcopos eximuntur.

438. 2. *Iurisdictio et approbatio limitari possunt quoad locum*, ut aliquis e. g. in una tantum parochia confessiones audire possit. Ita

parochi per se pro sua tantum parochia iurisdictionem habent, ut respondit S. Congreg. Conc. Trid. ad quaestionem, num parochi censionibus dumtaxat in ea civitate vel oppido, ubi sita sit parochialis, non autem passim per totam dioecesim¹ (S. Alphons. l. 6, n. 544, dub. 2). Ex consuetudine tamen hodie parochi et eorum coadiutores titulares ubique fere confessiones audire possunt in tota dioecesi; item ex consuetudine saepe in confiniis dioecesium sacerdotes approbati in una dioecesi vocantur ad audiendas confessiones in alia dioecesi. Similiter vagorum et peregrinorum confessiones excipi possunt a confessoribus in dioecesi approbatis. Quoad vagos iurisdictione derivanda videtur ex consensu summi pontificis, quia vagi alium superiorem ecclesiasticum non habent. Quoad peregrinos supponitur legalis consensus episcopi eorum, qui rationabiliter repugnare nequit, quominus subditi sui in aliis dioecesibus peregre existentes ibidem tractentur quoad confessionem sicut alii dioecesani, nisi forte speciales rationes adsint aliter agendi. Cum enim fideles putent se ubique Sacramenta recipere posse, non parvae perturbationes et scandala orirentur, si episcopus sine causa contradiceret. Pro navigantibus iurisdictionem dat episcopus portus, unde navis solvit.

Peregrinos absolvi ex iurisdictione accepta vel ab episcopo, cuius subditi sunt, vel a summo pontifice, patet per se ex conceptu iurisdictionis, et praeterea constat ex declarationibus auctoritatis ecclesiasticae (cf. *Ballerini*, Opus mor. t. 5, n. 613 sqq. et append.).

439. 3. *Iurisdictione et approbatio limitari possunt quoad tempus*, ut elapso tempore exspiret; et, si indefinite concessa est, postea revocari potest. Attamen ius approbatus denuo vocandi ad examen variis decretis summorum pontificum et Congregationis Concil. exactius determinatum est (cf. *Benedict. XIV.*, De Syn. l. 13, c. 9, n. 2) et Const. *Clement. X.* „Superna“).

440. 4. *Iurisdictione limitari potest quoad certa peccata*. Haec limitatio vocatur *reservatio casuum*, quia sibi superior reservat absolutionem a certis peccatis. Posse fieri reservationem casuum negarunt haeretici saeculi XVI., ut *Lutherus* in sermone De Sacramento Paenitentiae (a. 1519) n. 9¹.

Contra hunc errorem definivit Conc. Trid. (sess. 14, c. 7): „Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina

¹ „Folget mer, das in dem sakrament der pusz und vorgebung der schult nichts mer thut ein Babst, bischoff, dann der geringste priester . . . das sie aber yn [sich] furbehalten etlich casus czu absolviren, macht nit ihr sacrament grosser oder besser, sondern ist gleich, als wenn sy jemand die mess, die tauff oder dergleichen, aus ursach furbehalten, damit der tauff und mesz widder czu noch abgeht.“

non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolventur; unde merito pontifices maximi pro suprema potestate sibi in ecclesia universali tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura anexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere² (*Denzinger* l. c. 782. Cf. can. 11; *Denzinger* l. c. 799).

Ceterum Conc. Trid. non introduxit sed confirmavit tantum hunc usum reservandi peccata, ut patet. Iam apud veteres Scholasticos reservatio casuum tamquam res nota supponitur, ut e. g. apud *S. Thomam* (In 4, d. 17, q. 3, a. 4, sol. 2 ad 4). Etiam apud *Gratianum* varia huius rei exempla habentur (ut P. 2, causa 26, q. 6, c. 14 et causa 33, q. 2. c. 15). Sed in his sicut etiam in iis, quae ex SS. Patribus citantur, dubium est, utrum sermo sit de publica reconciliatione episcopo reservata an etiam de sacramentali absolutione.

441. *Ratio, qua a priori haec potestas probatur*, est, quod, cum superiores ecclesiastici potestatem absolvendi conferant, eam possunt limitare, ut, qui certa peccata commiserit, vel ad ipsos vel ad alios determinatos ministros ab ipsis constitutos recurrere debeat. Congruum hoc esse potest, quia rationabilis finis est, ut ita fideles a gravioribus criminibus arceantur, et ut efficacior correptio criminibus adhibeatur. Nihil igitur aliud est reservare peccata nisi quaedam crimina ad suum tribunal revocare. Quare nemo reservare potest peccata nisi suorum subditorum, i. e. summus pontifex reservare potest peccata omnium fidelium, episcopus suorum dioecesanorum, exceptis iis peccatis, quae iam a summo pontifice reservata sunt (*Suarez*, Disp. 31, sect. 4, n. 26), item alii, qui habent iurisdictionem quasi episcopalem suorum subditorum; per se etiam parochi suorum parochianorum; at hodie hoc inutile est, quia non iam delegant iurisdictionem; quibus autem iurisdictionem non dant, ipsis non possunt limitare.

Cum reservatio spectet ipsam culpam, i. e. efficiat, ut peccata pro absolutione ad certa tribunalia deferri debeant, ea peccata proprie reservari nequeunt, quibus homo sine recursu ad iudicium ecclesiasticum liberari potest. Ergo *sola peccata mortalia sunt obiectum reservationis*; immo ex usu ecclesiae nullum peccatum reservatur, nisi quod etiam *externe grave* est. Peccatum autem veniale eatenus tantum reservari potest, quatenus ei denegatur sacramentalis absolutio, nisi ad talem iudicem recurratur. Sed hoc fieri non solet, quia est inutile (*Suarez*, Disp. 29, sect. 3). Idem dicendum est de omnibus aliis

peccatis, quorum accusatio lege divina non est praescripta, ut de peccatis iam confessione deletis, de peccatis dubiis etc.

Possunt autem peccata reservari tum in poenam, ut scl. frangatur contumacia peccatoris, tum in medicinam, ut scl. malo peccati efficacius remedium adhibeatur. Secundum multos theologos *reservatio poenalis* non incurritur ab ignorante, quia ignorantia non est contumacia; reservatio autem *medicinalis* valet etiam pro ignorante, quia etiam ignorans indiget medicina conveniente (*De Lugo*, Disp. 20, sect. 1, n. 9 sq.). Ceterum si reservatio pro poena imponitur, plerumque censuras anexas habet, de quibus hic non est agendum. Communiter docent reservationes episcopales, quibus censura non est anexa, esse medicinales et ideo valere etiam pro ignorantibus, quam doctrinam impugnat *Ballerini* (Opus mor. t. 5, n. 728 sqq. et in append.).

442. *Absolvere possunt a reservatis* illi, qui reservationem imposuerunt, eorum successores, eorum superiores, illi, qui a competenti superiore ad hoc facultatem acceperunt. Ex iure communi possunt episcopi suos subditos absolvere a casibus occultis, summo pontifici simpliciter reservatis (*Concil. Trid.* sess. 24, c. 6 de ref.). Quando paenitens non potest adire summum pontificem pro casibus ei reservatis, si urget necessitas absolutionis, potest directe absolvi a peccatis reservatis et censuris anexis etiam ab eo, qui alias non habet facultatem, sed tunc infra mensem per litteras et mediante confessario recurrendum est ad s. Sedem sub poena reincidentiae, si agitur de censuris. Ita ex responso S. Congr. Inquis. 30. Iun. 1886 dato (cf. Acta s. Sedis vol. 29, p. 46). Peregrini sine speciali facultate absolvi possunt ab omni peccato, quod non est reservatum et in dioecesi paenitentis et in dioecesi confessarii, nisi forte in fraudem reservationis paenitentes in aliam dioecesin migraverint (*Suarez*, Disp. 30, sect. 1, n. 4 sq.; *Ballerini*, Opus mor. t. 5, n. 709 sqq.).

443. *Cessat reservatio* non solum qualibet confessione valida, facta apud eum, qui potest absolvere a peccato reservato, licet fortasse peccatum reservatum oblivione sit omissum, sed etiam qualibet confessione, qua legitimo superiori peccatum reservatum manifestatur, quamvis confessio sit invalida, vel absolutio non detur. Ratio prioris est, quia tunc legitimus confessarius absolvit ab illo peccato; ratio alterius est, quia confessarius in hoc casu legitime iudicavit de crimine et pro eo paenitentiam imposuit (cf. *Suarez*, Disp. 31, sect. 4, n. 6 sq.). Praeterea cessat omnis reservatio in articulo mortis. Non vero cessat reservatio, si quis hic et nunc propter causam urgentem absolvitur a confessario, qui non habet facultatem circa reservata. Sed tunc paenitens non debet illud peccatum reservatum confiteri,

quia confessio proprie dicta, i. e. accusatio in ordine ad absolutionem directe accipiendam, est impossibilis, et manet onus peccatum manifestandi ei, qui ab eo potest directe absolvere. Tenetur tamen illud hic et nunc iam manifestare, in quantum hoc requiritur, ut confessarius sufficientem notitiam status conscientiae eius habeat (*S. Alphons.* l. 6, n. 585. Cf. *Suarez*, Disp. 31, sect. 3, n. 8; *Ballerini*, Opus mor. t. 5, n. 671). Si confessio et absolutio facta est cum ignorantia reservationis existentis, valida est absolutio, sed manet onus comparandi, quando res postea paenitenti fit nota (*Ballerini* l. c. n. 747).

Unica pura reservatio papalis est de falsa accusatione sollicitationis, quae est poenalis et consequenter ignorantem non afficit. Alii omnes casus papales reservati sunt ratione censurarum. Reservationes episcopales variae sunt in variis dioecesibus.

444. Schol. De iurisdictione dubia et probabili.

Hactenus locuti sumus de iis, qui iurisdictionem aut habent aut non habent. Sed accidere potest, ut quis iurisdictionem nec certo habeat nec certo non habeat, sive agitur de iurisdictione in communi sive de iurisdictione quoad certa peccata. Dubium autem de iurisdictione potest esse duplex: aut negativum aut positivum.

1. *Negativum dubium* adest, quando nullum determinatum iudicium ferri potest, ne de probabilitate quidem iurisdictionis. Quia autem iurisdictio datur aliquo facto superioris ecclesiastici, tunc tantum potest dubium mere negativum adesse, quando de ipso facto, quo iurisdictio confertur, non constat; quare multi theologo hoc dubium vocant *dubium facti* et hanc solam iurisdictionem dicunt *iurisdictionem dubiam*.

2. Quando vero de facto constat, i. e. de actu superioris ex se apto ad conferendam iurisdictionem, dubium, quod forte habetur, est *positivum dubium*; nam factum ipsum est positiva ratio et dubium solum propterea manet, quia incertum est, num factum omnino teneat vel adhuc in suo valore subsistat, vel saltem num factum ad hunc vel illum casum extendatur. Haec iurisdictio per oppositionem ad dubium solet etiam vocari *iurisdictio probabilis*. Est autem notandum factum non solum posse esse ab homine, sed etiam a lege et a consuetudine. Itaque iurisdictionem negative dubiam habet e. g. qui, cum esset apud episcopum, voluit rogare, ut iurisdictionem acciperet, sed postea non recordatur, utrum rogaverit necne. Positive dubia seu probabilis est iurisdictio eius, qui accepit iurisdictionem, sed ita, ut dubium sit, utrum e. g. nunc post mortem episcopi exspiraverit necne. Itaque in dubio negativo nullus adest titulus iurisdictionis, in dubio positivo adest titulus, sed fortasse ob defectum, qui detegi non potest, invalidus, qui titulus solet dici *coloratus*.

446. 3. *Iam si quis habet titulum coloratum, et fideles communiter putant hunc sacerdotem habere iurisdictionem*, seu, quod idem est, si paucis tantum defectus potestatis notus est, ipso iure conceditur iurisdic-tio pro singulis confessionibus. Hoc enim principium valere actus eius, qui ex communi opinione magistratum tenet, ex iure romano civili transiit in ius ecclesiasticum et ab omnibus canonistis et theologis ut norma assumitur. Ita Suarez (Disp. 26, sect. 6, n. 7), *De Lugo* (Disp. 19, sect. 1, n. 30), *S. Alphons.* (l. 6, n. 572). Quamvis igitur talis confessarius antecederet ad confessionem iurisdictionem nullam habeat, statim ac inceptum est iudicium sacramentale, iurisdictionem accipit ab ipso iure; et hoc est, quod vocant „*ecclesiam supplere*“. Ratio, cur ecclesia suppleat in hoc casu, est, ne cum magno populi incommodo hoc Sacramentum invalidum fiat, licet omnia ita comparata sint, ut defectus iurisdictionis detegi non possit.

447. 4. Multi theologi idem censendum dicunt, *quando communis tantum error adest sine titulo colorato*, sed multi alii id negant. Ergo quia non adest consensus, ius consuetudinale saltem non est certum. Quidam dicunt ideo in hoc casu ecclesiam non posse dici supplere, quod non exstat hac de re lex ecclesiastica. At non magis exstat pro priore casu, nam illud dictum *Gratiani* in cap. „*Infamis*“ (Causa 3, q. 7, c. 1) non est lex ecclesiastica, sed argumentum pro vigente consuetudine. Bene autem dici potest quosdam veteres doctores, qui docent in casu erroris communis supplere ecclesiam, ut Suarez et De Lugo, intellegere errorem communem „*eam ignorantiam, quae oritur ex sententia probabili doctorum*“ (Suarez l. c.); ergo hi immerito citantur pro sufficientia erroris communis sine titulo, quia secundum eos error communis non est multorum privata ignorantia, sed ignorantia, quae ex titulo oritur. Qui modus loquendi si attendatur, iam omnes, qui ita loquuntur (ut etiam De Lugo), non possunt pro sufficientia solius erroris communis citari, et ita probabilitas huius sententiae multum decrescit.

448. 5. His suppositis facile diiudicari potest, *quando liceat uti iurisdictione dubia vel probabili*.

a) Numquam licet absolutionem attentare propter solum errorem communem, quia Sacramentum exponitur periculo nullitatis.

b) Non licet absolutionem dare, etsi cum errore communi adsit titulus coloratus, si confessarius scit titulum esse coloratum; ut si quis scit se simoniace acquisivisse beneficium parochiale. Quamvis enim absolutio in hoc casu sit valida, ecclesia tamen quodammodo contra suam voluntatem cogitur ad supplendum, cum stricte prohibeat, ne quis procedat ad absolutionem, qui non antea habeat iurisdictionem. At in his duobus casibus non agitur de iurisdictione dubia, sed de iurisdictione antecederet certe nulla.

c) Qui habet iurisdictionem negative dubiam seu titulum negative dubium, non debet absolutionem attentare excepto casu necessitatis, in quo melius est dubiam absolutionem accipere quam nullam; sed tunc condionate absolutio danda est, et paenitens, si postea potest, iterum peccata confiteri debet ei, qui habet iurisdictionem.

d) Qui habet iurisdictionem positive dubiam, i. e. vere probabilem, quia adest titulus solide probabilis, tuto absolvere potest, quia ecclesia certo supplet, neque ulla exceptio statuenda videtur.

Prop. XXXII. Recensentur obligationes ministri Sacramenti Paenitentiae.

449. 1. Ministrum debere observare ea omnia, quae valent de ministro Sacramentorum generatim, per se patet. Solum hoc notandum est indignos, quibus denegandum est Sacramentum, hic intellegi eos, qui non sunt dispositi ad accipiendam absolutionem; nam alia indignitas hic non existit. Indispositi autem numquam absolvendi sunt, quia absolutio numquam publice petitur, et quia absolutio indispositi est fictio Sacramenti. *Qui vero sunt dispositi, habent post confessionem strictum ius ad absolutionem accipiendam*, et denegatio absolutionis sine iusta causa est peccatum mortale. „*Quod omnes theologi docent, quia hoc postulat ratio iusti iudicii et aequitas inter paenitentem et confessorem*“ (Suarez, Disp. 32, sect. 5, n. 2).

Iusta causa differendi absolutionem dispositi est maius bonum paenitentis, sed hoc raro accidit, si contra eius voluntatem absolutio denegatur. Alia causa est reparatio iniuriae vel scandali, quae speratur certius futura, si postulatur ante absolutionem. — Si agitur de peccatis venialibus, non facile denegatio absolutionis est peccatum mortale, quia paenitens non tenetur peccata iterum confiteri et facile potest damnum suum resarcire. — Confessario non licet ideo denegare absolutionem, quia paenitens sequitur opinionem solide probabilem, quae confessario non placet. — Dubie dispositis per se differenda est absolutio, donec melius disponantur; attamen sub condicione absolvi possunt, respective etiam debent in casu gravis necessitatis et maxime in articulo mortis.

450. 2. *Debet confessarius antecederet ad confessiones audiendas parare doctrinam*, quae necessaria est, ut qua bonus iudex et medicus hoc Sacramentum administrare possit. Hic enim non sufficit nosse materiam et formam, ut in aliis Sacramentis, sed multa alia, quae requiruntur ad dignoscenda peccata, ad iudicandum de dispositione paenitentis vel ad eum debite disponendum, ad imponendas convenientes et salutare satisfactiones, ad instruendos paenitentes, ad vitanda peccata et peccatorum occasiones et ad reparandas iniustitias et scandala, ad cognoscendam propriam iurisdictionem, maxime quoad casus

reservatos, ut confessarius sciat saltem suo tempore dubitare et differre resolutionem casuum difficilium. Haec omnia sciri debent ea perfectione, quae sufficit relate ad eos paenitentes, quorum quis confessiones audit.

451. 3. *In ipsa confessione debet confessarius paenitentem rudem instruere* saltem de iis, quae ei hic et nunc necessaria sunt, et de aliis, in quantum fieri potest et bonum spirituale paenitentis requirit. *Debet curare integritatem confessionis* et interrogationibus iuvare paenitentem, si hoc necessarium videtur. Primario quidem paenitentis ipsius est integritatem curare, at secundo, i. e. si aliquid deest ex parte paenitentis, hoc officium etiam ad confessarium devolvi negari nequit. Ita enim docet Concilium Later. IV. c. 21: „Sacerdos autem sit discretus et cautus . . . diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati“ (Denzinger I. c. 363). Ita docent theologi omnes cum Magistro (4, d. 17. 19), ut ait Suarez (Disp. 22, sect. 3, n. 3), et Moralistae (S. Alphons. I. 6, n. 607; Lacroix 1745). — Ratio est, quia iudex, quantum fieri potest, causam perfecte examinare debet, antequam sententiam fert. In hoc autem examine credendum est paenitenti sive pro se sive contra se testanti, nisi evidenter constet eum falsa proferre.

Debet quoque confessarius, si viderit deesse requisitam contritionem, *excitare ad dolorem*, motiva proponendo etc., et prius omnia tentare debet, quam paenitentem indispositum dimittit. Similiter remedia contra relapsam indicare debet.

452. 4. *Post confessionem sacerdos debet resarcire defectus*, quos commisit. Si defectus fuerunt quidem culpabiles, sed nullo modo vertuntur in damnum paenitentis vel tertiae personae, debet confessarius simpliciter paenitentiam agere. Si *defectus vertitur in damnum paenitentis*, quia aut absolutio fuit invalida, aut positive deceptus est paenitens in re pertinente ad salutem animae eius, debet sacerdos defectum corrigere; et hoc quidem etiam cum gravi suo incommodo, si defectus commissus est ex culpa gravi; non cum gravi incommodo, si confessarius non commisit culpam gravem, excepto casu moribundi, cuius saluti omni modo providendum est. Si paenitens solummodo non sufficienter instructus est a confessario circa ea, quae non pertinent ad valorem Sacramenti, confessarius ad nil aliud tenetur quam quilibet alius secundum leges caritatis, nisi forte habeat munus pastoris erga paenitentem.

453. *Si confessarius causavit damnum tertii, debet illud reparare* monendo paenitentem, vel, si aliter fieri nequit, per se ipsum. „Ego vero hanc censeo limitandam esse sententiam, primo, ut ex parte confessoris intercedat gravis culpa, alias non tenebitur [ex iustitia] ad

reparandum. Deinde limito tantum teneri, quando confessor positive consulit vel induxit ad non restituendum, quia tunc revera committit iniustitiam contra alterum, sive id faciat ex malitia, quod est evidens, sive ex gravi negligentia, quia ex iustitia tenetur non ita temere uti suo munere cum detrimento alterius. Ast vero si confessor sit tantum negligens omitendo, quia videlicet non monuit paenitentem, tunc respectu tertii non existimo teneri ex iustitia, quia illud peccatum non fuit contra iustitiam respectu illius, sed contra religionem, sacrum ministerium neglegenter exercendo; ergo non tenetur restituere“ (Suarez, Disp. 32, sect. 6, n. 9).

Ceterum in his omnibus etiam diligenter cavendum est, ne fiat laesio sigilli sacramentalis.

454. 5. *Post confessionem sacerdos est obligatus ad servandum strictum silentium de omnibus, quae in confessione audivit.* Haec obligatio vocatur sigillum confessionis vel sigillum sacramentale.

Obligatio servandi hoc secretum oritur:

a) ex praecepto naturali servandi secretum commissum, et hoc pertinet ad fidelitatem; saepe etiam ex praecepto non laedendi famam proximi, et hoc pertinet ad iustitiam;

b) ex lege divina sancte tractandi Sacramenta, et hoc pertinet ad virtutem religionis;

c) ex lege ecclesiastica iubente strictum silentium (Denzinger I. c. 363), et hoc pertinet ad virtutem oboedientiae.

455. *Obligatio sigilli sacramentalis tanta est, ut in nullo casu et propter nullum finem, ne ob tuendam quidem rempublicam ab ingenti malo temporali vel spirituali, illud violare liceat.* Ita theologi unanimiter (Suarez, Disp. 33, sect. 1, n. 2). Ratio est, quia per laesionem sigilli iniuria fit Sacramento, quod odiosum et nimis difficile redderetur, si unquam confessarius licite uti posset scientia confessione acquisita. Ex altera parte revelatio numquam potest esse utilis. Nam naturali lege omnis homo eximitur ab obligatione se ipsum prodendi. Unde si paenitens praevideret peccatum suum revelatum iri a confessario, eo ipso excusaretur a confitendo hoc peccato, id quod etiam valet, si paenitens rationabiliter timet, ne confessarius peccatum revelet (S. Alphons. I. 6, n. 487). Ergo ex una parte revelatio est nociva Sacramento, ex altera parte numquam potest esse moraliter utilis et consequenter semper est illicita (cf. Wirceburg., De Paenit. n. 310).

Haec obligatio tam arcta oritur maxime ex natura Sacramentali modo a Christo instituti. Sed praeter malitiam sacrilegii in laesione sigilli semper inest malitia iniuriae in proximum propter proditum secretum commissum. Num vero propter praeceptum ecclesiasticum nova malitia inoboedientiae adsit, merito dubitari potest (cf. De Lugo, Disp. 23, sect. 1, n. 5 sq.).

Quia servandi sigilli obligatio provenit maxime ex natura Sacramenti, *oritur ex omni et sola confessione sacramentali*, i. e. ex confessione, quae fit sacerdoti cum intentione peccata subiciendi clavibus. Quorum si quid deest, potest quidem adesse secretum naturale et commissum, non vero sacramentale.

456. *Materia sigilli* sunt imprimis peccata accusata, sed dein etiam ea omnia, quae quatenus confessione cognita manifestari nequeunt, quin id paenitenti ingratum esse et Sacramentum odiosum reddere censendum sit; et hoc verum est, licet per accidens nullum scandalum oriatur. Scientia autem aliunde hausta uti, per se non fit illicitum eo, quod de eadem re confessio facta est. Praeterea tunc tantum est fractio sigilli, si persona paenitentis cum peccato proditur. Nam dicere: „Audivi in confessione tale peccatum“, si per hoc paenitens nullo modo neque directe neque indirecte indicatur, non est contra sigillum, quia sic nulli fit iniuria, neque Sacramentum fit odiosum.

457. Quamquam *haec obligatio proxime afficit confessarium*, extenditur nihilominus ad superiorem, a quo petitur facultas absolvendi a casu reservato, ad interpretem, ad consiliarium, brevi ad omnes, in quorum notitiam sive iuste sive iniuste confessio venit; nam, si iuste fit, natura Sacramenti postulat secretum; si iniuste fit, ille, qui fecit hanc iniuriam, debet eam totaliter reparare, quantum potest, neque vero potest nisi servando secretum, prout sigillum postulat.

458. Quia sigillum est obligatio non loquendi de tali re, *omnis ea locutio exclusae est, quae, si universaliter permissa esset, redderet Sacramentum odiosum*. Ergo ne ad ipsum quidem paenitentem extra confessionem de materia confessionis loqui licet, neque ad alios sacerdotes, qui easdem res a paenitente in confessione audierunt. Sed intra unam confessionem loqui de priore confessione eiusdem paenitentis non est illicitum, quia paenitens semper tenetur in singulis confessionibus integram conscientiam manifestare, in quantum hoc ab eo rationabiliter postulatur, et quia sic res manet semper intra secretum sacramentale. Idem dicendum est, si confessarius post absolutionem, antequam paenitens discedat ex confessionali, ob rationabilem causam ad ipsum loquitur de confessione, quia tunc moraliter perseverat idem iudicium sacramentale, neque hoc paenitentes aegre ferunt.

Si paenitens de re, quam confessus est, extra confessionem ad confessarium loquitur, non ut de re secreta, sed ut de re communicabili, hac scientia confessarius uti potest ut omni alia.

Si paenitens *plane libere et expresse dedit facultatem utendi scientia ex confessione hausta*, eo modo et ea extensione, qua data est facultas, ea uti licet. Ita si licentiam tantum dedit dicendi tertio,

tunc hic tertius de hoc monendus est, et ipse etiam tenetur obligatione sigilli.

Ceterum facile patet non solum directe sed etiam indirecte, non solis verbis sed etiam factis laedi posse sigillum. Immo accidere potest, ut solum silentium confessarii interrogati, num tale quid audiverit vel sciat, sit indicium facti, quod ex confessione novit. Quo in casu sacerdos debet simpliciter negare se tale quid scire vel audivisse etiam in confessione; quia interrogans non potest licite habere intentionem interrogandi de confessione, et ita respondendum est secundum sensum, quem quaestio habet ex debita intentione interrogantis.

459. Immo *omnis extrasacramentalis usus notitiae confessione acceptae, qui, si universaliter licitus esset, confessionem redderet odiosam, plane est interdictus*; et ne ad infamiam quidem et mortem vitandam licitus est. Nam confessarius, sicut non potest directe ad paenitentem loqui de confessione, ita ne indirecte quidem propter confessionem aliquid agendo, quod paenitenti est ingratum. Olim quidem multi et magni doctores putabant licitum esse usum scientiae ex confessione habitae ad externam gubernationem, quando nullum periculum revelationis adest, ut si elector non dat suffragium ei, quem ex confessione scit indignum. Sed quamvis ita sentiat S. Thomas (In 4, d. 9, q. 1, a. 5, sol. 1; d. 21, q. 3, a. 1, sol. 1 ad 3 et 4 et Quodl. 4, q. 7, a. 13) et alii summi doctores, recte tamen dicit Suarez: „Haec sententia difficilis semper mihi visa est“ (Disp. 33, sect. 7, n. 12. Cf. De Lugo, Disp. 23, sect. 5, n. 94), et postea prohibita est haec doctrina ab Innocentio XI. (d. 18. Nov. 1682) et a S. Congreg. Inquis.: „Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine paenitentis, nisi multo maius ex non-usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur. Addita deinde explicatione sive limitatione, quod sit intellegenda de usu scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine paenitentis, seclusa quacumque revelatione atque in casu, quo multo maius gravamen eiusdem paenitentis ex non-usu sequeretur. Hanc dictam propositionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine paenitentis omnino, etiam cum dicta explicatione sive limitatione, praesenti decreto prohibent . . . mandantes etiam universis Sacramenti Paenitentiae ministris, ut ab ea [doctrina] in praxim deducenda prorsus abstineant“ (Denzinger l. c. 1087).

460. Et iam die 26. Maii 1594 Clemens VIII. omnibus superioribus religiosorum iniunxerat: „Caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.“ Potest tamen et debet non raro confessarius monere paenitentem, ut ipse paenitens propter indignitatem a munere

petendo desistat vel extra confessionem declaret ea, ad quae declaranda obligatur. Quodsi paenitens oboedire non vult, propter indispositionem absolvendus non est.

Ad suam ipsius directionem confessarius uti potest scientia ex confessione hausta, in quantum de hac re paenitens non potest rationaliter esse invitus. Ita potest confessarius ex notitia confessionis orare pro paenitente, studere casibus occurrentibus, se dirigere ad alias confessiones audiendas (cf. de tota hac quaestione *Suarez*, Disp. 33; *De Lugo*, Disp. 23; *Wirceburg.*, De Paen. n. 305 sq.; *Ballerini*, Opus mor. n. 899 sqq.).

APPENDIX.

DE INDULGENTIIS.

Prop. XXXIII. Indulgentia est remissio poenae temporalis post deletam culpam Deo solvendae, ab ecclesia extra Sacramentum ex thesauro Christi et Sanctorum auctoritative ex iusta causa concessa.

461. 1. Tractatus de indulgentiis est complementum quoddam Tractatus de Sacramento Paenitentiae. Cum enim Sacramento Paenitentiae removeantur peccata secundum reatum culpae et poenae, ita tamen ut deleta culpa non semper omnis quoque deleta sit poena, Deus ecclesiae suae potestatem dedit, hanc poenam ex peccato manentem delendi. Quamvis autem haec deletio fiat extra Sacramentum, tamen hoc loco merito tractatur, ut sic simul proponantur omnia, quae ad remissionem peccatorum pertinent. Quia vero heterodoxi saepe falsas indulgentiae notiones tamquam catholicas repraesentant, et quia etiam catholici doctores non quoad omnes particulas conceptus indulgentiarum consentiunt, ante omnia exactus indulgentiae conceptus statuendus est. Cum autem terminus hic sit ecclesiasticus, non aliunde quam ex ecclesiasticis documentis eruendus est.

462. 2. *Quid sit indulgentia* secundum acceptionem ecclesiasticam, imprimis discendum est ex Bullis summorum pontificum, quibus indulgentias promulgarunt. Nonnullae Constitutiones habentur inter Extravag. comm. l. 5, t. 9, quarum gravissima est Clementis VI. (a. 1349) „Unigenitus Dei filius.“ Naturam indulgentiarum hoc modo summus pontifex exponit: „Christus in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse, ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis nulla sanitas inveniretur in ipso. Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo, qui usi sunt, Dei amicitiae participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum sed

per beatum Petrum, caeli clavigerum, eiusque successores, suos in terra vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, et propriis et rationabilibus causis, nunc pro totali nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae, tam generaliter quam specialiter, prout cum Deo expedire cognoscerent, vere paenitentibus et confessis misericorditer applicandum. Ad cuius quidem thesauri cumulum Beatae Dei Genetricis omniumque electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur.

463. Eadem docet Leo X. in Decretali „Per praesentes“ ad Card. Caietanum dato, in qua inter alia docet romanum pontificem „posse pro rationabilibus causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui caritate iungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint sive in purgatorio, indulgentias ex superabundantia meritorum Christi et sanctorum tam pro vivis quam pro defunctis, auctoritate apostolica indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Christi dispensare et per modum absolutionis indulgentiam ipsam conferre vel per modum suffragii illam transferre consuevisse“. Alia documenta de indulgentiis habentur in *Decr. Gregor.* l. 5, tit. 38, c. 4. 14. 15, in *Clement.* l. 5, tit. 9, c. 2, in *Concil. Constantiensi* (Denzinger l. c. 570—572), in Bulla *Leonis X.* „Exsurge, Domine“ (Denzinger l. c. 641—646), in *Concil. Trid.* sess. 25 (Denzinger l. c. 862), in damnatione Synodi Pistor. (Denzinger l. c. 1403—1406).

Ex his documentis facile erui potest vera indulgentiae notio.

464. 3. *Indulgentia est remissio poenae temporalis*, non remissio culpae. Illam enim, non hanc Bullae enuntiant, neque ulla Constitutio pontificia ostendi potest, qua reatus culpae per indulgentiam remitti dicatur. Etiam Concilia de remissione tantum poenae per indulgentias acquirenda loquuntur. Immo dogma est catholicum peccatorem baptizatum iustificari non posse nisi Sacramento Paenitentiae aut re aut voto suscepto (supra Prop. XXV), et quod valet de culpa, valet de reatu poenae aeternae. Ergo extra Sacramentum per indulgentiam reatus culpae et poenae aeternae remitti nequit. Neque ulla est dissensio inter theologos de hoc puncto, saltem in quantum agitur de peccato mortali. Cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 17, a. 1; *Suarez*, Disp. 50, sect. 1, n. 2. 3; *Bellarmin.*, De indulg. l. 1, c. 7.

465. *Fuerunt autem quidam veteres theologo, qui putarent peccatum veniale habituale consistere in solo reatu poenae temporalis*, et hi consequenter dixerunt indulgentiis posse remitti peccata venialia. Paludanus censet peccatum veniale consistere quidem in reatu culpae, sed nihilominus putat hanc culpam posse probabiliter per indulgentias deleri. Sed haec sententia plane singularis et eo modo, quo Paludanus eam explicat, nullius utilitatis est. „Potest etiam, ut videtur,

per indulgentiam, in quantum habet rationem cuiusdam absolutionis, remitti veniale quoad culpam, sicut et per confessionem generalem non sacramentalem; sed ad hoc requiritur contritio. . . . Sed aliqua contritio est plena, adiuncta papali absolutione, quae per se non esset, et coniuncta episcopali benedictione, quae per se non sufficeret“ (In 4. d. 21, q. 1, in fine).

Sed cum quaelibet contritio sufficiat ad delendam culpam venialis peccati, et cum sine sufficiente contritione non possit remitti, haec culpa numquam deletur per indulgentiam. Merito igitur communis theologorum sententia hanc doctrinam reicit, ut videre est apud doctores citatos (*Suarez* l. c. n. 11).

466. *Quod autem in Bullis interdum conceditur indulgentia sub modo „remissionis omnium peccatorum“, semper ita intellegendum, ut peccata ibi ponerentur pro poenis peccatorum.* Ideo tales indulgentiae non conceduntur nisi confessis vel saltem corde contritis. Poenas autem peccatorum dici peccata est modus loquendi, qui iam occurrit in Sacra Scriptura, ut 2 Mach. 12, 46; Rom. 7 etc. Ceterum, si indulgentia consideratur, ut supponit confessionem et cum ea constituit unum totum morale, sic dici potest remittere peccata simpliciter, et hoc modo etiam explicari potest illa formula „in remissionem peccatorum“, ut in Bulla Martini V. „Inter cunctas“: „Utrum credat, quod papa omnibus Christianis vere contritis et confessis ex causa pia et iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum“ (Denzinger l. c. 570). Potest etiam per verba „Concedimus indulgentiam in remissionem omnium peccatorum“ significari facultas absolvendi a casibus reservatis, quae cum quibusdam indulgentiis dari solet, sed hoc diiudicandum est ex verbis rescripti. Quodsi interdum occurrit formula: concedi indulgentiam „a culpa et a poena“, ad imprudenciam quorundam quaestorum reducenda videtur (cf. *Bened. XIV.*, De Syn. l. 13, c. 18, n. 7, et *Beringer*, Die Ablässe [ed. 11] p. 12). De hac formula Clemens V. dicit: Cum „aliqui ex ipsis [quaestoribus] eos [fideles] a poena et a culpa, ut eorum verbis utamur, absolvant, nos abusus huiusmodi . . . omnimode aboleri volentes. . .“ (*Clement.* l. 5, t. 9, c. 2. Cf. *Concil. Trid.* sess. 21, c. 9 de reform.)

Per se tamen potest haec formula explicari eodem modo quo illa „remissio peccatorum“, scil. „per huiusmodi indulgentiam concedi, ut, qui eam lucratus fuerit, omnino absolutus maneat a culpa et a poena, non quia indulgentia utramque tollat, sed quia, ut habeat effectum, debet supponere remissam culpam, et ipsa complet totius poenae remissionem“ (*Suarez*, Disp. 50, sect. 1, n. 14).

467. *Aliquid tamen possunt indulgentiae conferre ad remissionem culpae*, si scil. indulgentiae forte concedantur per modum communicationis bonorum operum ad impetrandam remissionem culpae, ut ait

S. Thomas: „Si fieret communicatio per hunc modum: Facio te participem meritorum totius ecclesiae vel unius congregationis vel unius specialis personae, sic possent valere aliquid illi, qui est in peccato mortali“ (Suppl. q. 27, a. 1). At haec non esset indulgentia proprie dicta sed aliquid per accidens cum indulgentia coniunctum, ut ipse s. doctor recte notat. Ergo indulgentia qua talis nullum positivum effectum ponit in eo, cui conceditur, sed negativum tantum, qui est ablatio reatus poenae temporalis.

468. 4. Sicut autem quidam exaggerarunt virtutem indulgentiarum, ita alii enervarunt docentes indulgentias nihil efficere nisi remissionem poenae in foro ecclesiae debitae. Quae sententia est satis antiqua et iam a S. Thoma refutatur: „Haec opinio non videtur vera, primo quia est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est, ut, quod in terra remitteret, in caelo remitteretur. Unde remissio, quae fit quantum ad forum ecclesiae, valet etiam quantum ad forum Dei. Et praeterea ecclesia huiusmodi indulgentias faciens magis damnificaret quam adiuveret, quia remitteret ad graviores poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a paenitentibus iniunctis“ (Suppl. q. 25, a. 1). Quae ratio non solum probat de facto non concedi indulgentias hoc modo, sed ne convenienter quidem concedi posse pro universali ecclesia. Praeterea quilibet confessarius ex rationabili causa aliquid remittere potest de satisfactione, quam iniunxit, ut omnes fatentur. Inauditum autem est quemlibet confessarium posse indulgentias concedere. Tandem si agitur de satisfactione in Sacramento Paenitentiae imposita vel imponenda, haec per se eatenus tantum remitti debet, quatenus reatus poenae deletus est; cum remanente reatu poenae Sacramentum mutilum maneat, nisi imponatur debita satisfactio. Ergo dicendum est indulgentiis non solum poenas ecclesiasticas remitti, et merito damnatus est Art. 19 Lutheri: „Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam“ (Denzinger I. c. 643). Et denuo idem error damnatus est in Prop. XL. Syn. Pistor. (Denzinger I. c. 1403).

469. Eadem res probatur ex tenore Bullarum, quia aliter explicari nequit illud dictum saepius in Bullis occurrens: indulgentias concedi in remissionem peccatorum. Itaque falsum est, quod dicit Veronius in Regula fidei catholicae § 4: „non esse de fide catholica in usu seu concessione indulgentiae, prout de facto fit, remitti poenas temporales debitas post peccatum remissum in foro Dei, sive in purgatorio sive in hac vita; aut ecclesiam habere voluntatem, cum concedit indulgentiam, has poenas relaxandi et de facto eas relaxari.“ Et „non esse de fide catholica posse ecclesiam talem indulgentiam concedere, ut per eam remittat reatum poenae temporalis apud Deum immediate

ac per se, per solam relaxationem seu condonationem ipsius poenae luendae in purgatorio sive in hac vita.“ Illa enim doctrina pertinet ad fidem, cuius contradictoria doctrina est ea, quam Leo X. et Pius VI. ut falsam damnarunt.

Neque minus reicienda est doctrina doctoris Hirscher: indulgentiam nihil aliud esse nisi declarationem ecclesiae peccatorem sufficientes satisfactiones praestitisse pro peccatis suis, et consequenter remissionem ulterioris poenae canonicae (cf. Die kathol. Lehre vom Ablass [4. Aufl. Tübingen 1841] p. 9—16. 55 sqq.). Haec est perversio doctrinae catholicae de indulgentiis.

Poenae autem temporales, quae coram Deo remittuntur, praecipue sunt poenae purgatorii. Nam poenae huius vitae, sicut universali lege non statuuntur, ita universali lege non remittuntur. Immo interdum tam absoluta Dei voluntate statuuntur, ut propter nullam causam condonentur. Neque indulgentiae referuntur ad poenalitates huius vitae. A fortiori non versantur circa satisfactiones, quae debentur privatis hominibus vel societati humanae (cf. supra Prop. XVII).

470. 5. Quamvis igitur indulgentia sit remissio poenae temporalis in foro Dei, vere tamen est vel esse potest etiam „relaxatio de iniunctis paenitentibus“ in foro ecclesiastico (S. Thom., Suppl. q. 25, a. 1). Haec enim verba „de iniunctis paenitentibus“ non raro occurrunt in concessione indulgentiarum. Facile autem intellegitur haec formula, si recordamur olim pro certis peccatis certas poenas canonibus statutas fuisse. Quando igitur e. g. centum dierum satisfactio iniuncta erat, si quis indulgentiam quadraginta dierum lucrabatur, remanebat ei satisfactio sexaginta tantum dierum. Videlicet ecclesia paenitenti poenam, quam lisset per quadraginta dies, remittebat, non solum in foro ecclesiastico sed etiam coram Deo. In hoc igitur casu summus pontifex pro suprema sua potestate tollit indirecte vinculum a confessario impositum, quatenus effectum, ob quem obtinendum satisfactio imposita erat, scilicet remotionem reatus poenae, alio modo concedit, seu quatenus removet materiam satisfactionis.

Attamen hoc modo illa tantum paenitentia cessat, quae stricte in satisfactionem, non illa, quae in medicinam imposita erat; neque enim tollitur materia medicinae sed materia punitionis. Hinc etiam nostris diebus indulgentiae, e. g. quadraginta dierum, hunc sensum habet: concedi remissionem illius poenae, pro cuius remissione olim per canones quadraginta dierum paenitentia iniungebatur. Sicut autem, qui olim paenitentias canonicas subibant, pro maiore fervore plus satisfactionis praestabant, ita etiam qui nunc indulgentiam certis paenitentibus correspondentem lucrantur, pro maiore fervore et meliore dispositione maiorem remissionem accipiunt, ita ut hae indulgentiae partiales in actu secundo non pro omnibus idem valeant.

471. Neque tamen dicendum est indulgentias concedi *exclusive de iniunctis paenitentis*, ita ut e. g. indulgentia plenaria sit ea tantum remissio, quam quis consecutus esset implendo totam paenitentiam canonibus praescriptam, licet forte coram Deo alia poena maneat. Ecclesia enim non minus habet potestatem remittendi illum reatum poenae, pro quo nulla imposita est paenitentia, neque dubitandum est, quin hic sit sensus ecclesiae, si sine ulla restrictione concedat indulgentiam plenariam (cf. *Suarez*, Disp. 50, sect. 2, n. 3 sq.; *De Lugo*, Disp. 27, sect. 2, n. 8). Saepe etiam conceduntur indulgentiae, ad quas lucrandas non praerequiritur confessio, sed sufficit status gratiae, ut sunt indulgentiae viae crucis. In hoc igitur casu non remittitur quicquam de paenitentis iniunctis, quia nullae paenitentiae injunctae erant.

472. 6. Ex relatione autem indulgentiarum ad poenas impositas in foro ecclesiastico explicatur illa *distinctio indulgentiae in plenam, plenioram, plenissimam*, quae occurrit e. g. in Constitutione „Antiquorum“ *Bonifacii VIII.* (Extravag. comm. l. 5, t. 9, c. 1). Plena est indulgentia, quando remittitur tota poena correspondens toti satisfactioni impositae in foro ecclesiastico; plenior, quando respondet poenae non solum reapse impositae sed secundum rigorem canonum imponendae; plenissima, quando remittitur tota poena coram Deo debita. Alii tamen aliter haec verba explicant (cf. *Beringer*, De indulg. P. 1, c. 8, p. 54 sq.). Hodie indulgentia plenaria semper intellegitur remissio totius poenae Deo debitae, neque ulla amplius videtur admittenda distinctio inter illos tres terminos quoad remissionem ipsius poenae, ut recte ait *Suarez* (Disp. 50, sect. 4, n. 7).

473. 7. Olim theologi satis unanimiter praecedente *S. Thoma* (Suppl. q. 25, a. 1; 4, d. 20, q. 1, a. 3, sol. 1) docebant eum, qui lucraretur indulgentiam, eo ipso liberari a correspondente satisfactione, quae ei in confessione imposita erat, etiamsi indulgentia concessa non erat „de iniunctis paenitentis“ (*De Lugo*, Disp. 17, sect. 2, n. 22; *Suarez*, Disp. 50, sect. 2, n. 5 sq.). Ratio est, quia per effectum indulgentiae tollitur debitum poenae, ablato autem debito poenae tollitur etiam obligatio satisfaciendi; neque propterea mancum manet Sacramentum, ut putat *Gregorius de Valentia* (t. 4, disp. 7, q. 20, punct. 3, § „Sunt autem circa hanc“), quia Sacramentum postulat satisfactionem eatenus tantum, quatenus supponit debitum poenae, et, ubi tale debitum non est, Sacramentum integrum est sine satisfactione. Debitum enim poenae est unica ratio, ex qua necessitas satisfactionis sequitur. Attamen quia vix constare potest indulgentiae effectum reapse obtentum esse, et quia paenitentiae etiam imponuntur ut medicina, et quia indulgentiam lucrandam, ideo practice omnino implenda est satisfactio

iniuncta, ut etiam *S. Thomas* l. c. et alii monent, quamvis multo minor paenitentia dari possit, si quis a confessario simul obligatur ad indulgentiam lucrandam. Cum vero *Eusebius Amort* divi Thomae et aliorum Scholasticorum sententiam acriter impugnasset (De origine... indulgentiarum [Aug. Vindel. 1735] pars 2, sect. 4, p. 208—280) et postulasset a S. C. Indulg. damnationem illius sententiae, die 11. Maii 1737 responsum est: „Dilata, et praesens causa non amplius proponatur.“ *Benedictus XIV.* in instructione ad paenitentiaros et confessarios pro anno sancto (1750) in urbe deputatos, quae incipit „Inter praeteritos“, §§ 64 et 65 eandem *S. Thomae* et aliorum sententiam ut laxiorem impugnat et iubet a confessariis illis omnino imponi et a paenitentibus impleri satisfactionem. Hac quidem instructione nihil definitum est quoad illam quaestionem theoreticam, nam pontifex illo loco nihil definit, sed theologice tantum discutit quaestionem, neque censendus est damnare voluisse tam unanimem Scholasticorum doctrinam. Sed quoad praxin haec instructio omnino sequenda est, quamvis omnes concedant ratione indulgentiae lucrandae posse leviores satisfactiones imponi (cf. *S. Alphons.* l. 6, n. 519). Nullo vero modo dicendum est praeter satisfactionem sacramentalem et opera ad lucrandas indulgentias praescripta etiam alia paenitentiae opera requiri (cf. *Beringer* l. c. c. 10, p. 82 sq.; *S. Thomas*, Quodl. 2, q. 8, a. 16).

474. 8. Quaeritur, *utrum indulgentia sit absolutio a poena an solutio alicuius pretii ad redimendam poenam an utrumque.*

Imprimis igitur certum est indulgentiam vivis concessam esse *veram absolutionem*, factam potestate iurisdictionis, seu non esse merum et simplex suffragium, quod ecclesia suppliciter Deo offert, ut Deus respectu meritorum Christi benigne remittere velit poenas temporales. Tali enim modo potest quis fidelis Deum pro se et pro aliis rogare et petitionis suae effectum obtinere, cum tamen constet potestatem concedendi indulgentias esse penes solum summum pontificem et eos, quibuscum hic eam communicavit. Ergo indulgentias dare est satisfactiones Christi alicui *auctoritative* applicare. In vivos autem baptizatos summus pontifex habet auctoritatem iurisdictionis; ergo si vivos vult auctoritative liberare a reatu poenae, censendus est velle absolutionem dare. *Alexander III.* scribit: „Cum a non suo indice ligari nullus valeat vel absolvi, remissiones [i. e. indulgentias] praedictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus, ut prosint, proprii iudices specialiter indulserant“ (Decret. *Greg.* l. 5, t. 38, c. 4).

Martinus V. in fine Concilii Constantiensis concedens indulgentiam plenariam dicit se concedere absolutionem plenariam; et similiter alii pontifices loquuntur, ut *Leo X.* (supra n. 463). Haec autem locutio esset falsa, nisi indulgentia vere esset absolutio.

475. Itaque recte etiam dicitur indulgentia vivis concedi per actum iudicialis potestatis (licet non per formam iudicii). Iudicis enim est auctoritative aliquem ligare aut solvere. Sicut igitur per supremam suam potestatem iudicalem statuere potest excommunicationem ipso facto incurrendam, ita summus pontifex concedit indulgentiam certis positis condicionibus lucranda. Ergo non per modum particularis sententiae et absolute, sed per modum universalis legis et condicione haec absolutio fit, et „talis concessio potest dici quaedam sententia interlocutoria et absolutoria, quam iudex profert sine strepitu iudicii contentiosi aut vindicativi, utendo benigna condonatione propter iustas causas“ (Suarez, Disp. 49, sect. 4, n. 10. Cf. Bellarminus, De indulg. l. 1, c. 6, obi. 4).

476. 9. Ex altera autem parte indulgentia non est mera absolutio, sed adiunctam habet solutionem.

In hoc enim ordine salutis Deus nullum reatum sive culpae sive poenae remittit sine satisfactione. Ita ipsa etiam sacramentalis absolutio fit per applicationem satisfactionum Christi. Simili modo indulgentia conceditur ita, ut Deo offerantur satisfactiones Christi et sanctorum, quas satisfactiones summus pontifex nomine Dei applicat et fideles a reatu poenae temporalis absolvit. Sine solutione pretii seu sola absolute non potest pontifex indulgentias concedere; potest autem, si vult, sola solutione sine absolute. Ipse enim habet in ecclesia supremam administrationem thesauri satisfactionum, ex quo thesauro potest Deo offerre et pro sua auctoritate rogare, ut Deus solus sine interventu iudicis vicarii poenam remittat. Hoc modo summum pontificem lucrari indulgentiam est facillimus modus respondendi ad quaestionem, quomodo ipse pontifex particeps esse possit indulgentiarum, cum extra Sacramentum Paenitentiae nulli iudici ecclesiastico subiectus esse et proinde a nullo absolvi posse videatur. Nihilominus dici potest aliquem posse erga se ipsum actum iurisdictionis favorabilis exercere (cf. Bellarminus l. c. obi. 6). In ceteris autem casibus indulgentias pro vivis dari solere simul per modum absolute patet ex Bullis pontificum supra citatis.

477. 10. Pro defunctis autem in purgatorio existentibus indulgentiae non valent nisi per modum solutionis; nam iurisdictionem in illos ecclesia iam non habet, neque unquam aliter ecclesia dat indulgentiam defunctis nisi mediantibus vivis, ita ut concessio indulgentiae in favorem defunctorum pro termino directo non habeant defunctos, sicut absolutio habet vivos sed potius ipsum vivum, qui proxime acquirit ius et facultatem Deo nomine ecclesiae offerendi satisfactionem ex thesauro ecclesiae, et dein reapse hanc satisfactionem Deo pro defunctis suppliciter offert (cf. Suarez, Disp. 53, sect. 3, n. 15), vel, ut Leo X. et alii pontifices loqui solent, defunctis indulgentiae appli-

cantur „per modum suffragii“, i. e. per modum alicuius auxilii satisfactorii. Suffragium enim idem est atque auxilium, quo fideles animabus purgatorii subveniant, sive per meritum bonorum operum sive per impetrationem sive per satisfactionem.

478. At hic magna difficultas oritur, quidnam pontifex sua potestate efficiat, quando indulgentias pro defunctis concedit, cum certum sit etiam sine tali concessione posse fideles Deum orare, ut defunctis satisfactiones Christi ad eorum liberationem applicare velit. Immo omnis oratio pro defunctis, in quantum praecise habet vim impetrationis, tandem ad hoc reducitur; nam sine respectu ad satisfactiones Christi nulla venia conceditur; ergo, si possunt fideles orando defunctis impetrare remissionem poenae, haec remissio conceditur respectu satisfactionum Christi.

Ad hanc difficultatem solvendam inservit, quod docent plurimi et maximi theologi, indulgentiam utpote auctoritative concessam habere effectum infallibilem, orationes vero simplices ex misericordiae acceptance Dei pendere, seu indulgentias valere de condigno, orationes vero de congruo tantum. Ita Dom. Sotus (In 4, d. 21, q. 2, a. 3, § „De indulgentiis autem“), Suarez (Disp. 53, sect. 3, n. 3), qui dicit hanc fuisse opinionem S. Thomae, Alensis, Bonaventurae, Gabrielis; item De Lugo (Disp. 27, sect. 5, n. 29), alii. Bellarminus hanc sententiam „admodam piam“ dicit (De indulg. l. 1, c. 14, q. 4).

Argumentum praecipuum est, quia Leo X. dicit summum pontificem „auctoritate apostolica indulgentiam concedendo . . . per modum suffragii illam transferre consuevisse“, ex quibus Suarez (l. c.) putat aperte sequi suam doctrinam: „Nam si indulgentia pro defunctis vere est actus clavium, cum procedat ab apostolica auctoritate, efficax est et infallibilis, si ex rationabili causa fiat.“ An potest Deus dare auctoritatem distribuendi thesaurum in utilitatem defunctorum et nihilominus, quando haec distributio auctoritative fit, eam reicere? Eo ipso igitur, quod Deus summo pontifici auctoritatem dedit defunctis indulgentiam applicandi, sese etiam promissione obligavit ad indulgentias pro defunctis acceptandas.

479. Nihilominus alii hanc sententiam non admittunt vel dicunt indulgentias defunctis tantum prodesse secundum misericordiae acceptance Dei; ergo non infallibiliter. Ita Caietanus. Pro qua sententia optima ratio haec est, quod, si indulgentiae defunctis infallibiliter prodesse, non deberet plenaria indulgentia saepius eidem defuncto applicari, id quod fideles facere et ecclesia approbare solet. Deinde si ne Sacrificium quidem infallibilem efficaciam pro defunctis habet, ergo a fortiori non habent eam indulgentiae. — At hoc exemplum non est valde urgens; nam fructus Missae secundum obiectivas et immutabiles leges, licet nobis ignotas, a Deo determinatus est, neque

summus pontifex sua auctoritate efficere potest, ut Missa aliqua sit plus vel minus efficax in actu secundo; contra autem potest maiores vel minores indulgentias concedere, prout ei videtur. Ad priorem vero rationem multa responderi possunt. Imprimis enim altera sententia non ita certa est, ut non pium sit saepius haec suffragia praestare defunctis, praesertim cum hoc condicione fiat, scilicet si defuncti iis indigeant; nisi enim indigent, aliis applicabuntur. Secundo saepe fideles ignorant, num revera praestiterint omnia, quae ad lucranda totam indulgentiam necessaria sunt; ergo ad cautelam et condicione nova indulgentiae applicatio rationabiliter fit. Tandem potest aliqua anima habere specialem obicem, quatenus ob certa eius peccata in hac vita commissa Deus eam excludat a communicatione suffragiorum, donec ira divina placata sit (cf. *Lehmkuhl* II, n. 181). Hoc autem non obest infallibilitati indulgentiarum, non magis quam obest efficaciae Sacramentorum, quod gratiam non dent habenti obicem. Infallibilitas enim hic nihil aliud est nisi valor operis in actu primo ad satisfaciendum de condigno et generalis acceptatio divina vi promissionis factae, quae semper pro particulari casu adnexam habet hanc condicione: nisi obex ponatur. Itaque omnibus consideratis praeferenda videtur sententia prior, quia melius concordat cum verbis summorum pontificum, et quia magis commendat auctoritatem ecclesiae, divitias thesauri eius, caritatem et misericordiam Dei. Haec igitur sententia non praecipue in eo fundatur, quod alius pro alio de condigno satisfacere potest, sed in eo, quod romanus pontifex auctoritative concedit indulgentias pro defunctis. Si vero nolis hanc sententiam admittere, dicere poteris fidelem, qui indulgentiam Deo pro defunctis offerat, habere meliorem titulum et ideo certiorum confidentiam, quam qui sine indulgentia simpliciter Deum oret pro defunctis. At haec explicatio valde enervat conceptum indulgentiae. Cardinalis *De Lugo* putat indulgentiam pro defunctis in eo consistere, quod pontifex eleve bona opera fidelium ad satisfaciendum ex opere operato et ita infallibiliter (Disp. 27, sect. 5, n. 70). Quae sententia displicet, tum quia est plane singularis, tum quia intellegi nequit, nisi reducat ad explicationem, quam cum communi theologorum dedimus, scilicet quod ille, qui lucratur indulgentiam, positis requisitis condicionibus, ius acquirit, ut ex thesauro ecclesiae applicet satisfactiones defuncto, cui vult.

480. 11. Quia romanus pontifex non est dominus sed administrator tantum vicarius thesauri ecclesiae, non potest de eo disponere pro suo arbitrio sed secundum Dei voluntatem. Ergo ad indulgentiam concedendam requiritur iusta causa, ut hac deficiente indulgentia invalida sit. „Omnes doctores tam theologum quam canonistae consentiunt piam causam esse necessariam ad valorem indulgentiae“ (*Suarez*, Disp. 54, sect. 2, n. 3). Intellegitur aliqua pia causa externa, nam finis internus liberandi fideles a miseria poenae semper

adest; quia autem causa externa requiritur, hinc est, quod indulgentiae defunctis non conceduntur nisi per mediationem vivorum, quamvis *Suarez* putet etiam aliter fieri posse (Disp. 53, sect. 3, n. 13). Talem causam requiri constat ex Bullis indulgentiarum, in quibus semper causae indulgentiarum allegari solent, et ex Concilio Constant.: „Utrum credat, quod papa omnibus Christianis vere contritis et confessis ex causa pia et iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum?“ (*Denzinger* l. c. 570.) Ratio est, quia haec potestas data est in aedificationem et non in destructionem. Esset autem in destructionem, si fideles scirent se facillime sine ulla causa ab omnibus poenis peccatorum suorum solvi posse. Hinc ipse Deus, quantumvis misericors, non statim remittit omnem poenam, sed servat iustitiae ordinem. Ergo eodem modo agere debet vicarius Dei. Praeterea iudex non potest sine iusta causa reum absolvere a debita poena. Potest etiam dici indulgentia esse aliquo modo dispensatio in lege divina postulante vindictam malefactorum, quam dispensationem utique Deus ipse providit, ut qui vindictam tunc tantummodo absolute postulet, nisi alio modo satisfactio praestetur. Sed quoties alicui inferiori facultas datur aliquo modo dispensandi in iure a superiore statuto, ad validitatem actus semper requiritur rationabilis causa, quia irrationabilis voluntas inferioris irritare nequit rationabilem voluntatem superioris.

481. 12. Num autem causa debeat esse proportionata, ita ut pro maiore indulgentia maior quoque causa ad validitatem requiratur, non convenit inter theologos. Negat *S. Thomas* (Suppl. q. 25, a. 2, in corp. et ad 1) cum multis aliis, quia pro eadem vel etiam minore causa saepe maior indulgentia datur. Affirmant *Suarez* (Disp. 54, sect. 3, n. 5), *De Lugo* (Disp. 27, sect. 8, n. 141) aliique, quia causa disproportionata non est causa iusta et rationabilis, et pontifices non raro reprehenderunt indulgentias largiores ut indiscretas et perniciosas. Attemperant tamen hi doctores hanc sententiam ita, ut dicant causam proportionatam intellegi secundum moralem aestimationem, qua censetur adesse eam proportionem, quae debet esse inter medium et finem; quae quidem proportio admittit aliquam latitudinem moralem. Praeterea dicunt hanc proportionem non esse metiendam ex re, prout obiective existit, sed prout cadit sub prudentem electionem, quia plus humano modo praestari non potest et proinde a Christo plus non exigitur. Sed tota haec quaestio cum certitudine dirimi nequit (cf. *Suarez* l. c. n. 10; *De Lugo* l. c. n. 145).

482. Ceterum notandum est causam non semper illa tantum opera pia esse, quae ad lucranda indulgentia requiruntur, sed finem, ad quem haec opera diriguntur, ut si pro paucis precibus magna indulgentia conceditur, quia hae preces utilissimae censentur vel ad salutem

illorum, qui eas dicunt, vel ad impetrandum ecclesiae magnum aliquod bonum. Ita pontifex per benedictionem suam potest indulgentiam plenariam dare, quia ita fidelibus valde commendatur maiestas Sanctae Sedis. Item indulgentia concedi potest pro meritis praeteritis, ut alii excitentur ad similiter bene merendum de re publica christiana. Tandem ad indulgentiam particularem requiritur causa tantum particularis, ad indulgentiam vero generalem causa generalis (cf. *Lainez*, Disputat. Trident. t. 2, p. 111 sqq.).

483. 13. Divisio indulgentiarum in plenarias et partiales ex supra dictis satis intellegitur. Sed notandum est falso saepe asseri indulgentias partiales omnes esse supposititias, quae excedant viginti annos de poena canonica, cum certo existant genuinae indulgentiae centum et ducentorum annorum (cf. *Beringer* l. c. p. 56). Qui opera praescripta facit ad lucrandam indulgentiam plenariam, sed habet etiam tum culpas veniales nondum remissas, pro his indulgentiam consequi non potest sed pro iis tantum peccatis, quorum culpa iam remissa est. Ergo talis lucrabitur indulgentiam partialem. — Indulgentiae aliae sunt locales, i. e. certis locis, templis, statuis etc. adnexae; aliae personales, quae certis tantum personis, ut religiosis, conceduntur; aliae reales, quae certis rebus, ut rosariis, numismatibus etc. adnectuntur; aliae temporariae, quae certis tantum diebus acquiri possunt, aut quae post certum tempus expirant; aliae perpetuae, quae non ad certum temporis spatium restringuntur.

Prop. XXXIV. Exstat in ecclesia thesaurus constans ex satisfactionibus Christi et sanctorum.

484. *Nota.* Explicata notione indulgentiae iam ostendendum est ecclesiae competere potestatem concedendi indulgentias. Iam cum Deus nullam poenam remittat, nisi aequivalens ei satisfactio exhibeatur, imprimis quaeritur, unde ecclesia habeat, quod Deo pro reatu poenae solvat. Dicimus *ecclesiam solvere hoc debitum ex cumulo satisfactionum Christi et sanctorum, qui vocari solet thesaurus ecclesiae.* Quid sit satisfactio, supra explicatum est. Christum pro nostris peccatis satisfecisse constat ex Tractatu de Incarnatione; has vero satisfactiones non eo ipso, quod Christus eas praestitit, etiam in actu secundo omnibus hominibus applicatas esse docetur in Tractatibus de Iustificatione, de Sacramentis, de Sacrificio Missae. Sed praeter applicationem, quae fit ex opere operantis, et praeter eam, quae fit per Sacramenta et Sacrificium Missae, alia est applicatio, quae fit per concessionem indulgentiarum; et praecise sub hoc ultimo respectu satisfactiones illae vocantur communiter thesaurus. Sed dum in Sacramentis et Sacrificio solae satisfactiones Christi operantur, ad indulgentias etiam satisfactiones sanctorum conferunt.

485. *Definiri potest thesaurus:* Cumulus satisfactionum Christi et sanctorum, quas ecclesia per indulgentias dispensare potest.

Satisfactiones pro omnibus peccatis sufficientes in actu primo existere non est hic probandum, sed potius probandum est has satisfactiones esse vere thesaurum fidelium, quem ecclesia distribuere possit. Si quaeritur, ubi thesaurus sit, respondendum est: In cognitione et acceptatione Dei. *Nomen thesauri* potest derivari ex Sacra Scriptura (1 Petr. 1, 18. 19. 1 Cor. 6, 20; 7, 23; 2 Cor. 8, 9; Col. 1, 27). Nostro sensu videtur hoc nomen primum inveniri apud *Alexandrum Ales.* (4, q. 23, m. 3, n. 6) et *Albert. M.* (In 4, d. 20, a. 16), quamvis *Perrone* (Praellect. 8, 394, not. 19) hoc neget, cum nomen iam apud SS. Patres occurrat. Ita v. g. S. Ioan. Chrysost. ait de sanctis martyribus Iuventio et Maximino: „Hodie par sanctorum militum in acie exercitum Christi constituit. . . . Eiusmodi est τῆς ἐκκλησίας ὁ θησαυρός, novas et veteres habet margaritas“ (M 50, 571). Sed hic sensus est quidem affinis, non tamen plane idem atque nunc in Tractatu de indulgentiis.

486. *Arg. 1. Ex Traditione.*

Clemens VI. in Extrav. „Unigenitus“ (cf. Prop. praec. n. 2), non solum docet infinitum ex satisfactionibus Christi thesaurum existere in ecclesia, ad cuius thesauri cumulum merita B. V. Mariae et omnium sanctorum „adminiculum“ praestent, sed etiam docet ecclesiam habere potestatem, hunc thesaurum per indulgentias dispensandi.

Leo X. damnavit Prop. XVII. Lutheri: „Thesauri ecclesiae, unde papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum“ (*Denzinger* l. c. 641).

Pius VI. damnavit Prop. XLI. Synod. Pist. „In eo, quod subditur, scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum; quasi thesauri, unde papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum: falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis iniuriosa, dudum in Art. 17 Lutheri damnata“ (*Denzinger* l. c. 1404).

Ergo falsum est, quod Holden scribit: „Cetera omnia dubia sunt et a theologis in utramque partem agitata, nimirum an sit thesaurus aliquis meritorum et satisfactionum in ecclesia, cuius dispensatores sint romani pontifices et reliqui ecclesiae pastores“ (Analys. fid. l. 2, c. 6, § 3). Hoc enim neque dubium est neque a theologis in utramque partem disputatum. Excepto enim solo *Francisco Maioroni* omnes theologii hanc doctrinam aut de fide esse docent aut saltem eius contrariam erroneam censent (*Suarez*, Disp. 41, sect. 1, n. 2). *Durandus* (In 4, d. 20, q. 3) putavit ad hunc thesaurum pertinere solas satisfactiones Christi, non vero sanctorum. Cum autem Baius

postea doceret: „Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta“, haec propositio damnata est (*Denzinger* I. c. 940).

487. *Arg. 2. Ex ratione theologica.*

Doctrina de thesauro spirituali ecclesiae duobus fundamentis innititur, i. e. dogmate de Communionem sanctorum et de superabundantia satisfactionum Christi et sanctorum.

a) *Communio sanctorum* est arctissimus ille nexus, vi cuius omnia membra ecclesiae in unum corpus coniunguntur (1 Cor. 12, 13 sq.), non solum quatenus omnes fideles participes sunt eiusdem fidei, eorundem Sacramentorum, earundem gratiarum et promissionum, sed etiam quatenus inter omnes fideles, sive in terra militantes sive in purgatorio patientes sive in caelo triumphantes bonorum quaedam communicatio intercedit. „Quaecumque enim pie sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, et ut illis prosint, caritate, quae non quaerit, quae sua sunt, efficitur“ (*Catech. Rom. P. 1, c. 10, n. 25*).

Primum autem et principale membrum in hoc corpore est Christus, qui est caput, ex quo omne bonum ad reliqua membra descendit (Eph. 1, 22. 23). Quomodo autem Christus pro omnibus meruerit et satisfecerit, et quomodo desuper interpellat pro nobis, ostenditur in Tractatu de Incarnatione, ubi etiam explicatur, quo sensu merita et satisfactiones Christi sint infinita, ut exhauriri non possint.

Praeterea autem *omnis quoque bonus actus uniuscuiusque membri ecclesiae aliis omnibus membris huius mystici corporis prodest*. Quilibet vero bonus actus ad duo valere potest: scilicet ad acquirendum statum vel augmentum gratiae et ad acquirendum aliquod aliud bonum supernaturale. Iterum aliquod bonum acquiri potest nostris actibus per duplicem viam, i. e. per viam meriti de condigno et per viam meriti de congruo, imprimis per orationem. Augmentum gratiae per viam meriti de condigno nemo acquirere potest nisi sibi soli; nam invariabili lege divina pro omni merito statim unusquisque accipit correspondentem gradum gratiae sanctificantis, et pro mensura gratiae sanctificantis habebit mercedem aeternam. Unde idem meritum valere non potest ad merendum alteri sive statum sive augmentum gratiae. Immo ne per viam quidem impetrationis alter alteri immediate obtinere potest gratiam sanctificantem sed solummodo auxilia gratiae actualis, quibus homo usus se sanctificare potest; quod autem valet de oratione stricte dicta, valet de omni merito de congruo, quod pro altero suppliciter Deo offertur. Potest vero alter alteri de congruo mereri etiam primam gratiam, quam nemo sibi ipsi mereri potest. Nihilominus etiam in ratione meriti de condigno meritum unius prodest aliquo modo omnibus, quia, quo sanctius singuli vivunt, eo magis totum corpus mysticum Deo placebit et eo maiores gratias accipiet.

et praeterea de maiore merito singulorum omnes habebunt accidentale gaudium in caelo.

Est autem aliud bonum, quod alter alteri de condigno mereri potest, scilicet remissio poenae temporalis post remissum peccatum remanentis, ut iam demonstratum est. Quamvis enim satisfactio et meritum secundum formalem rationem distinguantur, possumus tamen recte dicere eum, qui pro altero satisfaciatur, mereri ei de condigno remissionem poenae temporalis (cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 25, a. 1, et q. 71, a. 1).

His autem bonis ex Communionem sanctorum provenientibus quoad magnam partem privatur is, qui est in statu peccati mortalis, et multo etiam magis, qui est excommunicatus (cf. *S. Thom.*, Opusc. 7 de Symb. Apost., c. 18).

488. b) Quod autem attinet ad satisfactiones Christi et sanctorum, dicendum est *superabundantem cumulum satisfactionum in ecclesia existere*.

Neque enim solus Christus, sed etiam multi sancti, ut B. V. Maria et Ioan. Baptista, innocentissime vixerunt et maxima tamen opera poenalia subierunt; alii saltem plus fecerunt, quam ad delendum ipsorum reatum culpae requirebatur, ut martyres. Censendum igitur est Deum, qui noverit haec opera et videat ea ipsis illis sanctis secundum valorem suum satisfactorium inutilia esse, velle acceptare haec opera pro aliis membris ecclesiae summo opere iis indigentibus. Nam sicut in omni corpore sano humores vitales ex membris, quibus necessarii non sunt, transferuntur ad ea, quibus necessarii sunt, sic quoque debet fieri in ecclesia, eo utique modo, qui convenit corpori morali et hierarchico, i. e. mediantibus iis, quos Deus dispensatores bonorum huius corporis constituit (*S. Thom.*, Suppl. q. 26, a. 1). Quamvis enim satisfactiones sanctorum ex eorum voluntate processerint, et quamvis, antequam fierent, ex eorum intentione potuerint alicui speciali homini applicari, tamen, postquam transierunt in thesaurum ecclesiae, earum dispensatio non iam pendet a sanctis, sed a Christo, qui ad hanc dispensationem efficiendam vicarios pastores in ecclesia instituit.

Talem igitur thesaurum semper esse in ecclesia, constantem saltem ex satisfactionibus Christi, in dubium vocari nequit. Sed dicendum est thesaurum ecclesiae etiam constare ex superabundantibus satisfactionibus sanctorum tum in caelo viventium tum in terra degentium, ut docent summi pontifices. Cum enim multi sancti ultra id, quod Deo pro satisfactione debebant, poenas sustinuerint, ecclesia ex voluntate Dei operum horum supererogatoriorum heres facta est, ita ut, si haec opera ab ecclesia Deo offerantur, Deus his operibus moveri velit ad remittendas filiis ecclesiae poenas debitas (*De Lugo*, Disp. 27, sect. 3, n. 37). De qua re ait *S. Ambrosius*: „Donavit Christus ecclesiae

suae, ut unum per omnes redimeret . . . sive quod tota ecclesia suscipiat onus peccatoris, cui compatiendum et fletu et oratione et dolore est, et quasi fermento eius se totam conspergat, ut per universos ea, quae superflua sunt in aliquo paenitentiam agente, virilis misericordiae aut compassionis velut collativa quadam admixtione purgentur" (De Paenit. l. 1, c. 15, n. 80; *M* 16, 490).

489. *At quomodo scire possumus has satisfactiones sanctorum, utpote finitas, nondum esse exhaustas?*

Primo respondendum est: Si contingeret, ut hae satisfactiones aliquando exhaurirentur, indulgentiae concederentur ex solis satisfactionibus Christi, quae exhauriri nequeunt. Attamen videntur pontifices in Bullis suis supponere numquam deesse in thesauro ecclesiae satisfactiones sanctorum. Et hoc, licet satisfactiones sanctorum in se sint finitae, facile explicari potest hoc modo: Deus, quando concedit indulgentias, eas non ita concedit, ut dicat: Haec indulgentia conceditur propter satisfactiones S. Petri, neque quicquam amplius pro his satisfactionibus postulari potest, et similiter de satisfactionibus aliorum sanctorum. Sed potius dicendus est Deus in omni absolute poenarum respicere totum cumulum satisfactionum, prout in ecclesia existit, non ut tot et tot unitates inter se plane separatas, sed ut opera totius corporis mystici, cuius omnes actiones quodammodo sunt actiones Christi. Nam haec omnia Deo placent non aliter quam ex intima eorum cum Christo coniunctione, et ita satisfactio Christi tamquam causa universalis dat satisfactionibus sanctorum dignitatem et efficaciam, et in omnibus his Christus honoratur. Rursum Christi merita et satisfactiones non ita distribuuntur, ut aliquid ex iis dematur, quod postea non iam existat, sed propter infinitum eorum valorem Deus semper paratus est ad novas gratias concedendas, ut divisio se habeat solum ex parte effectus. Hoc igitur modo etiam thesaurus sanctorum est inexhaustus (cf. *Lehmkuhl* II, 531, nota).

490. *Quaeritur, sub qua formali ratione hic thesaurus, ut unum totum morale, concurrat ad indulgentias.*

Imprimis certum est merita Christi reduplicative ut merita semper concurrere, quia nisi propter merita Christi nulla remissio hominibus conceditur, neque minus dicendum videtur etiam satisfactiones Christi reduplicative sumptas concurrere ad indulgentias, primo quia generatim verior est sententia docens omnem remissionem poenae (etiam ex opere operantis) esse solutionem ex satisfactionibus Christi; et secundo quia in indulgentiis remissio non fit secundum mensuram satisfactionis propriae, et consequenter debet fieri ex satisfactionibus Christi, cum sine condigna satisfactione nulla poena remittatur. Posset quidem absolute haec condigna solutio fieri ex solis satisfactionibus sanctorum. At iam dictum est satisfactiones convenientius considerari

ut aliquid unum cum satisfactionibus Christi. Improbabile autem est, quod quidam dicunt, indulgentias concedi ex solis satisfactionibus sanctorum, non vero directe ex satisfactionibus Christi. Quod vero attinet merita sanctorum, ut distinguuntur a satisfactionibus, nihil per se conferunt ad indulgentias; pro his enim ipsi habent suam mercedem in caelo. Sin interdum indulgentia ascribitur meritis sanctorum, merita ponuntur pro satisfactionibus; neque enim raro haec duo vocabula promiscue usurpantur. *Indirecte* autem possunt etiam merita qua merita aliquid conferre, quatenus sancti propter maiorem dignitatem suam, quam meritis acquisiverunt, nobis efficacius impetrare possunt dispositionem necessariam ad indulgentias lucrandas (cf. *Suarez*, Disp. 51, sect. 3).

Prop. XXXV. Ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias.

491. Existere thesaurum satisfactionum, quem possit ecclesia distribuere, vidimus. Sed varii sunt modi distribuendi thesaurum. Nam satisfactiones Christi in thesauro contentae distribuuntur per Sacramenta et per Sacrificium Missae, et hoc videtur sufficere, ut thesaurus non sit inutilis. At imprimis satisfactiones sanctorum non operantur in Sacramentis et Sacrificio Missae, ergo illae saltem essent inutiles; deinde vero potestas ecclesiae non est restringenda ad unum modum, si alius modus conveniens adest. Est autem bene attendendum ecclesiam potestatem dandi indulgentias non accepisse propter merita sanctorum, sed unice propter merita Christi. Postquam autem hanc potestatem habet, potest etiam satisfactiones sanctorum supererogatorias distribuere, quia hae satisfactiones pertinent ad obiectum potestatis a Christo acceptae. Maxime igitur in hac thesi ostenditur ecclesiam habere potestatem fideles vivos a poenis temporalibus absolvendi.

492. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

Christus dedit Petro hanc potestatem: „Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis“ (Matth. 16, 19). Quibus verbis omnis ea potestas solvendi promissa est, quae cum fine ecclesiae cohaeret neque aliunde excepta probari potest. Atqui omnino cum fine ecclesiae cohaeret potestas per indulgentias solvendi a poenis temporalibus peccatorum, quibus impediuntur fideles ab ingressu caeli, neque ulla positiva institutione Christi haec potestas excipitur. Ergo ecclesia fideles solvere potest a poenis temporalibus per indulgentias. Cum enim fideles privatis suis satisfactionibus unusquisque pro se et alter pro altero debitum poenae solvere possit, nulla ratio adest, cur ecclesia ex communi thesauro satisfactionum publica auctoritate debitum

poenae solvere nequeat etiam extra Sacramentum, cum ad solius poenae remissionem non requiratur gratiae infusio.

Quamvis autem Christus eandem promissionem omnibus quoque apostolis fecerit (Matth. 18, 18), non tamen sequitur, ut omnes successores apostolorum hanc potestatem eodem modo habeant, sed ita, ut postulat hierarchica institutio ecclesiae. Ideo episcopi hanc potestatem non habent nisi dependenter a summo pontifice (cf. *Suarez*, Disp. 49, sect. 1, n. 13 sq.); et quia thesaurus ecclesiae non est huius vel illius dioecesis sed totius ecclesiae in communi, singuli episcopi hunc thesaurum dispensare possunt secundum facultatem tantum, quam summus pontifex iis concedit. Cum autem olim accideret, ut indiscretis indulgentiis disciplina labefactaretur, Concilium Lateran. IV. hanc legem dedit (can. 62): „Quia per indiscretas et superfluas indulgentias, quas quidam ecclesiarum praelati facere non verentur, et claves ecclesiae contemnuntur et paenitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut, cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia ultra unum annum, sive ab uno sive a pluribus episcopis dedicatur; ac deinde in anniversario dedicationis tempore 40 dies de iniunctis paenitentiis indulta remissio non excedat. Ad hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras praecipimus moderari, quae pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur.“ Quae lex adhuc valet. Si vero unus episcopus pro opere pio 40 dies indulgentiarum dedit, non potest alius episcopus, excepto archiepiscopo, alios 40 dies addere. Quod episcopi in sua dioecesi, archiepiscopi in sua provincia possunt. Cardinales in ecclesiis suis titularibus possunt diebus festis 100 dies dare; 100 quoque dies concedere potest magnus paenitentiarius Romanus. Item nuntii et legati a latere certas indulgentias concedere possunt. Alii autem praelati nullam per se habent facultatem circa indulgentias (cf. *Beringer* l. c. p. 37 sqq.).

493. *Aliud argumentum scripturisticum peti potest ex 2 Cor. 2, 10, ubi S. Paulus dicit se in persona Christi donasse Corinthio incestuoso partem poenae temporalis, quam ei imposuerat (1 Cor. 5, 3 sqq.). At supponendum non est S. Paulum ita remisisse, ut dixerit Corinthium posse cessare a poena implenda, quamvis coram Deo minime fuerit solutus. Ergo agitur de solutione etiam coram Deo valida seu de vera indulgentia (cf. *Suarez*, Disp. 49, sect. 2, n. 3).*

494. *Arg. 2. Ex doctrina ecclesiae.*

Nonnulla iam in praecedentibus allata sunt; addi potest haec definitio Concil. Trident. (sess. 25 de indulg.): „Cum potestas conferendi indulgentias a Christo ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usus fuerit; sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in

ecclesia retinendum esse docet et praecipit eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant“ (*Denzinger* l. c. 862). Cur plura Concilium non dicat de quaestione istis temporibus adeo agitata, ratio est, quia ob varia incommoda finis Concilii differri non poterat et ita brevi hac definitione Patres contentos esse oportebat (cf. *Beringer* p. 28).

495. *Arg. 3. Ex praxi ecclesiae.*

Quod Martinus Chemnitius dicit indulgentias non existere ante saec. XIII., ipse refutat narrans Waldenses coepisse primos pugnare contra indulgentias. Nam si Waldenses, orti 1170, primi pugnabant contra indulgentias, indulgentiae iam ante existebant in ecclesia (*Belarminus*, De Indulg. l. 1, c. 3, ratio 4). Si vero indulgentiae etiam a saeculo tantum XIII. usque ad XVI. in universali usu fuissent, non possent esse falsae, quia universalis ecclesia non potest per tria saecula errare. Ceterum assertio Chemnitii facile falsa probatur proposito brevi conspectu historiae indulgentiarum, quam possumus in tres epochas dividere secundum diversum modum, quo indulgentiae concedi solebant.

496. *Epocha prima usque ad saeculum VII.*

Concessio indulgentiarum primis saeculis apparet sub forma *mitigationis* paenitentiae publicae. Interdum enim paenitentes „reconciliabantur“, antequam integras satisfactiones praestitissent. Atqui haec reconciliatio ante impletam integram paenitentiam erat concessio indulgentiae. Ergo istis temporibus indulgentiae erant in usu.

Ad hanc rem intellegendam notandum est reconciliationem fuisse absolutionem a poenis peccatorum. *Absolutionem hanc non fuisse absolutionem a culpa* iam supra (n. 265 sqq.) vidimus, quare diversis quoque nominibus absolutio a culpa et reconciliatio publica appellabantur. A culpa absolvere est *ἀφιέναι ἁμαρτίας, ἄφεσιν δίδόναι* (cf. *Constit. Apost.* l. 2, c. 18. 20; *M* 1, 630. 634); admittere aliquem ad paenitentiam publicam est *προσλαμβάνειν* vel *δέχεσθαι* (ibid. c. 12. 16; *M* 1, 614. 626). Plenam vero reconciliationem dare plerumque dicitur *ἀποκαθιστάνειν*. Unde intellegitur, quomodo e. g. Conc. Arausic. I. (can. 3) potuerit dicere: „Qui recedunt de corpore, paenitentia accepta, placuit sine reconciliatione manus impositione iis communicari, quod morientis sufficit consolationi secundum definitionem Patrum, qui huiusmodi communionem viaticum nominarunt.“ Ergo absolutio reconciliatoria non erat absolutio a culpa; consequenter erat absolutio a poena (cf. *Katholik* 1885, I, 350 sqq.).

Neque enim reconciliatio fuit mera caerimonia externa in foro canonico, sed fuit plena reconciliatio in foro Dei, ut patet ex his verbis Constit. Apostol. (l. 2, c. 41; *M* 1, 695): „O episcope, quemadmodum ethnicum sacro Lavacro tinctum in ecclesiam inducis post institutio-

nem, sic et hunc paenitentem per manuum impositionem, utpote paenitentia purgatum, cunctis pro eo deprecantibus, restitue in antiqua pascua, eritque in loco Baptismi impositio manuum . . . nam quod Deus non solum ignoscat paenitentibus, sed et eos in pristinam dignitatem restituat, abunde testatur sanctus David. . . . Reconciliationem esse plenam absolutionem, quae etiam coram Deo valeat, testantur etiam orationes, quae in ea adhibentur (cf. *Pontificale Rom.* p. III. Edit. Ratisbon. a. 1888, p. 36 sqq.) Hinc est, quod SS. Patres hanc paenitentiam vocant „laboriosum Baptisma“, et quod S. Ambrosius dicit: „Sicut unum Baptisma, ita una paenitentia, quae tamen publica agitur“ (De Paen. l. 2, c. 10, n. 95; *M* 16, 520), quia non videbatur tam perfecta remissio plus quam semel concedenda.

497. Unde quidam theologi concluderunt reconciliationem ipsam fuisse indulgentiae concessionem. Ita Palmieri: „Cum ab ecclesia paenitentibus absolutio daretur, absolutio a peccatis coram Deo, quae idcirco mera caerimonia non erat, sed actus potestatis efficax coram Deo; erat idcirco remissio poenae, quae superesset, debitae Deo“ (De Paen. p. 466). — *Alii id negant*, quamvis concedant reconciliationem fuisse veram absolutionem coram Deo validam. Ita Schmitz (*Katholik* 1885, I, 368 sqq.), qui dicit ecclesiam in reconciliatione semper supposuisse Deo a paenitente plenam satisfactionem praestitam esse. Prior sententia verior videtur. Nam si satisfactio paenitentis necessario tanta supponebatur, ut omnis poena iam deleta esset, absolutio ecclesiae erat superflua, quia nihil erat absolvendum. Confundi videtur in hac sententia theoretica aestimatio de sufficientia satisfactionis cum sententia efficaci absolutionis. Dicendum igitur est in reconciliatione ecclesiam paenitentibus concessisse remissionem omnium poenarum, etiamsi forte a peccatore pro iis nondum plene satisfactum erat.

498. Omnes autem Catholici unanimiter docent indulgentiam concessam fuisse paenitentibus, quoties iis aliquid de paenitentia canonica remittebatur. Hoc fiebat imprimis propter intercessionem martyrum, quorum passiones admittebantur loco satisfactionis ab ipsis peccatoribus praestandae. De qua re saepe loquitur S. Cyprianus in Epistulis suis. Ita in Epist. 18 (*H* 2, 523 sq.) dicit: „Qui libellos a martyribus acceperint, praerogativa eorum apud Deum adiuvari posse“. Multa quoque de hac re habet in libro De lapsis: „Credimus posse apud iudicem plurimum martyrum merita et opera iustorum, sed cum iudicii dies venerit. . . . Mandant aliquid martyres fieri, sed si iusta, si licita . . . si petentis fuerit religiosa moderatio“ (c. 17. 18; *H* 1, 249 sq.). Etiam Tertullianus saepe de hac re loquitur, et quidem sine vituperatione, quamdiu catholicus erat. Alloquitur enim martyres: „Pax vestra bellum est illi [diabolo]. Quam pacem quidam in ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt. Et ideo eam

etiam propterea in vobis habere et fovere et custodire debetis, ut si forte et aliis praestare possitis“ (Ad Martyr. c. 1; *M* 1, 621). Sed Montanista factus vehementissime in hanc praxim invectus est: „At tu [Zephyrine] iam et in martyres tuos effundis hanc potestatem, ut quisque ex consensione (confessione?) vincula induit adhuc mollia, in novo custodiae nomine, statim ambiunt moechi, statim adeunt fornicatores, iam preces circumsonant, iam lacrimae circumstagnant maculati cuiusque; nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui ecclesiam perdiderunt. . . . An qua securitate et possessione martyr qui permittit homini donare, quae Deo reservanda sunt? . . . Sufficit martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quosque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit nisi solus Dei Filius? . . . Proinde qui illum aemularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, plane patere pro me; si vero peccator es, quomodo oleum faculae tuae sufficere et tibi et mihi poterit?“ (De Pudic. c. 22; *M* 2, 1026.) Ergo Catholicis persuasum fuit vere passiones martyrum aliquid apud Deum valuisse pro remissione poenarum aliorum. Sed bene advertendum est non ipsos martyres suas passiones peccatoribus applicasse, sed potius episcopos intuitu passionum et intercessionum martyrum poenas indulgisse. Hinc S. Cyprianus valde vituperat sacerdotes et diaconos, qui ob martyrum preces statim reconciliationem lapsis concedere volebant, et statuit hoc facere omnino non licere, sed rem deferendam esse ad episcopum, ut hic examine instituto, si iudicaverit paenitentes esse dignos, eos ob merita martyrum a poenis absolvat. „Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores paenitentiam iusto tempore, et secundum disciplinae ordinem ad exomologesim veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri ius communicationis accipiant, nunc erudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta ecclesiae ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomine eorum, et nondum paenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu iis ab episcopo et clero imposita, Eucharistia illis datur“ (Ep. 16, n. 2; *H* 2, 518 sq.). De hac re agit etiam in libro De lapsis, in Epistulis 21. 33. 36 et alibi passim. Ergo relaxatio poenae fiebat coram Deo valens auctoritate ecclesiae ob merita martyrum. Ergo vere concedebatur indulgentia.

499. Statim quoque a primis Conciliis potestatem inesse episcopis declaratum est ob rationabiles causas relaxandi aliquid de poenis canonicis pro peccatis debitis. Ita Conc. Ancyranum (a. 314) can. 2, postquam poenam pro diaconis lapsis statuit, addit: „Nisi forte aliqui episcoporum conscii sint laboris eorum et humilitatis et mansuetudinis et voluerint iis aliquid amplius tribuere vel adimere, penes ipsos ergo erit de his potestas“ (cf. can. 5). Conc. Nicaen. can. 12 dicit de iis, qui cum fervore paenitentiam peragunt: „Licet

episcopis humanius circa eos aliquid cogitare“, qui vero minus ferventes sunt, „isti omni modo tempora statuta complebunt.“ Similiter Conc. Arel. I. can. 12 et vulg. Carthag. IV. can. 4 episcopis concedunt licentiam poenas relaxandi. Etiam moribundis relaxabantur poenae, ita ut, etiam si reconvalescerent, eas saltem omnes solvere non deberent (cf. *Katholik* 1885, I, 491 sqq.). Atqui non possumus admittere voluisse ecclesiam ita relaxare poenas canonicas, ut paenitentes remitterentur ad multo graviores poenas purgatorii. Ergo admittenda est vera indulgentia.

500. *Epocha secunda a saec. VII. usque ad saec. XII.*

Hac aetate indulgentia praecipue, non tamen unice, apparet sub forma „redemptionis“ seu commutationis paenitentiae canonicae in alia opera, quae censebantur aequivalentia, quale opus imprimis erat peregrinatio romana, ea aetate sane haud facilis. Narrat S. Thomas: Interdum „papa dat indulgentiam, quod, qui vadit ad unam ecclesiam, habeat septem annos de indulgentia; cuiusmodi etiam *indulgentiae a beato Gregorio in stationibus Romae institutae sunt*“ (In 4, d. 20, q. 1, a. 3, sol. 2). Iam antea similiter narraverat Guilelmus Altisiod. (l. 2, tr. 6, c. 9): „Beatus Gregorius instituit Romae huiusmodi relaxationes; et si aliquis est Romae per Quadragesimam et sequitur processiones, habet de relaxationibus plus quam quinquaginta annos“ (edit. Paris. 1500, fol. 281, col. 4), *Morinus* quidem putat magnam fidem habendam non esse testibus aetate dissitis et arte critica non adeo pollentibus (De Paen. l. 10, c. 20, n. 10). Nihilominus studet *P. Palmieri* ostendere multis suaderi posse genuitatem harum indulgentiarum, quia iam inde a fine saec. VII. peregrinatio romana „magnae virtutis aestimabatur“, ut ait *Beda Venerabilis*, et persuasio erat euntes Romam consequi perfectam peccatorum remissionem (cf. *Palmieri*, De paenit. p. 445). Et Bonifacius VIII., cum pro anno 1300 plenariam indulgentiam visitantibus basilicas apostolorum concederet, testatus est: „Antiquorum habet fida relatio, quod accessae sunt honorabilem basilicam principis apostolorum de urbe concedentibus ad honorem basilicam principis apostolorum. Nos igitur . . . huiusmodi remissiones et indulgentias omnes et singulas ratas et gratas habentes confirmamus“ (Extrav. com. l. 5, t. 9, c. 1).

Multa igitur exstant, quae suadeant inde a saec. VII. peregrinatione romana redimi solitam esse saltem partem paenitentiae canonicae idque ex auctoritate summi pontificis. Ait enim Nicolaus I. apud Ivonem (*P* 10, c. 33; *M* 161, 700) de homicida quodam: „Quaedam [de paenitentia] temperavimus eo, quod suffragia apostolorum principis, nutritoris nostri, postulare devote festinavit.“ Et ita saepe factum est, ut opera canonibus paenitentialibus praescripta in multo faciliora commutarentur, et ea indulgentiae forma, quae posterioribus temporibus vigeat, paulatim introduceretur.

501. Si vero fideles, qui non obligabantur ad paenitentias canonicas, earum loco ad delenda peccata sua alia pia opera suscipiebant, haec non potuit esse indulgentia, quamvis paulatim mos oriretur computationes instituendi inter certa opera pia et paenitentias canonicas. Ita refert S. Petrus Damiani († 1072) in vita S. Dominici loricati: „Per singulos dies [Quadragesimae] dum se [Dominicus] scoparum tusionibus afficit, ut minus tria psalteria meditando persolvit. Centum autem annorum paenitentia, sicut ipso auctore didicimus, sic expletur“, quod dein computatione ostendit (*M* 144, 1015). Hae igitur et similes commutationes et computationes non solum privata tantum auctoritate nitebantur, sed etiam facile ad superstitiones et disciplinae ecclesiasticae relaxationem ducere poterant, maxime si eleemosynis paenitentiae redimebantur, vel aliis eleemosynae dabantur, ut ipsi pro paenitente opera satisfactoria peragerent, quia hoc genere redemptionis divites facile omnia opera paenitentialia redimere poterant. Unde variae Synodi provinciales has redemptiones omnino interdixerunt (cf. *Binterim*, *Denkwürdigkeiten* t. 5, part. 3, p. 168 sqq.). Quae vero de his redemptionibus vel commutationibus habentur in Libris paenitentialibus, non maioris auctoritatis sunt quam libri ipsi. Ergo hae omnes commutationes considerari nequeunt ut indulgentiae (cf. *Schmitz*, *Bussbücher* p. 144 sqq.).

502. Postea vero, cum fierent *expeditiones in Terram sanctam*, summi pontifices sua auctoritate statuerunt, ut haec expeditio loco omnis alius paenitentiae suscipi posset. Ita Urbanus II. in Concilio Claramontano a. 1095 dixisse fertur: „Nos de misericordia Dei et de beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi fidelibus christianis, qui contra eos [infideles] arma susceperint, iniunctas sibi pro delictis paenitentias relaxamus“ (cf. *J. H. Schoofs*, *Die Lehre vom kirchlichen Ablass* [Münster 1857] p. 46 sqq.). Hoc igitur modo veras indulgentias concessas fuisse in dubium vocari nequit.

503. Etiam *indulgentiae pro defunctis iam saec. IX. et X. occurrunt*. *Paschalis I.* concesserat, ut, qui in quodam sacello S. Zenonis certum numerum Missarum pro defuncto diceret, defunctum e purgatorio liberaret. *Ioannes VIII.* petente Ludovico rege indulgentiam concessit pro iis, qui in pugna ceciderant. *Ioannes IX.* indulgentiam concessit pro Arnulpho imperatore defuncto (*Schoofs* l. c. p. 42 sqq.).

Quodsi illis temporibus interdum sermo est de absolutione defunctorum, hoc secundum *Du Cange* significat dicere collectam mortuorum: „Absolve, Domine, animas fidelium defunctorum“ (cf. de tota hac epocha *Binterim* l. c. p. 464 sqq.).

504. *Epocha tertia a saeculo XII. usque ad nostram aetatem.*

Haec epocha a praecedenti non eo distinguitur, quod plane novae formae indulgentiarum inducuntur, sed quod praxis indulgentiarum

est frequentior, et opera pia minus gravia postulantur, et quod doctrina de indulgentiis plane exulta apparet. Indulgentia maxime insignis, quae inde a saeculo XIV. dari solet, est indulgentia Iubilaei, quae certis annis adnexa, ex similitudine Iubilaei iudaici (Levit. 25, 10) nominata est.

Iubilaeum est indulgentia plenaria, cui alii favores et gratiae generales, maxime circa absolutionem a censuris, adiuncta sunt. Prima Bulla Iubilaei est *Bonifacii VIII.*, qui pro anno 1300 et quolibet sequenti anno centesimo plenariam indulgentiam concessit vel potius veterem iam existentem huius rei usum confirmavit. *Clemens VI.* anno 1343 statuit, ut quilibet annus quinquagesimus, incipiendo ab anno 1350, esset Iubilaeum. Tandem post varias alias decisiones *Paulus II.* tempus restrinxit ad annum vigesimum quintum, inde ab anno 1475, qui usus mansit usque ad nostra tempora. Initio quidem indulgentia Iubilaei in sola urbe Roma obtineri poterat, sed postea res ita mutata est, ut prius uno anno Romae valeat, deinde anno sequenti indulgentia ad omnia loca orbis terrarum extendatur. Praeter Iubilaeum ordinarium interdum pontifices Iubilaea extraordinaria seu „indulgentiam ad instar Iubilaei“ ob graves causas concedere solent.

Haec quoad historiam indulgentiarum sufficient ad ostendendum indulgentias non aliquando subito incepisse in ecclesia, sed semper sive sub hac sive sub alia forma exstitisse. Cum autem formae ipsae e voluntate ecclesiae pendeant, id solum argumento Traditionis nobis ostendendum erat in ecclesia semper agnita fuisse illa principia dogmatica, quibus indulgentia nititur, et maxime potestatem absolvendi etiam coram Deo a poenis temporalibus post remissionem peccatorum remanentibus.

505. *Arg. 4. Ex ratione theologica.*

Indulgentiae commendandae sunt ob convenientiam et utilitatem, quae iis inest praeter ipsam remissionem poenae temporalis. Nam

a) indulgentiis illustrantur et inculcantur varia doctrinae catholicae capita, ut de iustitia et misericordia Dei, de necessitate satisfactionis pro peccatis, de Communionem sanctorum, de potestate ecclesiae, de purgatorio.

b) Indulgentiis promovetur studium virtutum, cordis contritio, opera misericordiae et pietatis, studium orationis, usus isque diligens Sacramentorum, cultus Christi et sanctorum (cf. *Suarez*, Disp. 49, sect. 5, n. 3).

Historia quoque ipsa est testis insignium fructuum indulgentiarum, et maxime Iubilaeorum. Neque enim soli scriptores catholici, ut *Bellarminus*, *Bourdaloue*, *Wiseman*, vix verba invenire possent ad digne praedicandos fructus Iubilaeorum, quos suis oculis viderunt, sed etiam *d'Alembert* affirmabat Iubilaeo anni 1775 revolutionem gallicam per viginti annos retardatam esse. *Voltaire* vero de

eodem Iubilaeo dixisse fertur: „Encore un jubilé pareil et c'en est fait de la philosophie.“ Mirum igitur non est, quod *S. Ignatius* in quadam epistula scribit: „Dei amorem et caelum quaerentibus indulgentiae sunt ingens thesaurus et gemmae pretiosae“ (cf. *Beringer* l. c. 473 sq.).

506. *Schol. 1. Indulgentiam concedi potestate iurisdictionis* ex dictis satis evidens est; est enim res, quae spectat ad forum Dei, et qua homines a debito iuridice absolvuntur. Quia autem indulgentia datur extra Sacramentum neque fit per infusionem gratiae, nulla requiritur ad indulgentiam concedendam potestas ordinis. Ex usu quoque ecclesiae constat hanc potestatem non habere omnes sacerdotes et episcopos consecratos, e contra posse habere e. g. cardinales omni ordine sacramentali carentes (cf. *Suarez*, Disp. 49, sect. 3).

507. *Schol. 2. De condicionibus ad lucrandas indulgentias necessariis* non multa sunt dicenda. Requiritur imprimis *impletio operum praescriptorum*, quae quidem opera non sunt causa sed condicio indulgentiarum, ut cum *S. Thoma* (Suppl. q. 25, a. 2) docent communiter theologi. Per modum autem dispositionis devotio et opera pia influere possunt ad indulgentias perfectius lucrandas.

Altera condicio necessaria est *intentio lucrandi indulgentias*, quia susceptio omnium gratiarum et donorum in hoc ordine debet esse voluntaria. Sufficit autem intentio habitualis et implicita, quia haec intentio non ut causa efficit, sed ut condicio praerequiritur ad indulgentias. Si indulgentiae lucrandae sunt pro defunctis, non requiritur notitia et acceptatio rei ex parte animae defunctae; nam animae illae ad suam purgationem omnino passive se habent, et beneficium illis collatum unice pendet ex intentione dantis et acceptatione Dei (*Suarez*, Disp. 53, sect. 4, n. 10).

Tertia condicio est *status gratiae*, qui requiritur eo tempore, quo indulgentia conferenda est; nam manente culpa numquam remittitur poena. Unde indulgentiae vivis non conceduntur nisi „corde saltem contritis“. Ceterum si haec vel similis forma expresse additur, indulgentiam ne pro defunctis quidem quis lucrari potest in statu peccati mortalis, quia tunc inter opera praescripta est actus sufficiens ad acquirendum statum gratiae. Sin alia tantum opera diserte praescribuntur, *multi theologi putant etiam peccatorem lucrari posse indulgentiam pro defunctis*, quia status gratiae non requiritur ut causa indulgentiae sed ut dispositio ad eius effectum recipiendum. Ergo si effectus recipitur a defuncto, non requiritur status gratiae in vivente, qui implet condiciones. Ita e. g. *Suarez* (Disp. 53, sect. 4, n. 6), *Bellarmin.* (De indulg. l. 1, c. 14), alii. Quae opinio est omnino rationabilis. *De Lugo* secundum suam theoriam de elevatione operum praescriptorum contrariam sententiam sequitur (Disp. 27, sect. 5, n. 75).

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

PRAENOTANDA.

508. Sicut Confirmatio est perfectio quaedam Baptismi, ita *Extrema Unctio est consummatio Paenitentiae*, quatenus deletis per Paenitentiam peccatis Extrema Unctio etiam peccatorum reliquias abstergit. Conc. Trid. (sess. 14) ait: „Visum est sanctae Synodo praecedenti doctrinae de Paenitentia adiungere ea, quae sequuntur de Sacramento Extremae Unctionis; quod non modo Paenitentiae, sed et totius vitae christianae, quae perpetua paenitentia esse debet, consummationem existimatum est a Patribus. Primum itaque circa illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint; ita Extremae Unctionis Sacramento finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio munivit“ (*Denzinger* I. c. 785).

509. *Nomen* Extremae Unctionis inde est, quod hoc Sacramentum per modum unctionis extremo vitae tempore administratur et omnium unctionum extrema est. Unde aliae appellationes intelleguntur: Sacramentum exeuntium, oleum infirmorum etc. Apud Graecos vocatur ἄγιον ἔλαιον vel εὐχέλαιον, interdum θεῖον μύρον, χρίσμα δι' ἔλαιον etc.

Definiri potest: Sacramentum confortationis graviter aegrotantium (definitio metaphysica), constans ex unctione oleo benedicto in corporis sensibus facta, et ex precibus sacerdotis praescriptis (definitio physica). Cuius definitionis partes singulae in sequentibus explicabuntur.

SECTIO I.

DE EXSISTENTIA ET ESSENTIA EXTREMAE UNCTIONIS.

ART. I.

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

Prop. XXXVI. Extrema Unctio est verum Novi Testamenti Sacramentum.

510. Post Albigenses *existentiam huius Sacramenti negarunt novatores saec. XVI.* Lutherus quidem in sermone De Novo Testamento (a. 1520) n. 24 enumerat Unctionem inter Sacramenta, sed in libro De captivitate babyl. (a. 1520) modo haud mediocriter impudenti hoc Sacramentum reicit: „Ego dico: Si uspiam deliratum est, hoc loco [Iacobi 5, 14. 15, unde Catholici probant hoc Sacramentum] praecipue deliratum est. Omitto enim, quod hanc epistolam non esse apostoli Iacobi nec apostolico spiritu dignam multi valde probabiliter asserant, licet consuetudine auctoritatem, cuiuscumque sit, obtinuerit. Tamen si etiam esset apostoli, dicerem non licere apostolo sua auctoritate Sacramentum instituere. Hoc enim ad Christum solum pertinebat. Nusquam autem legitur in evangelio Unctionis istius Extremae Sacramentum.“ Vult nihilominus concedere esse aliquod ex Sacramentis, „quae nos instituimus, ut sunt salis et aquae consecratio et aspersio“. Calvinus negat et irridet hoc Sacramentum, quod vocat „histrionicam hypocrisim“ (Inst. I. 4, c. 19, n. 18). Nostrae quoque aetatis Protestantes hoc Sacramentum reiciunt.

511. *Arg. 1.* Ex Sacra Scriptura.

Iac. 5, 14. 15: „Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.“

Protestantes hunc textum aut explicant de usu olei ut naturalis medicamenti, cui apud Christianos accedat vis orationis, aut de gratia curationum huic signo alligata¹.

Conc. Trid. declarat: „Quibus verbis (Iac. 5, 14. 15), ut ex apostolica Traditione per manus accepta ecclesia didicit, docet [apo-

¹ Ita Hase (Polemik 2. Buch, 9. Kap.): „Nicht von einer Todesweihe redet der Brief des Jacobus, sondern von einer Heilung Kranker, durch ein dem ganzen Alterthum übliches Heilmittel, doch religiös bedingt durch das gläubige Gebet, und im Zusammenhange mit der wunderbaren Heilkraft der apostolischen Kirche, zu vollziehen durch die Presbyter, in denen als die Gemeinde repräsentirend vorzugsweise dieses Charisma wirksam gedacht wird.“

stolus] materiam, formam, proprium ministrum et effectum huius Sacramenti* (Denzinger I. c. 786). Unde inter Catholicos non est quaestio disputata, quis sit sensus verborum apostoli. Ante Tridentinum Caietanus docuerat: „Nec ex verbis [Iacobi] nec ex effectu verba haec loquuntur de sacramentali unctione Extremae Unctionis“ (In Iac. 5, 15 Commentar. [Edit. Lugdun. 1639] V, 370). Sed quod ante Trid. vix excusari poterat, post Trid. omnino non iam esset tolerabile.

512. Ita ex verbis Iacobi formare licet argumentum: Sacramentum est signum gratiae efficax. Atqui tale signum est Unctio, de qua Iacobus loquitur. Ergo haec Unctio est Sacramentum.

Prob. min.: Haec Unctio cum oratione sacerdotis est signum sensibile. Porro haec Unctio salvat et alleviat infirmum, et, si in peccatis est, remittentur ei; ergo haec Unctio dat gratiam. Unde indirecte apparet hanc Unctionem fuisse a Christo institutam; nam apostolus sua auctoritate non potuit hunc effectum cum Unctione coniungere; et cum apostolus usque ad illum versiculum praecepta divina inculcaverit, nulla est ratio, cur subito praeceptum non divinum, sed suum tradere dicatur. Tandem haec Unctio est in perpetuum instituta, quia, quamdiu finis instituti manet, tamdiu manere debet institutum ipsum, neque ullam limitationem temporis apostolus addit.

513. *Explicantur singula incisa verborum apostoli:* Agitur de homine graviter decumbente; ἀσθενεῖ τις, ἡ εὐχὴ σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος. Est igitur aegrotus, qui salvandus et erigendus est; quae omnia indicant statum periculosum.

Πρεσβύτεροι τῆς ἐκκλησίας est nomen, quo sacerdotes inde a veteribus temporibus appellari solent. Quamvis autem apostolus numero plurali utatur, non est putandum necessario debere omnes semper presbyteros vocari, quamvis nihil obstet, quominus Sacramentum a pluribus administraretur. Potest numerus pluralis significare unum ex presbyteris, ut *Estius* et alii explicant (cf. Luc. 17, 14). Ceterum saepe utimur plurali, quando volumus integram classem hominum significare; immo in Sacra quoque Scriptura, etiam sine speciali ratione, poni pluralem pro singulari iam *S. Augustinus* advertit (De cons. evang. l. 3, c. 16; *M* 34, 1191).

Ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι Κυρίου. Hic apostolus indicat hanc Unctionem debere fieri iussu et auctoritate Christi. Ita enim hanc formulam „in nomine Iesu“ saepe accipi in Scriptura notum est (cf. Luc. 10, 17. Act. 3, 6; 10, 48 etc.). Eo magis hoc loco haec verba ita accipienda sunt, quia orationem iam nominaverat apostolus (*προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτόν*), et nunc dicit praeter orationem debere fieri Unctionem in nomine Domini.

Ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως significat orationem, quae a fide (ecclesiae) procedit.

Ἡ εὐχὴ σώσει καὶ ἐγερεῖ. Nonnulli utrumque vocabulum interpretantur de sanatione corporis. Melius videtur prius illud referri ad corporis sanitatem (cf. Matth. 9, 22. Marc. 5, 23. Io. 11, 12), alterum vero ad confortationem animi (cf. Eph. 5, 14; Rom. 13, 11. 2 Petr. 3, 1), ne bis idem dicatur.

Κὼν ἁμαρτίας ἢ πεποιηκώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. Hic versiculus difficillimus explicatu est Protestantibus, quia, si apostolus affirmat Unctione cum oratione infallibiliter remitti peccata, non potest negari hoc esse Sacramentum. Student igitur explicare hoc ἀφεθήσεται tandem nihil aliud significare nisi curationem corporis, vel alio modo hoc vocabulum detorquent. Sed verba apostoli clara et simplicia sunt. Immo dicendum est apostolum effectum spiritualem tamquam principaliter intentum et unice certum considerasse; quia effectus corporae sanationis non potuit cum certitudine expectari; secus Extrema Unctio esset remedium certum contra mortem. Ergo semper et certe Unctio operabitur salutem spiritualem, secundario et condicionate, si ita melius fuerit aegroti, salutem corporis (cf. *Bellarmin.*, De Extr. Unct. l. 1, c. 3).

514. *Arg. 2. Ex SS. Patribus et theologis.*

SS. Patres saepe solent Extremam Unctionem intime iungere cum Sacramento Paenitentiae, quia effectum eius perficit et complet.

Origenes, postquam in Hom. 2 in Lev. n. 4 dixit Deum velle peccatori confitenti et dolenti remittere iniquitates, statim addit: „In quo impletur, quod apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros ecclesiae, et imponent ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini...“ (*M* 12, 419).

Cum Sacramentum Paenitentiae numquam administratum sit per unctionem neque possit administrari, Origenes his verbis significat ritum distinctum a Sacramento Paenitentiae. Ratio vero, cur ibi loquatur de Extrema Unctione, est, quia haec est genus quoddam paenitentiae, illo autem loco omnia genera paenitentiae enumerat.

S. Ioan. Chrysost. (De sacer. l. 3, n. 6) commemorat potestatem, quam sacerdotes habent, remittendi peccati, eamque probat ex Matth. 18 et Io. 20. Dein vero pergit: „Neque tantum, cum nos regenerant [sacerdotes], sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam infirmatur, inquit, quis in vobis?...“ (*M* 68, 644).

S. Innoc. I. (Ep. 25, n. 8, ad Decentium): „Sane quoniam de hoc, sicut de ceteris, consulere voluit dilectio tua, adiecit etiam filius meus Coelestinus in epistula sua esse a tua dilectione positum illud, quod in beati apostoli Iacobi Epistula conscriptum est: ‚Infirmatur quis...‘ Quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intellegi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis

licet in sua aut suorum necessitate inungendo. Ceterum illud superfluum videmus adiectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem a se visitandum, et benedicere et tangere chrismate sine cunctatione potest, cuius est ipsum chrisma conficere. Nam [publice] paenitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? (Denzinger I. c. 61; M 20, 559).

Fortasse quia Innocentius de chrismate loquitur, potest quis suspicari hic sermonem esse de Confirmatione. Sed hoc ita non est, cum immediate ante (n. 3) pontifex dixerit Confirmationem administrari non posse nisi ab episcopis, hanc autem Unctionem a sacerdotibus fieri posse doceat. Chrisma hoc loco latiore sensu significat Unctionem. Videtur autem pontifex innuere illis temporibus sacrum oleum non solum pro Extrema Unctione adhibitum esse, sed etiam per modum sacramentalis apud fideles in usu fuisse ad curandos morbos, sicut aqua quoque baptismali, immo interdum S. Eucharistia ad similes fines utebantur (cf. Serm. S. Gregor. Naz. de S. Gorgon.; M 35, 810).

S. Caesarius Arelatensis vel quicumque est auctor Sermonis 265 (n. 3) in append. Serm. S. August.: „Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille, qui aegrotat, accipiat, et inde corpusculum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: ‚Infirmatur quis.‘ . . . Videte, fratres, quia, qui in infirmitate ad ecclesiam concurrerit, et corporis sanitatem recipere et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere“ (M 39, 2238).

In Gregorii M. Sacramentario non solum benedictio olei Sacrae Unctionis, sed etiam modus administrandi hoc Sacramentum praescribitur (M 78, 233). Alii quoque libri liturgici iam inde a saeculo VII. exstant, in quibus ritus administrationis huius Sacramenti describitur (cf. e. g. Warren, Celtic Liturgy p. 168 sqq.).

Petrus Damianus in Serm. 1 de dedicatione ecclesiae: „Tertium [Sacramentum] est Unctio infirmorum. Infirmantibus nobis et usque ad mortem mortali peccatorum febre languentibus, Spiritus pietatis assistit et recordatus est, quoniam pulvis sumus. Ait enim divus Iacobus: ‚Infirmatur quis?‘ . . . Sollemnis Unctio, liquor excellens, quo sanitas redditur, peccatum dimittitur, immittitur timor Domini. Videsne, qualiter sacerdotalis manus corpus infirmantis alleviet et illecebrosam sensuum motionem sacratissima mitiget Unctione? Unde et sancti Patres hanc Unctionem Sacramentum esse sanxerunt“ (M 44, 899).

In Decreto Gratiani (causa 26, q. 7, c. 1) et iam ante eum apud Burchardum (18, 14; M 140, 941) et Ivoem (15, 27; M 161, 862) citatur canon, qui ascribitur Theodoro Cantuar., sed est ignoti auctoris,

in quo de infirmis in periculo mortis positus statuitur: „Ne illis ianua pietatis clausa videatur, orationibus et consolationibus ecclesiasticis, Sacra Unctione olei inuncti, secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.“ Alia testimonia habentur apud Migne (Curs. theol. t. 24, col. 32 sqq.).

515. Scholastici semper unanimiter hoc Sacramentum admiserunt cum Magistro (4. d. 23), quamvis quidam, ut Hugo Vict., Magister, Bonaventura doceant non esse ab ipso Christo Domino, sed ab apostolo Iacobo instinctu Spiritus Sancti institutum. Sed sententia opposita fuit semper communior et post Conc. Trid. unice admitti potest (cf. Suarez, De Paenit. disp. 39, sect. 2).

516. Arg. 3. Ex Conciliis.

Conc. Cabillonense II. (a. 813) can. 48: „Secundum beati apostoli Iacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. Sic enim ait: ‚Infirmatur quis.‘ . . . Non est itaque parvi pendenda huiuscemodi medicina, quae animae corporisque medetur languoribus.“

Conc. Ticinense (a. 850) c. 8: „Illud quoque salutare Sacramentum, quod commendat Iacobus apostolus dicens: ‚Infirmatur quis.‘ . . . sollerti praedicatione populis innotescendum est; magnum sane ac valde appetendum mysterium, per quod, si fideliter poscitur, et remittuntur peccata, et consequenter corporalis salus restituitur.“ Similiter alia Concilia, ut Moguntinum (a. 847) c. 26, Wormatiense (a. 868) can. 72, alia (cf. Denzinger I. c. 370. 388. 595).

Conc. Trid. (sess. 14, can. 1 de Extr. Unct.): „S. q. d. Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum et a B. Iacobo apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus aut figmentum humanum; A. S.“ (Denzinger I. c. 804.)

517. Arg. 4. Ex consensu ecclesiarum orientalium.

In Euchologio Graecorum benedictio et administratio Extremae Unctionis describitur (Goar, Euchol. p. 408 sqq. 431 sqq.). — Graeci schismatici fidem huius Sacramenti saepe professi sunt. Ita e. g. Hieremias Patriarcha: „Sacrum quoque Oleum inter Sacramenta traditum est ut divinae misericordiae signum, quod redemptionis et sanctificationis causa homini se a delictis et peccatis convertenti impertitur. Ideo etiam remissionem affert peccatorum et ex infirmitatibus corporis erigit“ (Schelstrate, Acta orient. eccl. I, 202). Ritus aliorum Orientalium haereticorum refert Denzinger (Rit. Orient. II, 483 sqq.), qui dicit apud Nestorianos et Armenos hoc Sacramentum in desuetudinem abiisse, quamvis in eorum libris ritualibus ordines huius Sacramenti exstant (I. c. I, 184).

518. *Arg. 5. Confirmatio ex Ratione.*

Convenientia huius Sacramenti facile ostendi potest, et eo magis ostendi debet, quod Protestantes obicere solent huic Sacramento a Catholicis debitum locum inter reliqua Sacramenta assignari non posse.

Omne quidem Sacramentum pro proximo fine habet vel primam gratiam vel augmentum gratiae sanctificantis. Nihilominus hic finis non erat ratio instituendi diversa Sacramenta. Sed haec ratio erat specialis gratia sacramentalis cuiuslibet Sacramento propria. Sicut igitur Baptismus institutus est propter gratiam regenerationis, Confirmatio propter gratiam perfectionis, Eucharistia propter gratiam spiritualis nutritionis, Paenitentia propter gratiam iudicialis absolutionis, ita Extrema Unctio instituta est ad conferendam hominibus gratiam *spiritualis medicinae*, qua indiget tempore morbi periculosi.

Est autem *duplex infirmitas* ex peccato consequens: infirmitas spiritualis, quae consistit in conscientia peccatorum commissorum, in trepidatione divini iudicii, in metu tentationum daemonis; et infirmitas corporis, quae etiam ex sua parte infirmitatem spiritualem augere solet.

Convenienter igitur Christus providit, ut duplici huic morbo sanando medicina sacramentalis praesto esset, qua confortaretur infirmus tum spiritualiter tum, si ei esset salutare, etiam corporaliter. Hoc enim Sacramento Deus movetur, ut difficili et periculoso tempore mortiferae aegrotationis eas gratias concedat, quae per modum medicinae ad sanandam infirmitatem valeant. Quamvis autem Deus etiam propter alia Sacramenta possit has gratias concedere, tamen convenienter institutum est ad hoc speciale Sacramentum, quod etiam in ratione signi naturam medicinae prae se fert. Diversitas enim Sacramentorum non ideo instituta est, quia Deus variis signis indiget, sed quia humanum est varias res variis quoque signis exprimere; Sacramenta autem sunt propter homines.

519. *Schol. Docet Conc. Trid. Sacramentum Extremae Unctionis esse „apud Marcum insinuatum“* (Denzinger, Enchir. 786). Verba, quae hic respicit Trid., sunt Marc. 6, 13: Apostoli „ungebant oleo multos aegrotos et sanabant“.

Quaeritur, *utrum unctio haec fuerit Sacramentum Extremae Unctionis* an figura tantum et adumbratio quaedam huius Sacramenti. *Quidam theologi* priorem explicationem amplectuntur, ut *Maldonatus* (De Extr. Unct. q. 1), *Sainte-Beuve* (De Extr. Unct. disp. 2, art. 1. *Migne*, Curs. theol. t. 24, col. 19), alii. Qui student hanc sententiam probare auctoritate quorundam expositorum S. Scripturae, ut *Victoris Antiocheni* (Cyrilli potius Alexandr.), *Theophylacti*, *Bedae*; deinde ex verbis illis Concilii Trid., tandem ex rationibus internis.

Alter sententia est longe communior, quam defendunt *Bellarminus* (De Extr. Unct. c. 2), *Suarez* (Disp. 39, sect. 1, n. 4), *Benedict. XIV.* (De synodo l. 8, c. 1, n. 2), alii. Rationes huius sententiae sunt:

a) admittendum non videtur eo tempore apostolos iam administrasse hoc Sacramentum, quo nondum erant sacerdotes;

b) ex toto contextu ibi sermo est de dono miraculosae curationis morborum corporalium;

c) non dicuntur apostoli baptizatos tantum unxisse, sed quoslibet.

Recte tamen admittitur apostolos iussos fuisse a Christo uti oleo, ut haec sit praefiguratio quaedam Sacramenti postea instituendi, seu, ut ait Catechismus Rom., ut „Salvator huius Unctionis specimen quoddam dedisse visus sit“ (P. 2, c. 6, n. 8).

ART. II.

DE ESSENTIA EXTREMAE UNCTIONIS.

Prop. XXXVII. *Materia remota Extremae Unctionis est oleum olivarum benedictum, materia autem proxima est ipsa unctio.*

520. *Pars I. Materia remota est oleum.*

S. Iacobus ait: *Ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ.* Oleum autem simpliciter et maxime oleum, quo veteres ad ungenta corpora uti solebant, est olivarum.

Id ipsum confirmat Traditio, quia, ubicumque materia huius Sacramenti indicatur, semper dicitur esse oleum. Iam *S. Cyrillus Alexandr.* (Victor Antioch.) in Commentario ad Marcum (6, 13) haec habet: *Τὸ δὲ „ἄλειψον ἐλαίῳ“ μόνος ἔφη ὁ Μάρκος, ᾧ καὶ Ἰάκωβος ἐν τῇ καθολικῇ τὰ ὅμοια λέγει: „ἀσθενεῖ τις.“ . . . Τὸ ἔλαιον καὶ κόπους ἔχει καὶ φωτὸς αἴτιον καὶ ἰλαρότητος ὑπάρχει. Σημαίνει οὖν τὸ ἀλειφόμενον ἔλαιον καὶ τὸ παρὰ τοῦ θεοῦ ἔλεον καὶ τὴν ἴασιν τοῦ νοσήματος καὶ τῆς καρδίας τὸν φωτισμόν. ὅτι γὰρ ἡ εὐχὴ τὸ πᾶν ἐνεργεῖ παντί που δῆλον τὸ δὲ ἔλαιον, ὡς γε οἶμαι σύμβολον τούτων ὑπῆρχε* (Catena graec. Patrum I [Ed. I. A. Cramer. Oxonii 1854], 324. Cf. p. XXII sqq.).

Oleum olivarum praescribunt omnia *Ritualia* ecclesiarum occidentalis et orientalium; et in precibus, quibus oleum benedicitur, semper supponitur oleum olivarum. Etiam varia Concilia docuerunt oleum olivarum esse materiam huius Sacramenti, ut *Conc. Florent.* (Denzinger l. c. 595) et *Conc. Trid.* (Denzinger l. c. 786). Inter theologos nulla umquam de hac re fuit dubitatio. E. g. *S. Thomas* docet: „Quia oleum principaliter nominatur olivae liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum olei nomen accipiunt, ideo oleum olivae etiam debet esse, quod assumitur in materiam huius Sacramenti“ (Suppl. q. 29, a. 6. Cf. *S. Alph.* l. 6, n. 708).

521. *Convenientiam huius materiae* ita describit Catechismus Romanus: „Aptissime haec materia illud significat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur; nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores

magnopere proficit, ita Sacramenti virtus animae tristitiam ac dolorem minuit. Oleum praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert et lumini tamquam pabulum praebet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quae omnia, quid in aegrotis divina virtute per huius Sacramenti administrationem efficiatur, declarant^a (P. 2, c. 6, n. 5).

Patet autem per se, si minimum quid alius materiae, ut balsami, admisceatur, quamvis nunc sit contra praeceptum ecclesiae, tamen non destrui naturam olei neque fieri materiam invalidam (cf. Suarez, Disp. 40, sect. 1, n. 10).

522. Pars II. Oleum debet esse benedictum.

Benedictionem olei esse saltem de necessitate praecepti nullo modo in dubium vocari potest, quia et *Ritualia* hanc benedictionem praescribunt, et iam *Innocentius I.* et *Concilia* supra citata eam indicant. Conc. Trid. dicit: „Quibus [Iacobi] verbis, ut ex apostolica Traditione per manus accepta ecclesia didicit, docet [apostolus] materiam . . . huius salutaris Sacramenti. Intellexit enim ecclesia materiam esse oleum ab episcopo benedictum“ (*Denzinger* l. c. 786). Duo decreta romanorum pontificum de hac re exstant: „Sanctissimus D. N. D. Paulus V. in congregatione generali [Inquisitionis] coram se habita praevio maturo examine et censura propositionis sequentis: „quod nempe Sacramentum Extremae Unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit“, auditis DD. Cardinalium suffragiis declaravit dictam propositionem esse temerariam et errori proximam.“ Hoc decretum factum est die 13. Ian. 1655. Alterum decretum est de die 4. Sept. 1842 approbatum a Gregorio XVI.: „In congregatione generali habita in conventu S. Mariae supra Minervam coram eminentissimis et reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus, proposito dubio, an in casu necessitatis parochus ad validitatem Sacramenti Extremae Unctionis uti possit oleo a se benedicto, iidem Eminentissimi decreverunt negative ad formam decreti feriae V. coram SS. diei 13. Ian. 1655“ (*Denzinger* l. c. 1494 sq.). Simile responsum datum est die 12. Ian. 1850 etiam pro eo casu, quando agitur de moribundo sensibus destituto, qui nullum dedit doloris signum.

523. Ergo benedictio olei, per se ab episcopo facienda, est necessaria ad valorem Sacramenti; nam purum praeceptum cessaret in casu extremae necessitatis. Ergo dicendum est hanc rem ita a Christo esse ordinatam, quam ordinationem novimus ex Traditione. *Rationem*, cur Christus hanc benedictionem praescripserit, *S. Thomas* eandem affert ac pro consecratione chrismatis, scilicet quia Christus usu suo seu contactu ipse non consecravit hanc materiam, ut consecravit aquam (Suppl. q. 29, a. 5), et quia ex altera parte convenit materiam

naturalem consecrari, priusquam adhibeatur ad effectus supernaturales producendos. *Episcopalis* vero benedictio per se requiritur, quia hoc Sacramentum institutum est ad plenissimum effectum curationis spiritualis producendum, et ideo convenit oleum ab eo consecrari, qui habet plenam potestatem ordinis (cf. Suarez, Disp. 40, sect. 1).

524. Nihilominus ex delegatione summi pontificis potest etiam simplex sacerdos oleum benedicere. Ait enim Clemens VIII. in Instructione iam supra (n. 297) citata: „Non sunt cogendi presbyteri graeci, olea sancta, praeter chrisma, ab episcopis latinis dioecesanis accipere, cum huiusmodi olea ab iis in ipsa oleorum et Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur seu benedicantur.“ Idem confirmavit Benedictus XIV. in Bulla „Etsi Pastoralis“ die 26. Maii 1742, qui pontifex in opere suo De synodo dioecesana (l. 8, c. 1, n. 4) dicit „profecto posse saltem ex commissione, sive expressa sive tacita, romani pontificis a simplici sacerdote praeparari materiam aptam ad conficiendum Sacramentum Extremae Unctionis, res videtur exploratissima, quam nemini liceat in quaestionem adducere, siquidem in ecclesia orientali mos viget, a mille et amplius annis ab ea receptus, ut ipsimet presbyteri . . . oleum benedicant.“ Ergo relinquenda est sententia quorundam doctorum contrarium docentium, ut *Suaresii* (Disp. 40, sect. 1, n. 8).

525. *Utrum oleum debeat esse benedictum in ordine ad Unctionem*, an sufficiat quodlibet oleum ab episcopo benedictum, non convenit inter theologos. Unde in praxi tutior sententia eligenda est, nisi forte in necessitate Extrema Unctio administretur chrismate vel oleo catechumenorum sub condicione (*S. Alphons.* l. 6, n. 709). Extra casum extremae necessitatis utendum est oleo infirmorum a proprio ordinario benedicto. Si oleum benedictum ante tempus defuturum praevideatur, addendum est aliud non benedictum in minore quantitate.

526. Pars III. Materia proxima est ipsa unctio.

Quod monet Catech. Roman. de Baptismo, idem valet de Extrema Unctione, videlicet oleum ipsum benedictum non esse Sacramentum, sed usum olei; unicum enim Sacramentum permanens est S. Eucharistia, quia alia omnia Sacramenta, quorum materia est aliqua substantia corporea, extra usum neque signa neque causae gratiae sunt (Suarez, Disp. 40, sect. 2).

527. Praescribuntur in Rituali Romano septem unctiones, et quidem, ut secundum S. Thomam (Suppl. q. 32, a. 6) ait Concil. Florent.: „In oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem“ (*Denzinger* l. c. 595).

Unctio renum est omittenda in feminis; ergo *non est necessaria* ad valorem Sacramenti. Similiter omittenda est in aegroto, qui difficulter moveri potest; ergo qualibet ex rationabili causa licite omitti potest; rationabilis autem causa est etiam vigens consuetudo. Immo duae unctiones renum *et pedum*, „licet sint in usu romanae ecclesiae, ut est particularis ecclesiae, non vero sunt in usu omnium ecclesiarum, atque adeo nec universalis ecclesiae, ut omnes auctores referunt, quos statim insinuabo. Qui consequenter de his duabus unctionibus fatentur non esse necessarias; immo de unctione renum aliqui censent convenientius esse illam omittere, ut Suppl. Gabr. d. 23, q. 1, a. 2; Soto, Quaest. 2, a. 3; Victoria in Summa n. 223“ (Suarez, Disp. 40, sect. 2, n. 6). „Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma“, ait Rituale Rom. (De Extr. Unct. c. 1, n. 18).

528. *Cur quinque sensus ungantur, S. Thomas hanc rationem reddit:* „Hoc Sacramentum per modum curationis exhibetur. Curatio autem corporalis non oportet quod fiat per medicinam toti corpori appositam, sed illis partibus, ubi est radix morbi. Et ideo etiam unctio sacramentalis debet fieri in illis partibus tantum, in quibus est radix spiritalis infirmitatis. . . . Anima quamvis sit tota in qualibet parte corporis quantum ad essentiam, non tamen quantum ad potentias, quae sunt radices actuum peccati. . . . Principia peccandi sunt in nobis eadem, quae et principia agendi, quia peccatum consistit in actu. Principia autem agendi sunt in nobis tria: primum est dirigens, scilicet vis cognoscitiva; secundum est imperans, scilicet vis appetitiva; tertium est exsequens, scilicet vis motiva. Omnis autem nostra cognitio a sensu ortum habet. Et quia, ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet medicina adhiberi, ideo inunguntur loca quinque sensuum . . . et propter appetitivam inunguntur aliquibus renes; pedes autem inunguntur propter motionem, quia sunt principalius eius instrumentum. Et quia primum principium operationis humanae est cognoscitiva, ideo illa unctio ab omnibus observatur, quae fit ad quinque sensus quasi de necessitate Sacramenti; sed quidam non servant alias; quidam vero illam servant, quae fit ad pedes et non quae ad renes, quia appetitiva et motiva sunt secundaria principia“ (Suppl. q. 32, a. 5 et 6).

529. Ex his apparet S. Thomam censuisse unctionem quinque sensuum necessariam ad valorem Sacramenti; quae erat satis communis opinio inter veteres. Attamen multi recentiores theologi putant unicam unctionem sufficere ad valorem Sacramenti (cf. *Ballerini*, Opus mor. t. 5 de Extr. Unct., n. 13 sqq.). Optimum huius sententiae fundamentum est diversa praxis variarum ecclesiarum. Graeci enim unguunt frontem, mentum, genas, manus (*Goar*, Euchol. p. 440). In *Sacramentario Gregorii M.* haec de Extrema Unctione praescribuntur: Sacerdos „sic perungat infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo in

collo et gutture, et inter scapulas et in pectore, seu in loco, ubi plus dolor imminet, amplius perungatur“; dein sequuntur orationes in Unctione adhibendae, et post orationes haec nota ponitur: „Multi enim sacerdotum perungunt insuper in quinque sensibus corporis, i. e. in superciliis oculorum et in naribus deintus et in narium summitate sive exterius et in labiis exterius et in manibus exterius, i. e. deforis“ (*M* 78, 235 sq.). Saec. IX. Theodulfus Aurelianensis statuit duodecim vel quindecim signa crucis oleo sancto super infirmum faciendae esse, sed notat: „Apostoli autem ungentes oleo infirmos non amplius quam tres cruces cum oleo faciunt, fundentes cum ampulla oleum infirmorum in crucis modum super caput et vestimenta et totum corpus infirmi, incipientes crucem a capite usque ad pedes, in transverso a manu dextera usque ad brachia et pectus usque ad sinistram manum“ (*M* 105, 221). Albertus M. ait: „Diversarum ecclesiarum et ordinum diversus est usus, quia in quibusdam ecclesiis unguuntur loca plura, et in quibusdam pauciora“ (In 4, d. 23, a. 16). In variis quoque Ritualibus latinis pro quibusdam saltem casibus praescribitur una tantum unctio sive pectoris sive frontis sive unius sensus (cf. *Benedict. XIV.*, De synodo dioec. l. 8, c. 3, et *Antoine*, Theolog. moral. [Editio Augustan. 1760] de Extr. Unct. p. 251).

530. Ergo cum neque ex usu ecclesiae neque ex definitione ullius Concilii demonstrari possit necessitas unctionis quinque sensuum, et cum apostolus nihil postulet, nisi ut ungetur infirmus, *multo probabilior videtur sententia, quae negat hanc necessitatem*, cum secus unctiones Graecorum et multae aliae invalidae habendae sint. Quare unctio capitis, in quo est radix omnium sensuum et organum centrale, omnino sufficere videtur.

Omnes autem concedunt geminam unctionem singulorum sensuum et ordinem unctionum non pertinere ad valorem Sacramenti (*S. Alphons.* l. 6, n. 710). Attamen praecepta ecclesiastica quoad hanc rem sunt servanda. In casu autem necessitatis, si aegrotus censetur mox moriturus, unica unctio sub una forma omnino adhibenda est (cf. *Benedict. XIV.*, De Syn. l. 8, c. 3, n. 5).

Quod unctiones faciendae sunt in modum crucis, est quidem de praecepto, non tamen de necessitate. Item ostendi non potest unctionem debere necessario fieri immediato contactu manus sacerdotis, cum non sit manus impositio; ergo in periculo infectionis fieri potest aliquo instrumento.

Prop. XXXVIII. Forma Extremae Unctionis est oratio significans effectum Sacramenti.

531. *Forma huius Sacramenti in ecclesia latina* haec est: „Per istam Sanctam Unctionem et suam piissimam misericordiam in-

dulgeat tibi Dominus, quidquid per visum (auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum, lumborum delectationem) deliquisti."

Forma graeca est haec: „Pater sancte, animarum et corporum medice, qui Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum, omnem morbum curantem et ex morte nos liberantem misisti, sana quoque servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate et vivifica illum per Christi tui gratiam; intercessionibus [recitantur sanctorum nomina] et omnium sanctorum. Amen.“ (*Goar, Euchol.* p. 417.)

Aliae formae habentur apud *Martène*, qui varios et antiquissimos ritus recenset (*De antiq. eccl. rit. l. 1, c. 7, a. 4, p. 301 sqq.*). In ordine quarto haec forma est: „Ungo te oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Dei et Domini nostri, ut fugatis omnibus doloribus vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus et salus, quatenus per huius operationem mysterii et per hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem, virtute sanctae Trinitatis medicatus sive fatus pristinam et immelioratam recipere merearis sanitatem per Christum. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti sit tibi haec perunctio olei sanctificati ad purificationem mentis et ad sanitatem corporis. Amen.“ Eadem fere forma est in ordine quinto. Ordo octavus: „Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, in virtute Spiritus Sancti, eius [unus?] in Trinitate Deus, miserere huic famulo tuo et tribue ei remissionem omnium peccatorum et recuperationem ab imminente aegritudine per hanc sanctam unctionem et nostram supplicem deprecationem. Qui vivis...“ Ordo nonus: „Ungo te oleo sanctificato in nomine Domini, ut more militis unctus praeparatus ad luctam possis aereas superare catervas. Per...“ Ordo decimus: „In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti sit tibi haec perunctio olei sanctificationis ad purificationem mentis et corporis in vitam aeternam. Amen.“ Ordo tertius decimus: „In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti regnantis in saecula saeculorum. Accipe sanitatem corporis et remissionem omnium peccatorum tuorum.“ *Aliae formae*, quae ibidem afferuntur, magis conveniunt cum ea, quae nunc est in Rituali rom. Saec. IX. dicebat *Theodulphus Aurelianensis* (*M 105, 221*) a Graecis usurpari hanc formam: „Ungo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut oratio fidei salvet te et alleviet te Dominus, et, si in peccatis sis, remittantur tibi.“

His omnibus formis consideratis erui potest, quid in forma sit essenziale, quid non. Nam dicendum non est in tota ecclesia graeca vel etiam in aliqua particulari ecclesia Sacramentum Extremae Unctionis toto tempore, quo certa Ritualia erant in usu, invalide fuisse administratum. Ergo ea tantum censerentur debent essentialia, quae omnibus formis communia sunt.

532. *Essentialia ea tantum sunt verba, quae enuntiant actionem unctionis et effectum Sacramenti, i. e. sive generatim deletionem reliquiarum peccati, ut „indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti“, sive speciatim sanitatem corporis et sanctificationem animae, ut in forma graeca.*

Necessaria non est nominatio sensuum, sive generatim sive speciatim facta; deest enim in forma graeca et in multis aliis. Ex eadem ratione expressio misericordiae Dei non est de valore. Ergo forma latina sufficienter enuntiatur, si dicitur: „Per istam Unctionem indulgeat tibi Deus.“ Ita recte Sainte-Beuve (De Extr. Unct. disp. 4, art. 3; Migne, Curs. theol. t. 24, col. 98).

Fatendum quidem est communiter theologos docere necessitatem nominationis sensuum; attamen qui hanc sententiam defendunt, eam plerumque ut probabilem tantum defendunt (*Suarez, Disp. 40, sect. 3, n. 17*), quia putant contrarium usum numquam fuisse in ecclesia (*ibid. Disp. 41, sect. 3, n. 6*), id quod falsum est. Tandem semper fuerunt theologo, qui aliter docerent. Ergo auctoritas theologorum non potest valere ad damnandum usum, qui certe observatus est in ecclesia et adhuc observatur.

533. *Utrum verba necessario proferenda sint modo deprecativo, an etiam valide proferri possint modo indicativo, saepe disputatum est inter theologos. „Multis theologis visum est non esse de essentia huius formae, ut per modum deprecationis proferatur“ (Suarez, Disp. 41, sect. 3, n. 5). Hanc sententiam defenderunt inter veteres Richardus, Paludanus, Durandus; inter recentiores Tournely (De Extr. Unct. a. 2. Dico 1), Becanus, Juenin, alii. Tanner ait: „Quia multi theologo docent sufficere formam indicativam, fatendum est etiam oppositam hanc sententiam esse probabilem, praesertim quia satis constat quasdam ecclesias iam olim usas fuisse forma indicativa“ (De Extr. Unct. q. 1, dub. 1, n. 22).*

Ergo auctoritate theologorum quaestio dirimi nequit. Si vero respicimus praxin variarum ecclesiarum, negari non potest occurrere formas, quae secundum constructionem grammaticam sunt mere indicativae, ut sufficienter videre est in exemplis allatis. Quodsi quis dicere velit fortasse ibi non contineri integram formam et alia quoque verba deprecativa addita esse, affirmat, quod probare nullo modo potest; et si pertinaciter insistat, merito ei obicit *Martène*: „Nec omnibus argumentationum suarum cavillationibus formas absolutas convellere poterunt, quas omnis approbavit antiquitas“ (*l. 1, c. 7, a. 3, n. 9*). Contra facta enim historica non est disputandum. Itaque absque haesitatione dicendum videtur *formam huius Sacramenti posse esse materialiter indicativam, sicut supra diximus, formam Sacramenti Paenitentiae posse esse materialiter deprecativam. Merito enim dicit Benedictus XIV.: „Nescimus, quo pacto possit deprecatio inveniri in formis*

ex pluribus antiquis Ritualibus a Menardo et Martène productis, in quibus solum adhibetur verbum „ungo“ absque alio additamento, e quo deprecatio colligi aut fingi queat“ (De Syn. l. 8, c. 2, n. 3).

534. *Formaliter vero, i. e. secundum sensum verba utique debent esse deprecative*, ea saltem ratione, ut sit „oratio fidei“; nam talem apostolus postulat. At sub hoc respectu Sacramentum Unctionis ab aliis non differt, in quibus etiam verba proferuntur „in nomine Domini“ tamquam oratio ad impetrandum effectum, et ideo forma Sacramentorum a Patribus vocari solet „oratio“. In Paenitentia et Matrimonio ratione prius ante Sacramentum existit sententia iudicialis, respective contractus, quae utique exprimi non possunt per deprecationem formalem; et dein in signo posteriore haec sententia et hic contractus evehuntur ad signum sacramentale. In Eucharistiae vero confectione verba directe non produunt effectum gratiae, sed sunt assertio practica de praesentia corporis et sanguinis Christi. His igitur tribus Sacramentis exceptis in omnibus aliis Sacramentis forma est eodem modo secundum sensum deprecatoria atque in Extrema Unctione; neque ullum solidum argumentum proferri potest, cur in Extrema Unctione forma debeat esse magis deprecatoria quam in aliis Sacramentis; nam neque ex verbis apostoli, neque ex usu et doctrina ecclesiae plus quoad hoc Sacramentum probari potest, quam quoad omnia alia. Quod autem dicunt hoc Sacramentum ideo per modum deprecationis confici debere, quia nullum habet effectum, qui impediri non possit, imprimis est sola ratio convenientiae ostendens fortasse, cur ita sit, si aliunde iam constat, quod ita sit; deinde vero aliquis effectus semper adest, ut scilicet Sacramentum sit valide susceptum, licet informe maneat. Hoc enim fieri posse neque negant theologi, qui contrariam sententiam defendunt, neque convenienter negare possunt. „Sufficit enim, ut Sacramentum hoc in eodem morbo iterari non possit, ut expediat habere suum effectum recedente fictione. . . . Non enim debet tunc homo privari ope huius Sacramenti; alioquin deberet iterum illud recipere“ (Suarez, Disp. 41, sect. 1, n. 23).

535. *Schol.* Quamvis in hoc Sacramento interveniat multiplex materia et forma, est nihilominus *unum numerice Sacramentum*, quia omnes partes componentes unum signum constituunt et ad unum effectum diriguntur. Neque enim diversis unctionibus et formis diversi effectus, sed unus totalis effectus significantur. Unde etiam hoc Sacramentum habet unitatem specificam seu unam definitionem, qua ab aliis Sacramentis distinguitur. Ideo Concilia et theologi de hoc Sacramento semper loquuntur ut de uno ex septem (Suarez, Disp. 40, sect. 4).

SECTIO II.

DE EFFECTIBUS EXTREMAE UNCTIONIS.

Prop. XXXIX. Effectus Extremae Unctionis absoluti sunt augmentum gratiae sanctificantis et deletio reliquiarum peccati seu confortatio animi, condicionatus vero effectus est restitutio sanitatis corporis.

536. *Pars I.* Effectus huius Sacramenti est augmentum gratiae sanctificantis.

Omne Sacramentum est signum efficax gratiae, aut primae aut secundae. Atqui sola Sacramenta Baptismi et Confessionis instituta sunt ad dandam gratiam primam (*Conc. Trid. sess. 14, c. 1 et 2*). Ergo Extrema Unctio supponit et auget gratiam sanctificantem. Qui igitur sciens se esse in statu peccati mortalis hoc Sacramentum suscipit, novum peccatum committit. Sufficit autem ad hoc Sacramentum digne suscipiendum actus contritionis perfectae; nam pro sola Eucharistia suscipienda confessio est praescripta. Sed „ex generali ecclesiae consuetudine observandum est, ut, si tempus et infirmi condicio permittat, ante Extremam Unctionem Paenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebentur“ (*Rit. Rom. de Extr. Unct. c. 1, n. 2*). Hoc non obstante „suscipere Extremam Unctionem ante viaticum aut nullum erit peccatum aut vix veniale“ (*S. Alphons. l. 6, n. 716*).

537. Nihilominus *potest interdum Extrema Unctio infundere gratiam primam*. Idem theologi statuunt quidem communiter etiam de aliis Sacramentis vivorum, sed hic effectus in hoc Sacramento multo certior est quam in aliis Sacramentis vivorum; immo plerique theologi docent quoad hoc Sacramentum hanc sententiam esse omnino certam, cum quoad alia sit probabilis tantum.

Ratio est, quia apostolus simpliciter dicit: „Et si in peccatis sit, remittentur ei.“ Quamvis enim modo loquendi satis indicet hanc remissionem non esse primario intentam, quia eam condionate tantum adiungit, postquam primarium effectum iam indicavit, tamen tam illimitate hunc secundarium effectum effert, ut recte concludamus hoc Sacramentum valere ad delenda omnia peccata, quae in anima inveniant, dummodo attritione retractata sint, et Sacramentum bona fide suscipiatur. Quapropter *in forma sine limitatione* dicitur: „Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti.“ *Conc. Trid. c. 2* docet: „Res [huius Sacramenti] gratia est Spiritus Sancti, cuius Unctio delicta, si quae sint adhuc expianda . . . abstergit“ (*Denzinger l. c. 787*). Et *can. 3*: „S. q. d. Sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam nec remittere peccata . . . A. S.“ (*Denzinger l. c. 305*.) Possunt quidem haec sufficienter explicari de peccatis venialibus, sed cum sine

limite dicantur, etiam sensu magis obvio accipiuntur sine limite, quando neque ex natura rei, neque ex analogia fidei aliud postulatur (cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 30, a. 1; *Suarez*, Disp. 41, sect. 1, n. 15 et 19; *S. Alphons.* l. 6, n. 731).

538. Dicendum autem est *hoc Sacramentum per se producere hunc effectum, non per accidens*, ut Confirmatio et Eucharistia. Nam institutum est ad hoc, ut sit totius vitae christianae consummativum, quemadmodum ait Tridentinum, seu ut proxime disponat animam ad introitum gloriae. Ergo ex institutione sua removet omnem obicem, quo anima impeditur ab introitu gloriae, et consequenter, si invenit obicem peccati mortalis, eum removet, quamvis ex primario suo fine supponat hunc obicem iam remotum. Itaque si aegrotus habet peccatum, quod invincibiliter ignorat, vel quod alio remedio hic et nunc non potest delere, et quod nihilominus aliqua saltem universali attritione retractavit, Christus voluit, ut in hoc speciali casu peccatum mortale Extrema Uctione deleteretur. „Commendatque hoc maxime Christi Domini prudentiam circa salutem aeternam hominum illiusque desiderium; nam quia ab illo momento aeternitas pendet, et damnum, quod tunc incurritur circa aeternam salutem, irreparabile est, potestque multis de causis contingere, ut vel alia remedia applicari non possint, vel certe sine effectu applicata sint, ideo huic extremo remedio propriam virtutem tribuit, ad supplendum hunc defectum subveniendumque homini in tanto periculo constituto“ (*Suarez*, Disp. 41, sect. 1, n. 16).

Pars II. Principalis effectus huius Sacramenti est deletio reliquiarum peccati seu confortatio animi.

539. Nondum explicatum est, *qui sit finis proprius et per se intentus huius Sacramenti*; nam infusio gratiae sanctificantis est effectus communis omnibus Sacramentis, remissio vero peccati mortalis est effectus secundarius tantum Extremae Uctionis. Sententia igitur satis communis est finem primarium esse deletionem reliquiarum peccati: „Dicendum, quod principalis effectus huius Sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati“ (*S. Thomas*, Suppl. q. 30, a. 1). Et favet *Tridentinum* (*Denzinger* l. c. 787).

540. *Quid est deletio reliquiarum peccati?* Multi dicunt nihil aliud esse nisi remissionem peccatorum venialium, ut finis primarius Extremae Uctionis sit remissio peccati venialis. Sed hoc non videtur admittendum, quia ad omnia peccata sive mortalia sive venialia remittenda institutum est Sacramentum Paenitentiae. Deinde secundum hanc sententiam non apparet, cur Extrema Uctio suscipi non possit nisi ab aegroto; nam etiam homini sano quam maxime convenit remedium peccati venialis. Tandem si hic esset finis primarius, ille, qui fortasse

commisisset solum peccatum mortale, post quod condonatum per paenitentiam statim apoplexia tangeretur et usu rationis destitueretur, antequam ullum peccatum veniale commisisset, non posset suscipere hoc Sacramentum; nam qui effectus primarii est incapax, non videtur propter alios effectus Sacramentum suscipere posse, sicut mulier non potest suscipere Ordinem, quia incapax est characteris, licet aliorum effectuum capax sit.

Si quis vero cum *Durando* (In 4, d. 23, q. 1, n. 7) dicere vellet hoc Sacramentum primario esse ad excitandum bonum motum, quo peccatum deletur, deberet dicere homini sensibus usque ad mortem destituto non posse Sacramentum prodesse, id quod est falsum.

541. Eaedem fere rationes probant *Sacramentum hoc non esse primario institutum ad delendum reatum poenae temporalis*, quia ad hunc delendum alia remedia instituta sunt; ergo non oportuit novum hoc remedium institui. Praeterea si Extrema Uctio primario esset instituta ad delendam vel aliquam culpam vel poenam, deberet recipi in omni mortis periculo, etiam non proveniente ex morbo. At in solo morbo periculoso recipi potest. Secundario utique hoc Sacramentum delere potest et peccatum veniale et reatum poenae temporalis, ut omnes fatentur, quia removet omnia, quae impediunt introitum gloriae. Quantam vero poenam auferat, pendet ex dispositione suscipientis; neque enim operatur ut spiritualis generatio, sed ut medicina, quae eo efficacior est, quo melior est dispositio utentis ea.

Ergo qui dicunt primarium effectum huius Sacramenti esse abstersionem reliquiarum peccati, debent hoc aliter explicare.

542. *Primarius effectus Extremae Uctionis est confortatio animae*, qua tollitur infirmitas spiritualis remanens ex peccatis. Haec enim infirmitas spiritualis numquam periculosior est quam in extremo agone. „Nam (ut ait *Conc. Trid.*) etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes versutiae suae nervos intendat ad perdendos nos penitus et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit“ (*Denzinger* l. c. 785).

Infirmitas autem mentis triplex est: Diffidentia quaedam propter peccata praeterita, pusillanimitas propter aerumnas praesentes, trepidatio propter instantem cum hoste luctam. Ergo hoc Sacramentum contra diffidentiam auget fiduciam, contra pusillanimitatem affert hilaritatem, contra trepidationem dat alacritatem. Producit autem hos effectus dando gratiam sanctificantem cum iure ad auxilia actualia, quae necessaria sunt ad has molestias superandas.

Unde *Conc. Florent.* simpliciter docet: „Effectus est mentis sanatio“ (*Denzinger* l. c. 595). *Conc. Trid.*: „Res [i. e. effectus]

gratia est Spiritus Sancti, cuius Unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert et tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit" (*Denzinger* l. c. 787). Idem indicat apostolus: „Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus.“

Pars III. Condicionatus effectus est restitutio sanitatis corporis.

543. Condicionatus dicitur effectus, quia non datur, nisi praevideatur ad salutem animae profuturus. Non quidem sequitur, ut is, qui post Unctionem reconvalescit, necessario et semper quasi vi Sacramenti meliorem vitam agat quam antea, seu ut non possit perverti in peius. Potest enim interdum aegrotus reconvalescere non propter virtutem Sacramenti, sed propter solas vires naturae et medicamenta adhibita. Deinde potest Deus velle restitutionem aegroti, ut hic aliquem certum fructum spiritualem acquirat, licet eum postea sua culpa amittat. De hac igitur re aliud nihil dicere possumus nisi totum pendere ex praescientia Dei.

Dari autem hunc effectum per hoc Sacramentum diserte dicit apostolus: „Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus“, quorum verborum saltem unum de sanitate corporis intellegi omnes concedunt. Docet idem Conc. Flor.: „Effectus est mentis sanatio, et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis“ (*Denzinger* l. c. 595). Conc. Trid. c. 2: Infirmus „sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur“ (*Denzinger* l. c. 787). Semper quoque erat de hac re unanimis consensus theologorum (*S. Thomas*, Suppl. q. 30, a. 2; *Suarez*, Disp. 41, sect. 4).

544. Neque vero est putandum Deum promisisse se miraculo proprie dicto curaturum esse aegrotos Sacramento Unctionis munitos, cum potius dicendum sit Deum speciali providentia provisurum esse, ut vires naturae et remedia naturalia sanitatem efficiant, quamvis etiam miraculum non sit absolute excludendum. Ceterum theologi recte monent multos forte aegrotos ideo hoc effectu privari, quod Extrema Unctio differatur usque ad talem condicionem, in qua sine aperto miraculo sanatio fieri non possit. Ergo monendi sunt fideles, ut potius curent administrandum hoc Sacramentum, quam primum periculum mortis incipit, quia tunc multo maior spes est recuperandae vi Sacramenti sanitatis (cf. *I. Schmitz*, De effectibus Sacramenti Extremae Unctionis. Friburgi 1893).

545. *Schol. 1.* In Extrema Unctione Sacramentum est unctio cum oratione; res Sacramenti gratia sanctificans et remissio peccatorum; res et Sacramentum confortatio mentis.

546. *Schol. 2.* Quaestio est, quando effectus huius Sacramenti conferantur. Quod attinet auxilia gratiae actualis, conferuntur, quando aegrotus iis indiget. Sed difficultas est de infusione gratiae habitualis. Si Extrema Unctio datur per unam unctionem cum una forma, idem dicendum est ac de aliis Sacramentis.

Si Sacramentum administratur per formas, quarum singulae non sunt completae, dicunt quidam statim per primam unctionem gratiam infundi, per sequentes vero unctiones tunc tantum augeri, si interim aegrotus melius disponatur. Sed hoc non videtur probabile, quia tunc tantum Sacramenti vis operatur, quando eius significatio completa adest. Sed per verba „quidquid deliquisti per visum“ nondum adest completa significatio; ergo post haec verba nondum effectus ponitur. Ex similitudine vero Eucharistiae nihil concludi potest; Eucharistia enim est Sacramentum sui generis, quod non in usu sed in re permanente constat, et ita eius susceptio non est confectio Sacramenti, sed applicatio Sacramenti, quod iam existit. In Extrema autem Unctione Sacramentum fit ipsa applicatione.

547. Altera igitur sententia dicit dari aliquem gradum gratiae per primam unctionem et novos gradus gratiae per sequentes unctiones. Hoc quidem per se non repugnat; sed nihilominus non videtur dicendum, quia ea, quae significantur singulis formis, non possunt esse neque concipi plane independenter ab aliis, cum unum peccatum plerumque per varios sensus simul committatur. Ergo non potest remitti, quidquid peccatum est per unum sensum, nisi simul remittatur, quidquid simul peccatum est per alios sensus. Similiter auxilia, quae dantur per hoc Sacramentum, non referuntur alia exclusive ad oculos, alia ad aures etc. Quia igitur non habet completam significationem, ideo Sacramentum non producit effectum suum nisi finita integra forma.

548. Ergo dicendum est effectum dari eo momento, quo essentialiter perficiatur hoc Sacramentum, i. e. secundum modum latinum post unctionem omnium sensuum. Sin iuxta alios ritus Sacramentum aliter administratur, eo tempore gratia infunditur, quo perficitur forma significans completum effectum. Aliae unctiones, quae postea fortasse adduntur, ut apud Latinos unctio pedum et renum, solummodo magis explicant virtutem Sacramenti et per modum sacramentalium operantur. Sunt quidem theologi, qui putent posse ministrum sua intentione suspendere effectum Sacramenti, donec omnes unctiones compleverit. Sed alii dicunt, si minister vere velit facere, quod Christus instituit, eum non posse sua intentione suspendere effectum, postquam posuit essentialiter integrum signum a Christo ordinatum (*Suarez*, Disp. 41, sect. 2, n. 11).

SECTIO III.

DE SUBIECTO ET NECESSITATE EXTREMAE
UNCTIONIS.

Prop. XL. Subiectum Extremae Unctionis est adultus baptizatus, periculoso morbo laborans.

Pars I. Subiectum Extremae Unctionis est adultus baptizatus.

549. Nam non baptizatis nullum Sacramentum conferri potest praeter Baptismum; baptizati vero, qui non potuerunt peccare, Extremam Unctionem suscipere nequeunt, quia haec instituta est ad delendas reliquias peccatorum actualium et ad confortandam animam in ultima pugna spirituali.

Unde improbable est B. Virginem suscepisse hoc Sacramentum, quia in ea nullae erant reliquiae peccatorum, quae deleri poterant, neque ipsa laborabat ulla spirituali infirmitate. Immo secundum doctrinam S. Thomae hoc Sacramentum dari non potest nisi ei, qui actualiter peccavit, quia „non datur contra reliquias originalis peccati, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatae. Unde principaliter contra actualia peccata datur (ut ex ipsa forma patet), quae non sunt in pueris“ (Suppl. q. 32, a. 4 ad 2 et 4, d. 23, q. 2, a. 2, concl. 4). Nihilominus communiter censent theologi posse hoc Sacramentum recipi ab eo, qui capax fuerit peccati actualis, licet actualiter non peccaverit, cum principalis effectus sit confortatio animi contra eam infirmitatem, quae ex peccato originali inest omni homini. Formulam vero illam „quidquid deliquisti“ explicant: si quid deliquisti (Suarez, Disp. 42, sect. 2, n. 8). Suarez (l. c.) hoc eo confirmat, quod certe Sacramentum ab eo recipi potest, qui numquam post Baptismum peccavit, quamvis Unctio nullam habeat efficaciam in peccata, quae ante Baptismum commissa sunt. At in utroque casu manet praecise eadem difficultas, quomodo Sacramentum valide conferri possit ei, in quo forma nullo modo verificatur. Cum igitur ille, qui vel numquam vel saltem post Baptismum non actualiter peccavit, nihil habeat, quod indulgeri possit per Sanctam Unctionem, adhuc quaestio manet, quomodo tunc valide conferri possit Sacramentum. Unde Suarez aliam proponit explicationem formae: „Indulgeat tibi Deus etc., i. e. conferat tibi gratiam ex se remittentem omnem culpam, si adsit, et confortantem contra reliquias eius, si necesse sit“ (l. c. n. 10). Quae explicatio, si vera est, potuit etiam B. Virgo hoc Sacramentum suscipere. Sed quidquid id est, *S. Congr. prop. fid.* die 26. Sept. 1821 respondit ungendum esse paganum adultum graviter decumbentem immediate post Baptismum. Ita quaestio practice saltem soluta est.

550. Qui semper amens fuit, non potest hoc Sacramentum suscipere, qui autem nunc quidem amens est, sed post Baptismum usum rationis habuit, suscipere potest; similiter ad valorem Sacramenti necesse non est, ut suscipiens hic et nunc sit mentis compos. Requiritur quidem, ut homo habeat intentionem hoc Sacramentum suscipiendi, sed sufficit generalis voluntas, quam homo habuit nec retractavit adhibendi media ad salutem a Christo ordinata. Quia vero sufficit ad hoc Sacramentum actus attritionis mere internus, si homo plus praestare non potest, omnibus, qui non voluntatem contrariam manifestarunt, hoc Sacramentum dandum est.

551. De peccatoribus sensibus destitutis variae sunt sententiae. Suarez quidem putat esse grave peccatum hoc Sacramentum dare ei, qui in malo statu amisit usum rationis (Disp. 42, sect. 1, n. 8), alii vero contrarium dicunt, talibus Sacramentum dandum esse, quia fortasse homo, qui nullum signum externum dare potest, internum actum attritionis habet (*Lehmkuhl* II, 577). Rituale Rom. omnino favet priori sententiae: „Impaenitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur [Extrema Unctio] penitus denegetur“ (De Extr. Unct. c. 1, n. 8), nisi dicere velis hic eos tantum excludi, qui, antequam usu sensuum privarentur, expresse respuerint Sacramentum, aut qui usque ad finem vitae usum sensuum retinent et in impaenitentia perseverant. Sed Rituale videtur plus dicere: „Infirmis, qui, dum sana mente et integris sensibus essent, illud [Sacramentum] petierint, seu verisimiliter petiissent seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint vel amentes effecti sint vel delirent aut non sentiant, nihilominus praebeatur“ (l. c. n. 6). Ceterum ad administrandum Sacramentum sufficit quaelibet probabilis coniectura de exsistentia sufficientis contritionis.

Pars II. Extrema Unctio administrari non potest nisi gravi morbo laborantibus.

552. Hoc constat ex verbis apostoli: „Infirmatur quis . . . salvabit infirmum“, et ex perpetua praxi („oleum infirmorum“) et doctrina ecclesiae, quam declarat Conc. Trid. c. 3. „Declaratur etiam esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur; unde et Sacramentum exeuntium nuncupatur“ (*Denzinger* l. c. 788); et iam antea Conc. Florent.: „Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet“ (*Denzinger* l. c. 595). Hoc etiam ratio confirmat, quia sanis sufficienter provisum est aliis Sacramentis; Extrema autem Unctio est medicina, quae aegrotis tantum convenit. „Conclusio est omnium theologorum“, ut ait Suarez (Disp. 42, sect. 2, n. 2), quamvis pauci recentes contradixerint.

553. *Hoc Sacramentum dari nequit iis, qui morti propinqui sunt sine infirmitate*, e. g. capite damnatis, militibus ante pugnam, neque feminis partui propinquis, nisi ex partu difficili in infirmitatem inciderint; dari vero potest iis, qui propter venenum haustum vel propter vulnera accepta morti appropinquant, similiter iis, qui senio conficiuntur, quia hi omnes vere infirmi sunt.

554. *Sufficit autem ad valorem Sacramenti prudens aestimatio de periculo mortis*, quia plus ab hominibus postulari non potest, quibus administratio huius Sacramenti commissa est. Hinc Rit. Rom.: „Debet hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui, cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur“ (De Extr. Unct. c. 1, n. 5). Nequaquam enim exspectandum est ultimum vitae tempus. „Abusus olim in plerasque irrepserat regiones, ut sancto oleo tunc tantum linirentur infirmi, cum prorsus desperata salute iamiam essent extremum spiritum exhalaturi“ (Bened. XIV., De Syn. l. 8, c. 7). Huic abusui occasionem dederant variae superstitiones, ut Extrema Unctione munitis necessario moriendum esse, vel iis, si reconvalescerent, non licere amplius nudis pedibus incedere vel matrimonio uti vel alia huiusmodi. Hos igitur errores, ubi vigent, populus dedocendus est.

555. Ab usu ecclesiae latinae *dissentire videntur Graeci*; nam isti oleo infirmorum etiam unguunt homines bene valentes, ut testatur *Goar* (Euchol. p. 412), sed idem affirmat hunc ritum a Graecis non considerari ut Sacramenti administrationem, sed ut sacramentale quoddam, dicitque eundem usum olim fuisse in ecclesia latina. Attamen abusus hac in re apud Graecos, maxime schismaticos, irrepsisse videtur omnino certum (cf. *Bened. XIV.*, De Syn. l. 8, c. 5, n. 3). Plura de hac re vide in *Dissertatione Philippi de Carboneano* apud Antoine (Theol. mor. [edit. August. 1760]: De Extr. Unct. p. 258 sqq.). Apud reliquos quoque Orientales eandem unctionem sanorum occurrere testatur *Denzinger* (Rit. orient. I, 188), neque vero ipse vult admittere eam haberi pro Sacramento.

Certe errat *Sainte-Beuve*, qui cum aliis putat ex praxi Graecorum concludendum esse hoc Sacramentum etiam sanis valide administrari posse (De Extr. Unct. disp. 7, a. 1). Quem propter hanc doctrinam valde vituperat *Benedictus XIV.* (l. c. n. 4 et 5) et eius argumenta ut frivola reiecit et monet episcopos, ne Graecos in sua forte dioecesi versantes hoc errore abduci patiantur.

556. Communissime autem theologi docent *Sacramentum hoc non solum invalidum esse, si sanis conferatur, sed etiam, si conferatur infirmis morbo non gravi laborantibus* (*S. Thom.*, Suppl. q. 32, a. 1 et 2; *Suarez*, Disp. 42, sect. 2, n. 5; *S. Alphons.* l. 6, n. 713). Illud vero

„praesertim“, quod habet *Conc. Trid.*, ita explicandum est: hanc Unctionem esse infirmis graviter decumbentibus administrandam, praesertim si iam in exitu vitae constitui videantur. Ergo illud „praesertim“ non significat posse Unctionem administrari etiam extra morbum periculosum, sed extra articulum mortis in solo periculo mortis.

Schol. 1. Num adsit praeceptum divinum sub gravi obligans ad susceptionem Extremae Unctionis.

557. Est quaestio disputata inter theologos. Attamen plurimi et gravissimi theologi hoc negant, ut *S. Thomas* (4, d. 23, q. 1, a. 1, sol. 3 ad 1), *Suarez* (Disp. 44, sect. 1, n. 2), *S. Alphonsus* (l. 6, n. 733), qui pro hac sententia citat multos alios doctores. Ratio est, quia neque Scriptura neque Traditio docet talem necessitatem, neque ex natura Sacramenti praeceptum deduci potest, quia Extrema Unctio non est medium necessarium ad salutem. Immo interdicti generalis tempore Extremam Unctionem administrare non licet. Dicit enim *Innocentius III.*: „Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam Unctio quam ecclesiastica sepultura...“ (Decr. Greg. l. 5, tit. 38, c. 11.) Cum igitur ecclesia tempore interdicti permittat administrari Sacramenta necessaria, haec prohibitio ostendit hoc Sacramentum non censi divino praecepto necessarium. Unde ab hac prohibitione ecclesiastica videtur eximendus ille casus, in quo fortasse Extrema Unctio probabiliter est medium unice aegroto profuturum.

Ergo si infirmus alio remedio positus est vel poni potest in statu gratiae, non obligatur sub gravi ad suscipiendum hoc Sacramentum secluso scandalo et contemptu. Contemptus autem tunc tantum adest, quando quis Sacramento uti non vult, quia illud vile habet seu flocci facit, non vero, si ex torpore vel neglegentia vel ex alia ratione Sacramento externa hoc remedium omittit.

Schol. 2. De iteratione huius Sacramenti.

558. Ad hoc Sacramentum applicandum est, quod dicit *Eugenius IV.* in Decreto pro Armenis: Sacramenta „quattuor characterem non imprimunt et reiterationem admittunt“ (*Denzinger*, Enchir. 590).

Nihilominus hoc Sacramentum non tam simpliciter repeti potest quam Paenitentia et Communio. Docet enim *Conc. Trid.* c. 3: „Quodsi infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum huius Sacramenti subsidio iuvare poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint“ (*Denzinger* l. c. 788). Rit. Rom. praescribit: „In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit; ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat“ (De Extr. Unct. c. 1, n. 14). Ergo quoties abit periculum mortis et novum (etiam in eodem morbo) succedit, toties Sacramentum repeti potest. Ratio est, quia hoc Sacramentum non tam respicit in-

firmitatem quam infirmitatis statum; nam praeparat hominem ad bene moriendum. Unde quamdiu homo ab hoc statu non recedit, tamdiu gratia sacramentalis perdurat. Quando autem hic status mutatur, etiam desinit Sacramentum operari, et ideo redeunte novo statu periculoso infirmitatis repeti potest Uctio (*S. Thom.*, Suppl. q. 33, a. 2; *Suarez*, Disp. 40, sect. 4, n. 6). Sufficit autem hic quoque probabilitas novi periculi mortis.

Quidam putant etiam durante eodem mortis periculo Sacramentum olim fuisse repetitum, ut *Menardus* (*M* 78, 525). Ratio est, quia in Sacramentario Gregoriano post expositum ritum Extremae Uctionis et Viatici uterque ritus dicitur per septem dies repetendus (*M* 78, 235). Sed alii censent hanc repetitionem unctionis fuisse sacramentale quoddam.

SECTIO IV.

DE MINISTRO EXTREMAE UCTIONIS.

Prop. XLI. Minister ordinarius Extremae Uctionis est sacerdos habens curam animarum pro suis subditis, delegatus autem potest esse quivis sacerdos.

Pars I. Solus sacerdos potest valide administrare Extremam Uctionem.

559. *S. Iacobus* dicit: ad hoc Sacramentum administrandum vocandos esse presbyteros ecclesiae. Atqui presbyteri ecclesiae in Sacra Scriptura vocantur ii, qui ordinatione sacerdotes facti sunt (cf. 1 Tim. 5, 17 sqq.; 2 Tim. 1, 6; Tit. 1, 5 sqq. etc.). Etiam *SS. Patres*, quos supra citavimus (n. 514 sqq.), sacerdotes huius Sacramenti ministros assignant, et *Origenes* et *S. Ioan. Chrysost.* huius Sacramenti administrationem tamquam specialem praerogativam status sacerdotalis praedicant. Idem docent theologi cum *S. Thoma* (Suppl. q. 31), ut *Suarez* (Disp. 43, sect. 1) et *S. Alphonsus* (l. 6, n. 722). Item *Concilia*, ut post alia *Conc. Trid.* c. 3: „Ostenditur illic (Iac. 5, 14) proprios huius Sacramenti ministros esse ecclesiae presbyteros, quo nomine eo loco non aetate seniores aut primores in populo intellegendi veniunt, sed aut episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manus presbyterii“ (*Denzinger* l. c. 788); et can. 4: „S. q. d. presbyteros ecclesiae, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremae Uctionis ministrum non esse solum sacerdotem, A. S.“ (*Denzinger* l. c. 807).

Ergo hoc Sacramentum in nullo casu ab eo, qui non est sacerdos, valide administrari potest. Ratio, cur ita institutum sit, est, quia

non est adeo necessarium ad salutem, sicut e contra in solo Baptismo propter magnam eius necessitatem exceptio admittitur. Si interdum legimus oleum infirmorum aegrotis adhibitum esse a quolibet fidei, hoc intellegendum est non de usu Sacramenti, sed per modum aliquis sacramentalis (cf. *Denzinger* l. c. 61).

Unicum sacerdotem sufficere ad administrationem huius Sacramenti continua doctrina et praxis ecclesiae ostendit. Expresse hoc declaravit *Alexander III.*: „Sacerdos uno praesente clero et etiam solus potest infirmum ungere“ (Decr. l. 5, tit. 40, c. 14). Quod enim *Iacobus* loquitur de presbyteris, facile explicatur: „Vocet aliquem ex ordine presbyterorum“ (cf. e. g. *Luc.* 17, 14).

560. Sed opposita quoque quaestio non raro mota est, *num plures sacerdotes simul Extremam Uctionem valide administrare possint*. Hanc enim esse apud Graecos consuetudinem testatur *Goar*, de ceteris vero Orientalibus idem dicit *Denzinger* (*Rit. Orient.* I, 188). Immo etiam in occidentali ecclesia hoc interdum factum esse constat ex iis, quae affert *Martène* (*De antiq. rit.* l. 1, c. 7, a. 3, n. 3).

Ut autem de hoc agendi modo iudicium feratur, varia distinguenda sunt. *Si unus minister materiam applicat et alter formam pronuntiat*, Sacramentum videtur omnino invalidum, ut docet *Suarez* (Disp. 43, sect. 2, n. 3), *Gonet* (t. 5, tract. 6, disp. 3, n. 17), *S. Alphonsus* (l. 6, n. 724), alii communiter, quamvis quidam contradicant. Ii, qui negant Baptismum hoc modo administrari posse, a fortiore idem negare debent de Extrema Uctione, quae est Sacramentum multo minus necessarium. *Martène* autem, quamvis dicat interdum Sacramentum hoc modo administratum esse, tamen affert decreta, quae hoc fieri posse plane negant.

Alius modus est, *ut unus faciat unam unctionem cum sua forma, alius aliam unctionem cum sua forma*. Hoc fieri posse docent *S. Thomas* (Suppl. q. 29, a. 2, ad 3), *Richardus*, *Sotus*, alii, quos sequitur *Suarez* (l. c. n. 6), quia Sacramentum, cum per partes administratur, partialiter ab uno et partialiter ab alio administrari potest. Uctio enim una ab uno administrata suum proprium valorem statim habet, et si aliae unctiones accedunt, integrum Sacramentum constituitur, sicut unum est Sacrificium, si unus sacerdos consecrat panem, alter vinum.

Tertius modus est, *quando plures sacerdotes integram materiam et formam applicant*. Si hoc simul faciunt, omnes simul conficiunt Sacramentum. Si unus post alterum facit, *Goar* (*Euchol.* p. 438 sqq.) putat posse ministros sua intentione effectum suspendere usque ad ultimam unctionem, id quod non videtur verisimile. Sed dicendum est primam unctionem esse Sacramentum, sequentes vero sacramentalia.

Pars II. Solus pastor animarum potest licite suis subditis hoc Sacramentum potestate ordinaria administrare, alius vero ex eius delegatione tantum.

561. Hoc sufficienter constat ex Bulla „Apostolicae sedis“, in qua (ser. 2, n. 14) fertur excommunicatio in „religiosos praesumentes clericis et laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiam per viaticum ministrare absque parochi licentia“. Excipe eos, qui pertinent ad „familiam“ religiosorum.

Qui titulo officii vel pietatis specialem curam aegroti habet, tenetur sub gravi petenti Sacramentum administrare, immo curare, ut suo tempore suscipiatur, quia ad hoc constitutus est pastor, ut bono suorum subditorum diligenter provideat. Sed cum periculo mortis non videtur obligari, si alio modo aegroti sufficienter provisum sit. Alii, qui non sunt pastores, per se nullam habent obligationem sub gravi.

562. *Schol.* Speciales caerimoniae praeter ipsas unctiones aliae non praescribuntur nisi quaedam preces, aspersione aquae benedictae, osculum crucis, vestes sacrae, lumina accensa, minister sacerdotis, quae omnia simul sine necessitate omittere communiter dicunt esse peccatum mortale. Idem dicunt, si quis vel omnes vel multas preces vel omnem vestem sacram omittat. Reliqua non praescribuntur sub gravi.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

PRAENOTANDA. DE STATU CLERICALI.

563. Post ea Sacramenta, quae proxime ad bonum privatum referuntur, duo alia tractanda supersunt, quae ex principali suo fine bonum publicum promovent. Quorum alterum propagationem spiritualem, alterum propagationem naturalem spectat; illud Ordo, hoc vero Matrimonium vocatur. Itaque prius agendum est de Sacramento Ordinis, e quo constitutio ecclesiae, Sacramentorum administratio, salus omnium Christianorum magnam partem pendet.

564. „*Est ordo*, si propriam eius vim et notionem accipiamus, dispositio superiorum et inferiorum rerum, quae inter se ita aptatae sunt, ut una ad alteram referatur. Cum itaque in hoc ministerio [ecclesiastico] multi sint gradus, variae functiones, omnia vero certa ratione distributa sint et collocata, recte et commode ordinis nomen ei impositum videtur“ (Catech. Rom. Pars 2, c. 7, n. 9). Unde ordo ecclesiasticus seu hierarchicus *latissimo sensu* idem est atque ipsa ecclesia organice ordinata et in varios gradus et status superiorum et inferiorum inter se dependentium distincta.

565. Nihilominus *ordo hierarchicus* plerumque *arctiore sensu* accipitur, ut solos superiores ecclesiasticos seu homines ad sacras functiones in ecclesia peragendas deputatos significet. Quia ii, qui pertinent ad ordinem, segregantur a communi plebe christiana, ut sint per excellentiam servi Domini, ideo vocantur *κλήρος* (*κληρικοί*), i. e. sors Domini, sicut levitae quoque Veteris Testamenti speciali modo sors Domini fuerant: „Statuesque levitas in conspectu Aaron et filiorum eius et consecrabis eos oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei“ (Num. 8, 13. 14). Huic ordini simplices fideles ut *λαός* (*λαϊκοί*) opponuntur (cf. *S. Clemens Rom.*, 1 Cor. 40, 5), qui interdum appellantur *ιδιώται*, i. e. homines privati.

566. *Exsistere in ecclesia et semper exstitisse duplicem statum clericalem et laicalem* ostensum est in Tractatu de ecclesia (n. 333 sqq.), ubi vidimus tres esse ordines superiores: sacerdotium (quod dividitur

in episcopatum et presbyteratum), diaconatum, quibus posterioribus temporibus accessit subdiaconatus; quattuor vero ordines minores (saltem in ecclesia latina): ostiariatum, lectoratum, exorcistatum, acolythatum, quibus praemittitur tonsura.

567. *Nomine ordinis non status clericalis tantum significatur, sed ritus quoque ille externus, quo quis inter clericos minores vel maiores recipitur, quo sensu ordo idem est atque Ordinatio. De hoc igitur ritu quaeritur, num sit Sacramentum. In qua quaestione solvenda hac ratione procedimus, ut prius in genere probemus existere Ordinationem sacramentalem, dein in specie quaerimus, num singuli gradus clericales Sacramento conferantur.*

568. Sacramentum Ordinis metaphysice *definiri potest*: Sacramentum, quo datur spiritualis potestas ad munia ecclesiastica rite obeunda. Physice componitur signum sacramentale ex impositione manuum episcopi et comitante oratione. Hoc postea probandum erit.

Graeci vocant Ordinationem *χειροτονίαν*, rarius *χειροθεσίαν*; haec altera vox apud Graecos recentiores numquam de maioribus ordinibus adhibetur (cf. *Wirceburg.*, De Ord. n. 5 sq.).

SECTIO I.

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS.

ART. I.

DE SACRAMENTO ORDINIS IN GENERE.

Prop. XLIII. Ordo est verum Novi Testamenti Sacramentum.

569. Negatum est Sacramentum Ordinis a Lutero: „Hoc Sacramentum ecclesia Christi ignorat inventumque est ab ecclesia papae; non enim solum nullam habet promissionem gratiae ullibi positam, sed ne verbo quidem eius meminit Novum Testamentum. Ridiculum est autem asserere pro Sacramento Dei, quod a Deo institutum numquam potest demonstrari. Non quod damnandum censeam eum ritum per tanta saecula celebratum, sed quod in rebus sacris nolim humana commenta fingi, nec liceat adstruere aliquod divinitus ordinatum, quod divinitus ordinatum non est, ne ridiculi simus adversario“ (De capt. babyl.: § De Ordine).

Calvinus, quamvis ab initio duo tantum statuerit Sacramenta, postmodum ait: „Impositionem manuum, qua ecclesiae ministri in suum munus initiuntur, ut non invitatus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero“ (Inst. I. 4, c. 14, n. 20). „Quod

autem tertium in numero [Sacramentorum] non posui, eo factum est, quod non ordinarium nec commune est apud omnes fideles, sed ad certam functionem specialis ritus“ (ibid. c. 19, n. 28).

Similiter Melancthon, postquam prius duo tantum Sacramenta posuerat, in posterioribus editionibus „Locorum“ Ordinationem Sacramentum esse dicit¹.

570. Arg. 1. Ex S. Scriptura.

S. Scriptura docet Ordinationem, qua quis fit presbyter vel episcopus, esse signum sensibile, efficax gratiae. Ergo docet esse Sacramentum.

Probo antec. a) *Ordinatio est signum sensibile: χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς κατ' ἐκκλησίαν πρεσβυτέρους προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν* (Act. 14, 22). *Atqui et χειροτονία et preces sunt signa visibilia.* S. Paulus dicit se Timotheum episcopum fecisse impositione manuum: *διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου* (2 Tim. 1, 6; cf. 1 Tim. 4, 14) et monet Timotheum: „*χειρας ταχέως μηδενὶ ἐπέθει*“ (1 Tim. 5, 22; cf. Act. 6, 6).

b) *Hoc signum est efficax gratiae.* Paulus Timotheo dicit: „*Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei (τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ), quae est in te per impositionem manuum mearum*“ (2 Tim. 1, 6). Statimque versu sequenti describit, quid sit hoc charisma: „*Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis.*“ Ergo data est per impositionem manuum gratia gratum faciens seu Spiritus Sanctus, producens virtutes fortitudinis, dilectionis, sobrietatis. Haec gratia describitur ut aliquid permanens „*quae est in te*“, quod ex negligentia aut cooperatione hominis exstingui aut resuscitari potest. Hoc autem valet de sola gratia gratum faciente, non de gratia gratis data (cf. 1 Tim. 4, 14 et Rom. 5, 15; 1 Cor. 12, 13; 13, 1). Ceterum istis primis temporibus cum collatione gratiae sanctificantis plerumque conexa fuit gratia gratis data (cf. Instit. propaed. Prop. XXIII).

571. Arg. 2. Ex SS. Patribus.

S. Gregorius Nys. (Orat. in Bapt. Christi), postquam dixit panem, vinum, oleum verbo consecrari, ait: „*Eadem item verbi vis etiam sacerdotem augustum et honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. . . . Quod ad speciem externam attinet, ille sit, qui erat, invisibili quadam vi et gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens*“ (M 46, 582).

¹ Quae cum ita sint, mirum non est, quod inter Protestantes hac de re maxima idearum confusio invenitur, ita ut canonista quidam protestans saec. XVIII. dixerit: „*Ceterum in hac materia tam parum constantes evangelici, ut, quid sibi velint, plane nesciant.*“ „*Und diese Unklarheit kann nur als gesteigert erscheinen, seitdem man in der Neuzeit Begriff und Handlung der Ordination zu Dienst eines original unluth. Amtsbegriffes zu verwerthen und zu betonen versucht hat*“ (Real-Encykl. für prot. Theologie II, 76).

S. Ioan. Chrysost. (in libro De sacerdotibus, n. 4): „Sacerdotium in terra peragitur, sed caelestium ordinum classem obtinet. . . . Si quis secum reputat, quantum illud sit. . . . tunc probe intellegat, quanto honore Spiritus gratia sacerdotes ornaverit“ (in Hom. de resurr. mort. n. 8): „Nisi nunc etiam esset arrhabo Spiritus. . . . sacerdotes non habuissemus; neque enim has ordinationes sine tali descensu fieri est possibile“ (M. 50, 432; cf. in 2 Tim. Hom. 1 et 2; M 62, 603).

S. Cyrillus Alex. (In Io. 20, 22 et 23): „Dominus noster Iesus Christus, in veritatis vim figura Legis [Veteris] translata, divinatorum altarium sacerdotes per se ipsum perfecit. . . . Perfecit vero per veram sanctificationem suae naturae participes, communicatione Spiritus efficiens“ (M 74, 711).

S. Augustinus comparans Baptismum et Ordinem ait: „Utrumque Sacramentum est et quadam consecratione datur; illud, cum baptizatur, istud, cum ordinatur, ideoque in catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam praepositi, pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, et si visum est opus esse, ut eadem officia gererent, quae gerebant, non sunt rursus ordinati, sed sicut Baptismus in iis, ita Ordinatio mansit integra, quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est. Et cum expedire hoc iudicatur ecclesiae, ut praepositi venientes ad catholicam unitatem honores suos ibi non administrent, non tamen iis ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque iis non in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat iniuria“ (Contra Ep. Parm. l. 2, c. 13, n. 28; cf. l. 2, c. 13, n. 30; M 43, 70. 72).

S. Gregorius M.: „Sacrorum Ordinum Sacramenta ab ecclesiae doctoribus foris accipimus, sed Sacramentorum virtute ab omnipotenti Deo interius roboramur. Virtus vero Sacramenti gratia est Spiritus septiformis. Quam certe gratiam qui accipiunt, quasi alio accepto corde immutantur, quia, quos gratia sua Spiritus Sanctus roborat, eos facit esse protinus, quod non erant“ (In 1 Reg. l. 4, c. 5, n. 23; M 79, 299).

Cf. Innocent. I. Epist. ad Alex. Antioch. n. 4 (M 20, 549); S. Hieronymus, Contra Lucif. n. 11 (M 23, 165); Theodoret., In ep. 2 ad Tim. 1, 6 (M 82, 834).

572. Arg. 3. Ex consensu theologorum.

Theologi cum Magistro 4, d. 24 unanimiter ut dogma fidei docent Ordinem esse Sacramentum (cf. Vasquez, De Ord. disp. 233, c. 3, n. 27; Tanner, De Ord. disp. 7, c. 2, n. 8).

573. Arg. 4. Ex consensu ecclesiae graecae

(Goar, Euchol. p. 292 sqq.), etiam schismatica (cf. Schelstrate, Acta orient. eccl. I, 201. 274 sqq.) aliorumque Orientalium (Denzinger, Rit. Orient. I, 129).

574. Arg. 5. Ex doctrina Conciliorum.

Post varia vetera Concilia et Florentinum (Denzinger, Enchir. 596) definivit Conc. Trident. (sess. 33, c. 3): „Cum Scripturae testimonio, apostolica Traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit per Sacram Ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet Ordinem esse vere et proprie unum ex septem ecclesiae Sacramentis; inquit enim apostolus: Admoneo te, ut resuscites gratiam. . . .“ (Denzinger l. c. 836; cf. can. 3; Denzinger l. c. 840).

575. Arg. 6. Ex rationibus congruis.

Debere aliquo sensibili ritu constitui publicos ministros ecclesiae omnes concedunt, quia ex natura rei est evidens. Cum hoc autem ritu Deum voluisse coniungere gratiam sana ratio suadet.

Nam a) cum homo suis viribus impar sit debite administrando magno illi muneri dispensationis mysteriorum Dei (1 Cor. 4, 1), censendus est Deuseo actu, quo confert homini hoc munus, etiam conferre gratiam ad hoc munus digne administrandum.

b) Cum membra gregis Christi et milites exercitus Christi speciali Sacramento consecrentur, quanto magis pastores huius gregis et duces huius exercitus speciali Sacramento consecrari convenit.

c) Cum ministri ecclesiae Christi participes fiant sacerdotii Christi, decet divinam providentiam ritu sacramentali eos conformare sanctitati illi, quam Christus naturaliter habet.

576. Schol. De tempore institutionis huius Sacramenti.

Christus Sacramentum Ordinis instituit partim ante suam passionem in ultima cena, quando apostolis dedit potestatem consecrandi; partim post resurrectionem, quando iis dedit potestatem remittendi peccata, et quando eos constituit pastores ecclesiae. Probabile autem est Christum de hac re instruxisse apostolos quadraginta illis diebus, quibus „praebuit se ipsum vivum apparens et loquens de regno Dei“. Christus autem non statim ordinavit omnium ordinum ministros, sed episcopos tantum, quia hic gradus reliquos in se continet.

ART. II.

DE ORDINIBUS MINORIBUS.

Prop. XLIII. Ordines minores non sunt Sacramenta.

577. Nota. Cum in ecclesia varii sint ordines, quaeritur, num omnibus tribuenda sit ratio Sacramenti. Omnes autem ordines dividuntur in *minores*: ostiatum, lectoratum, erorcistatum, acolythatum; et *maiores*: subdiaconatum, diaconatum, presbyteratum, episcopatum. In-

quirimus prius in minores ordines, et, quia his praemittitur tonsura, etiam de hac pauca dicenda sunt.

Quaestio autem, num aliquis ordo sit Sacramentum, eadem est atque haec, *num ritus huius ordinis a Christo sit institutus et vi huius institutionis efficacis gratiae ex opere operato*. Cum enim in Tractatu de Sacramentis in genere probaverimus Christum immediate instituisse omnia Sacramenta, nullus ritus Sacramentum esse dicendus est, qui ab ecclesia institutus est.

578. *Primam tonsuram non esse Sacramentum*, immo ne ordinem quidem longe communissima theologorum sententia contra paucos docet. Ratio est, quia in *Pontificali romano* ab ordinibus distinguitur; quia *Concilium Trid.* (sess. 23, c. 2) dicit eos, qui tonsura insigniti sint, ad Ordines ascendere posse; quia per tonsuram nulla confertur potestas (cf. *Tanner*, Disp. 7, dub. 2, n. 2 sq.).

Quando coeperint clerici gestare tonsuram, non constat. In monumentis imagines sanctorum non ante saeculum V. tonsura insignitae apparent, quamvis iam antea clericis mos fuerit, non „nutriendi comam“, sed „defluam caesariem compescendi ad breves capillos“, ut ait Prudentius (*Peristeph.* c. 13) de S. Cypriano (*M* 60, 573).

Significatio tonsurae colligitur ex verbis, quae tonsurandus praeeunte episcopo dicit: „Dominus pars hereditatis meae et calicis mei; tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.“ Est igitur signum, quo indicatur hunc hominem esse segregatum a communi populo et Deo specialiter dedicatum. Aliae eius significationes praeterea afferuntur, quod est memoriale coronae spineae, quam Christus portavit, ut, quod impii in Christi ignominiam excogitaverunt, clerici pro gloria habeant, et ut ita Christo configurentur; quod significat regiam dignitatem, iis maxime convenientem, qui in sortem Christi vocati sunt (cf. *Hallier*, De sacr. elect. Append. art. 2).

579. *Gradus cantorum et alios, qui olim fuerunt in ecclesia, sed in desuetudinem abierunt, non fuisse Sacramenta patet*, quia Sacramenta abrogari non possunt, et quia olim ad illa munera laici simplici deputabantur commissione (*Denzinger* I. c. 58).

580. *Ostiarum (ut alii ordines) primo nominantur a Cornelio papa* († 252). Eorum munus nomine indicatur et sic describitur in *Constitutionibus Apost.* I. 2, c. 57 (*M* 1, 723): „Ostiarum stent ad virorum introitus, quos custodiant... instar eorum, qui nulum a vectoribus exigunt... Portae autem custodiantur, ne quis infidelis aut nondum Baptismo initiatus ingrediatur.“ In *Pontificali Rom.* legimus: „Ostiarum oportet percutere cymbalum et campanam, aperire ecclesiam et sacrarium et librum aperire ei, qui praedicat“ (cf. *Denzinger* I. c. 57). — Origo huius instituti quae fuerit, vix explicatione

indiget, cum apud veteres magna aedificia tam profana quam sacra suos habuerint ianitores, quod institutum ecclesia, postquam habuit propria aedificia sacra, eo magis in suum usum transtulit, quia temporibus persecutionis valde utile et necessarium erat.

581. *Lectores clericos fuisse iam ante tempora Fabiani papae est improbabile*, quia numquam antea inter clerum recensentur, et quia etiam postea temporibus S. Cypriani (*Ep.* 29; *H* 2, 547) et S. Augustini (*Ep.* 64) interdum lectores laici constituebantur. Valde autem probabile est mox ab initio ecclesiae in magno honore fuisse munus praelegendi in ecclesia, tum quia non multi artem legendi callebant, tum quia legere verbum Dei et episcopum vel presbyterum iuvare in praedicatione erat valde honorificum. Quia vero lectores erant speciales adiutores episcoporum vel presbyterorum in munere contionandi, interdum immediate post hos ante reliquos clericos nominantur. A lectoribus ex natura rei magis quam ab aliis clericis minoribus specialis quaedam scientia requirebatur, quare mirum non est, quod interdum etiam ad explicandam Scripturam Sacram adhibiti fuisse videntur (cf. *S. August.*, *Enar.* in Ps. 32; *M* 36, 280). Sub hoc respectu munus lectoris intime cognatum est cum munere diaconorum. Quare *Hippolytus* can. 7 dicit lectorem debere esse ornatum virtutibus diaconi.

(Vulgatum) *Conc. Carthag.* IV. 1: „Lector, cum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicans eius fidem et vitam atque ingenium. Post haec spectante plebe tradit ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe et esto lector Dei verbi, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum iis, qui verbum Dei ministraverunt“ (*Denzinger* I. c. 56).

Pontificale Rom.: „Lectorem oportet legere ea, quae praedicat, et lectiones cantare et benedicere panem et omnes fructus novos.“ Ceterum munus legendi evangelium in Missa postea reservatum est soli diacono, et lectores alias tantum lectiones legunt, ut vaticinia in Sabbato sancto. Simile quid iam est in *Constitut. Apost.* I. 2, c. 57.

582. *Exorcistarum munus est, ut ipsum nomen indicat, daemones expellere*. Ab initio ecclesiae gratiam gratis datam liberandi energumenos satis communem fuisse notum est (*Matth.* 10, 8. *Luc.* 10, 17 sq. *Tertull.* *Ad Scap.* c. 2; *M* 1, 700; *Apol.* c. 37; *M* 1, 461).

¹ De hac collectione canonum cf. *Maassen* (*Geschichte der Quellen des can. Rechts* I, 382), qui ostendit his canonibus exhiberi disciplinam ecclesiae Arelatensis initio saeculi VI. Ceterum consueto allegandi modo etiam imposterum loquimur de iis ut de canonibus *Conc. Carthag.* IV.

Postea autem, cum extraordinaria charismata tam frequentia iam cessassent, ecclesia potestatem suo nomine expellendi daemones ordine contulit. In Constitutionibus Apost. (l. 8, c. 28; *M* 1, 1123) exorcista dicitur non ordinandus esse: „Qui enim accepit charisma seu donum sanationum, per revelationem a Deo declaratur, cunctisque manifesta est gratia, quae est in ipso. Si autem opus eo fuerit, in episcopum vel presbyterum vel diaconum ordinatur.“ Ergo quando haec verba primo scribebantur, in illa ecclesia ordo exorcistatus nondum existebat. Contra Concil. Laodicense can. 26 vetat, ne quis exorcizet nisi ab episcopo ordinatus, qui canon a *Gratiano* positus est in decreto (P. 1, d. 69, c. 2).

Concil. Carthaginense IV.: „Exorcista, cum ordinatur, accipit de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: Accipe et commenda memoriae, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum sive catechumenum“ (*Denzinger* l. c. 55).

Pontificale Rom.: „Exorcistam oportet abicere daemones et dicere populo, ut, qui non communicat, det locum, et aquam in ministerio fundere“ (i. e. implere fontem aqua pro Baptismo).

583. *Acolythy* (ἀκόλυθοι, i. e. „sequentes“, ut vocantur in libro Ponticali in decreto *Cai* papae) hoc nomen habent, quia portantes luminaria comitantur subdiaconum, quando evangelium legendum est, et quia sunt pedissequi subdiaconi in ministrandis vino et aqua. Vocantur etiam ceroferarii, quia tempore Missae portant cereos accensos.

Concil. Carthag. IV.: „Acolythus, cum ordinatur . . . ab archidiacono accipit ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda lumina ecclesiae mancipari. Accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi“ (*Denzinger* l. c. 54).

Pontificale Rom.: „Acolythum oportet ceroferarium ferre luminaria ecclesiae accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare“ (cf. de his ordinibus *Petrus Lomb.* l. 4, d. 24; *S. Thomas* ibid. q. 1, a. 1, 2; *Vasquez*, Disp. 236, c. 2; *Catech. Rom.* P. 2, c. 7, n. 11 sqq.).

584. Recte quidem *S. Thomas* (l. c. a. 1, sol. 2 ad 2 et Supplem. q. 37, a. 2 ad 2) docet: „In primitiva ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconis committebantur. . . Nihilominus erant omnes praedictae potestates, sed implicite in una diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus; et ecclesia, quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis.“ Ceterum hac ratione non solvitur quaestio, num ritus minorum ordinum a Christo instituti et vi huius institutionis gratiae efficaces sint. Praeterea non videtur probabile unum ordinem paulatim post alium institutum esse, cum simul omnes uno tempore appareant.

quod signum est eos ex ecclesiae beneplacito et lege positiva ecclesiastica institutos esse.

585. *Quattuor ordines minores esse Sacramenta satis communiter docent veteres Scholastici.* Ita *Albertus Magnus*, *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, *Scotus*, *Paludanus*, alii (cf. *Tanner*, Disp. 7, dub. 2, n. 42). Attamen multi hanc sententiam ut probabiliorem tantum defendunt, ut *S. Thomas* et postea *Bellarminus* (De ord. c. 8). — *Negarunt esse Sacramenta Hugo Victorinus* (De Sacram. l. 2, p. 3, c. 12; *M* 176, 428) et *Magister* (4, dist. 24), quatenus docent hos ordines in primitiva ecclesia non fuisse et sola auctoritate ecclesiastica institutos esse; *Durandus* (In 4, d. 24, q. 1, n. 2 et q. 2, n. 6 sq.), *Caietanus*, *Dom. Sotus* (In 4, d. 24, q. 1, a. 4, concl. 7), qui dicit, si *S. Thomas* hanc quaestionem in *Summa* tractasset, futurum fuisse, ut correxisset suam sententiam¹, *Vasquez* (Disp. 237, c. 2), alii. Item *Gratianus* (d. 21) et cum eo plurimi canonistae paucis contradicentibus.

Post *Morinum* (De Sacram. Ord. p. 3, exercit. 11, c. 1) et *Benedictum XIV.* (De Synod. lib. 8, c. 9, n. 3 sq.) sententia negans facta est longe communior, quam defendunt *S. Alphonsus* (l. 6, n. 737), *Perrone* (De ordine n. 81; *Migne*, *Cursus theol.* t. 25, col. 36), *Gury* (t. 2, n. 699), *Lehmkuhl* (t. 2, n. 586), alii. *Gasparri* de hac re ait: „Longe probabilius, ne dicamus certum et apud recentiores passim receptum est alias ordinationes infra diaconatum non esse verum Sacramentum“ (De Sacra Ordin. 1, n. 41).

Card. *Franzelin* de hac quaestione recte notat: „Penes vetustos Scholasticos totam hanc rem non in certa sententia, sed in opinione positam fuisse et ultro citroque disputatam“, ideoque eorum doctrinam in hac parte tuto relinqui posse (De Trad. Thes. XVII, II, p. 212).

586. *Arg. 1.* Ritus, qui non a Christo, sed ab ecclesia instituti sunt, non possunt esse Sacramenta. Atqui tales ritus sunt ordines minores. Ergo.

Prob. min.: Ante saeculum tertium ordines minores numquam nominantur, ne iis quidem locis, ubi omnes gradus clericorum et laicorum enumerantur. Ita *S. Ignatius M.:* „Munera gerunt in ecclesia episcopi, presbyteri, diaconi“ (Magn. 6, 1; F. 1, 191). Cle-

¹ Immo auctoritas *S. Thomae* non minus pro nostra sententia est quam pro opposita. Nam in *Opusculo* 37 (al. 17) contra *Wilhelmum a S. Amore* probat (p. 2, c. 4, concl. 6) ecclesiam posse instituere ordinem ad praedicandum, quem *Christus* non instituerit, „sicut etiam in primitiva ecclesia fuerunt soli duo ordines sacri: presbyteri et diaconi, et tamen postea ecclesia minores sibi ordines instituit, ut *Magister* in sententia dicit“. Similia habet in *1 Tim.* c. 3, lect. 2. Unde *Benedictus XIV.* notat: „Ex quo intellegitur dubiam saltem fuisse hac in re angelici praeceptoris mentem“ (De Syn. l. 8, c. 9, n. 11).

mens. Alex.: „In ecclesia singulis sua officia conveniunt, haec quidem presbyteris, alia vero episcopis, alia diaconis“ (Paedag. l. 3, c. 12; *M* 8, 675). Origenes: Munus est „aliud diaconi, aliud presbyteri, episcopi denique gravissimum est“ (De orat. n. 18; *M* 11, 523). Similiter alii antiqui scriptores, qui recensentes ordines ecclesiasticos numquam nominant nisi hos tres. Praeterea minorum ordinum modum, modo alius variis locis et temporibus cessavit, abrogatus est, redintegratus est. Immo ecclesia graeca solum subdiaconatum et lectoratum retinuit (*Morinus* l. c. n. 7 sqq.). Porro ut ex *Cypriano* (Epist. 29. 38. 39) constat, non statim ab initio singuli hos ordines percurrere debebant, sed omissis ceteris ad altiores provehi poterant. — Atqui haec omnia clare ostendunt hos ordines neque esse neque habitos fuisse Sacramenta (cf. *Instit. propaed.* n. 362).

Ordines minores esse ecclesiasticae institutionis praeter Hugonem, Gratianum, Magistrum etiam docuit initio saec. IX. *Amalarius* (De div. offic. l. 2, c. 6; *M* 105, 1082) et ipse *Urbanus II.* in Concilio Beneventano a. 1091 can. 1 (*Mansi* XX, 738): „Nullus deinceps in episcopum eligatur, nisi qui in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatum et presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur ecclesia habuisse, super his solum praeceptum habemus apostoli.“

587. *Arg. 2.* Ibi non est Sacramentum Ordinis, ubi deest materia et forma Sacramenti Ordinis. Atqui in ordinibus minoribus deest materia et forma Sacramenti Ordinis. Ergo.

Prob. min.: Materiam necessariam ad Sacramentum Ordinis esse manus impositionem postea probabimus. Atqui haec manus impositio deest in ordinibus minoribus. Deest quoque forma sacramentalis, quia in ritu ordinum minorum sola traditio potestatis, nullo modo collatio gratiae exprimitur.

588. *Arg. 3.* Ministeria, ad quae deputantur clerici minores, non ea sunt, quae specialem gratiam sacramentalem postulare videantur. Ergo Christus dicendus non est propter has functiones instituisse speciales ordines sacramentales. Hoc eo magis valet, quod ecclesia iam per multa saecula permisit, ut laici istis officiis fungerentur; id quod explicari non posset, si ex voluntate Christi horum officiorum ministri sacris ordinibus initiati esse deberent.

589. *Arg. 4.* Ex inefficacia argumentationis adversariorum.

Argumentantur primo ex Concilio Florentino, quod docet: „Sextum Sacramentum est Ordinis“, et dein enumerat aliquos ordines, etiam subdiaconatum, addens: „Et similiter de aliis“, et in fine concludit: „Effectus augmentum gratiae, ut quis sit idoneus minister“ (*Denzinger* l. c. 596).

Resp.: Eugenius IV. noluit circa hanc rem dare definitionem ex cathedra, sed practicam tantum instructionem, qua Armeni dirigerentur ad conformandos se ecclesiae Romanae (*Denzinger* l. c. post 589). Omnia enim ad verba fere descripta sunt ex opusculo S. Thomae De fidei articulis et septem Sacramentis. Praeterea in nostra quoque sententia vera manent haec omnia: et Ordinem esse Sacramentum et conferre gratiam et esse varios ordines; et simul tamen verum esse potest aliquos ordines esse, qui non sint Sacramenta. Si Eugenius IV. nostram doctrinam damnasset, qui fieri potuisset, ut praecise post Concil. Florent. haec sententia paulatim communior facta et ab ipso doctore ecclesiae S. Alphonso proposita esset? Quia igitur de hac sententia nihil est definitum, argumentum adversariorum nullius valoris est (cf. *Vasquez*, Disp. 237, c. 3, n. 40).

590. *Argumentantur secundo* ex Concilio Trid., quod sessione 23, canone 2 docet in ecclesia catholica praeter sacerdotium esse alios ordines et maiores et minores, et statim canone 3 pergit: „Si quis dixerit Ordinem vel Sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum A. S.“ (*Denzinger* l. c. 840.) Ergo iuxta Concilii mentem ordines quoque minores sunt Sacramenta.

Resp.: Canone quarto Concilium dicit: „S. q. d. per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum. . . A. S.“ (*Denzinger* l. c. 841.) Atqui in solis tribus ordinibus maioribus haec verba dicuntur. Ergo vocabulum Ordinationis non necessario complectitur ordines etiam minores. Ceterum cum adversarii concedant Concilium hanc rem non definivisse, quaestio manet disputata et aliis argumentis solvenda est; id quod patet exemplo theologorum, qui post Tridentinum scripserunt. Quod vero Concilium ait: „Ab ipso ecclesiae initio sequentium ordinum nomina atque ministeria . . . in usu fuisse cognoscuntur“ (*Denzinger* l. c. 835), ad tempus *Cornelii* papae refertur; nam certum est Patres Concilii de prioribus temporibus nihil tale compertum habuisse. Praeterea Concilium statuit, „ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones, ab apostolorum temporibus in ecclesia laudabiliter receptae et pluribus in locis aliquamdiu intermissae, in usum iuxta sacros canones revocentur“ (sess. 23, c. 17 de Reform.). Atqui hic loquendi modus non esset aptus, si ordines minores a Christo essent instituti.

591. *Argumentantur tertio:* In ordinibus minoribus gratia datur; ergo sunt Sacramenta.

Resp.: Gratia datur ut per sacramentalia, conc.; ut per Sacramenta, nego; nam in formis horum ordinum ne verbum quidem de gratia dicitur. Similiter negamus per hos ordines characterem

imprimi, nisi characterem velis dicere externam deputationem ad aliquod officium ecclesiasticum. Quod autem repeti non possunt, nihil probat, nam consecratio alicuius hominis semel rite facta ab ecclesia numquam repetitur.

ART. III.

DE SUBDIACONATU.

Prop. XLIV. Subdiaconatus non est Sacramentum.

592. *Nota.* 1. Subdiaconi cum aliis clericis minoribus primo occurrunt in epistula Cornelii papae. Nomen indicat eos esse adiutores diaconorum. Saepe vocantur simpliciter ministri, ὑπηρέται. Secundum Concilium Laodicense (can. 22) portas ecclesiae custodire debent. Secundum Constitutiones Apost. (8, 11) tempore Sacrificii diaconi custodiunt ianuas virorum, subdiaconi ianuas mulierum. „Unus autem subdiaconus det sacerdotibus aquam ad lavandum manus.“ Alio vero loco (2, 57) ostiarii custodiunt ianuas virorum, diaconissae ianuas mulierum. Concil. Laodicense subdiaconos vetat gestare stolam et munere diaconorum ad altare fungi (can. 22, 25).

Secundum Pontificale Romanum: „Subdiaconum oportet aquam ad ministerium altaris praeparare, diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam in usum Sacrificii eidem offerre.“

593. 2. *Subdiaconatum esse Sacramentum iidem docent, qui minores ordines Sacramenta dicunt.* Praeterea Vasquez ad eos accedit, quamvis fateatur firmum fundamentum huius sententiae non esse; „illud tamen sufficit nobis, quod nulla ratio efficax sit ad probandum non esse Sacramentum, et communis opinio scholae sit Sacramentum esse“ (Disp. 288, c. 2, n. 13). Similiter Dom. Sotus.

Ceterum negantem sententiam iidem fere doctores sequuntur qui in praecedenti thesi; post S. Alphonsum (l. 6, n. 787) negans sententia est communior.

594. *Arg. 1. Thesis eadem fere ratione probatur, qua praecedens, maxime eo, quod ordo subdiaconatus est ecclesiasticae institutionis et plane ignotus ante saeculum III.*

Unica difficultas est, quod ecclesia subdiaconatum sacris ordinibus accenset et subdiaconos obligat ad caelibatum.

At hoc non semper ita fuit; nam anno 1203 scribit Innocentius III. Urbanum II. decrevisse, ut soli clerici maiores in episcopum eligerentur, subdiaconi vero de licentia tantum summi pontificis aut metropolitani; et dein addit: „In quibus verbis innuitur, quod Urbanus ad statum primitivae ecclesiae se referens, in quo subdiaconatus ordo sacer minime dicebatur, instituit, ut de subdiacono nisi utilitatis

causa . . . non posset electio celebrari. Verum cum hodie subdiaconatus inter sacros ordines computetur . . . nos volentes super hoc articulo disceptationis materiam amputare, statuimus, ut subdiaconus in episcopum valeat libere eligi, sicut diaconus et sacerdos“ (Decret. Greg. I. 1, t. 14, c. 9). Sunt qui putent ipsum Urbanum II. decrevisse, ut subdiaconatus ordo sacer habendus esset (cf. Bened. XIV., De Syn. I. 8, c. 9, n. 9). Testatur anno 1197 Petrus Cantor in libro manuscripto „De verbo mirifico“, qui est in bibliotheca monasterii S. Germani a Pratis, c. 54: „Prima autem manus impositio debetur diaconibus ordinandis, de novo enim institutum est subdiaconatum esse sacrum ordinem.“ Ita Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii M. (M 78, 482).

595. Cum diaconi et presbyteri iam diu obligati essent ad caelibatum, subdiaconis licebat Matrimonio uti. Concil. Toletanum I. (a. 400) can. 4 subdiaconis concedit Matrimonium; contrarium usum supponit Concil. Veneticum (Vannes a. 465) can. 11 (cf. Decret. Gratiani d. 34, c. 9). Sed exeunte saeculo VII. ne in ecclesia latina quidem lex caelibatus pro subdiaconis universaliter vigeat, licet iam Leo I. studuerit eam introducere. Pelagius II. in Sicilia hanc legem, ubi usque ad id tempus observata non fuerat, stricte inculcabat. De qua re scribit Gregorius M.: „Ante triennium subdiaconi omnium ecclesiarum Siciliae prohibiti fuerant, ut more romanae ecclesiae nullatenus suis uxoribus miscerentur. Quod mihi durum atque incompetens videtur, ut, qui usum eiusmodi continentiae non invenit neque castitatem ante promisit, compellatur a sua uxore separari. . . . Unde videtur mihi, ut a praesenti die episcopis omnibus dicatur, ut nullum subdiaconum facere praesumant, nisi qui se victurum caste promiserit“ (Decret. Gratiani d. 31, c. 1). Ab illa igitur aetate lex haec coepta est ubique in ecclesia latina observari.

Ergo subdiaconatus non semper eo sensu ordo sacer erat, quo hodie est. Quodsi Conc. Trid. (sess. 23, c. 3) ait: „Subdiaconatus ad maiores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur“, haec verba applicari non debent ad tempora priora saeculo quarto, ubi prima tentamina apparent evehendi subdiaconatum ad ordines maiores.

596. *Arg. 2. Etiam modus ordinationis satis indicat subdiaconatum non esse Sacramentum.*

Nam manus impositio non fit, et quidem ad hoc non fit, ut a tribus ordinibus superioribus distinguatur subdiaconatus, quemadmodum ex Concilio Carthag. IV. can. 5 patet (Denzinger l. c. 53). Verba vero, quae applicationem materiae, i. e. calicis cum patena et urceolorum cum vino et aqua et baculis cum manutergio comitantur, sunt haec: „Videte, cuius ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.“ — Quidam putaverunt ma-

teriam et formam huius ordinis esse traditionem libri Epistularum cum verbis adnexis. Sed hoc admitti nequit, quia hic ritus est satis recens (cf. *Morinus*, De Sacram. Ord. p. 3, exercit. 12, c. 1, n. 6).

Apud Graecos secundum praeceptum *Constitutionum Apost.* (8, 21) subdiaconi ordinantur per impositionem manus cum oratione, qua Spiritus Sancti gratia super ordinandum imploratur. Idem fit in ordinatione lectoris. „Haec tamen manus extensio in subdiacono promovendo non arguit apud Simeonem Thessalonicensem, rituum Graecorum expertissimum theologum et canonistam dissertissimum, sicut nec apud Graecorum modernorum reliquos subdiaconatus vel lectoratus ordinem esse verum Sacramentum“ (Goar, Euchol. p. 427). Hoc quoque eo innuitur, quod ordinatio subdiaconi humiliore loco „in speciosa porta“ et tempore minus sollemni „ante Missae principium“ facienda praescribitur (de aliis Orientalibus cf. *Denzinger*, Rit. Orient. t. 1, p. 128).

ART. IV.

DE ORDINIBUS SACRAMENTALIBUS.

Prop. XLV. Diaconatus est Sacramentum.

597. *Nota.* 1. Nomen *διάκονος* (sicut *διακονέω*, *διακονία*) et latiore et strictiore significationem habet. *Latiore sensu* significat quemlibet ministrum, ut ministrum mensae (Luc. 4, 39; 10, 40; 12, 37; 22, 26 etc.), eum, qui aliorum necessitati succurrit (Matth. 4, 11; 25, 44. Luc. 8, 3). *Strictiore sensu*, maxime apud S. Paulum, significat eum, qui ad salutem animarum cooperatur. Ita Christus dicitur *διάκονος περιτομῆς* (Rom. 15, 8); apostoli (Eph. 3, 7), episcopi (1 Tim. 4, 6) vocantur *διάκονοι*.

Strictissimo sensu diaconi dicuntur adiutores episcoporum et presbyterorum in muneribus sacris (Phil. 1, 1; 1 Tim. 3, 8. 9. 12). Hoc sensu vocabulum diaconorum in thesi intellegimus.

598. 2. Secundum Pontificale Rom.: „Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare.“ Praecipuum eorum munus semper erat *ministrare sacerdotibus in Sacrificio Missae*, ut iam Iustinus Martyr et Cyprianus in libro De lapsis indicant. In Const. Apostol. (2, 57) dicuntur alii diaconi invigilare debere populo, dum Sacrificium peragitur, alii ad altare ministrare. „Diaconus legat evangelium... Post haec presbyteri exhortentur populum... Atque diaconi post orationem, alii quidem Eucharistiae vacent corpori Domini cum timore ministrantes, alii turbam circumspectent... Qui autem pontifici assistit diaconus, plebi dicat... Et post hoc precetur diaconus pro universa ecclesia.“ S. Ambrosius Sanctum Laurentium diaconum ita loquentem facit ad Xystum papam: „Quo progredieris sine filio,

pater? Quo, sacerdos sancte, sine diacono properas tuo? Numquam Sacrificium sine ministro offerre consueveras... Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti dominici sanguinis consecrationem [dispensationem], cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?“ (De offic. l. 1, c. 41; *M* 16, 84; cf. *Cyrrill. Hierosol.*, Catech. 5; *M* 33, 506, et *Chrysost.* in Act. apost. Homil. 21; *M* 60, 163.)

Diaconorum esse *baptizare*, de licentia tamen episcopi, *Tertullianus* iam testatur (De Bapt. c. 17; *M* 1, 1218). Praedicationis officium exercentes videmus Stephanum et Philippum, qui etiam baptizat. S. Gregorius M. ait (*M* 77, 1335): „In sancta romana ecclesia dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur et in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad praedicationis officium et eleemosynarum studium vacare congruebat.“

Diaconos non habere potestatem consecrandi et peccata remittendi iam in Tractatibus de Eucharistia (n. 829) et de Paenitentia (n. 410 sqq.) ostensum est (cf. *Concilium Arelat. I.* [a. 314] can. 15; *Conc. Nicaen.* can. 18; *Conc. Pictav.* [a. 1280]).

599. 3. Apud *Protestantes* nomen quidem diaconorum occurrit, sed sensu longe alio; sunt enim contionatores auxiliares. Catholico sensu Lutherani diaconatum non agnoscunt. Reformati et aliae quaedam sectae diaconos eligunt, qui curam pauperum et alia externa negotia agant. Anglicani propius ad catholicam ideam accedunt.

600. 4. *Ordinem diaconatus esse Sacramentum* paucissimi Catholici negarunt, ut *Durandus* et *Caictanus*; *unanimes fere omnium sententia affirmat*. Sed de certitudine affirmantis doctrinae non convenit inter theologos. *Vasquez* dicit eam esse de fide (Disp. 238, c. 2, n. 12), *Tannero* videtur prope de fide esse (Disp. 7, c. 2, dub. 2, n. 39), *Bellarmino* probabilior sententia (De Ordine c. 6), *Sotus* censet: „Qui opinionem Durandi sustinere vellet, non esset magna reprehensione dignus. Nihilominus non est tam facile de communi sententia deflectendum; esset enim nonnulla temeritatis nota“ (In 4, d. 24, q. 1, a. 4, ante concl. 6).

601. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura de diaconatu haec discimus: „Factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos eo, quod despicerentur in ministerio cotidiano viduae eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Non est aequum nos delinquere verbum Dei et ministrare mensis (*διακονεῖν τραπέζαις*). Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram

omni multitudine, et elegerunt Stephanum. . . . Hos constituerunt ante conspectum apostolorum et orantes imposuerunt iis manus* (Act. 6, 1 sqq.).

Hoc loco tota Traditio semper intellexit narrari institutionem primam diaconorum. Ex ipsis verbis hoc non tam clare apparet; nam illi, qui eliguntur, non vocantur diaconi, neque hoc nomen ut nomen specialis muneris unquam in Actibus occurrit, sed primum invenitur in epistulis ad Phil. et ad Timoth. Quare quidam putaverunt septem illos habuisse quidem munera diaconorum, sed revera fuisse presbyteros, nam presbyteri commemorantur in ecclesia Hierosolymitana (Act. 11, 30; 15, 4. 6), cum de diaconis nullus amplius fiat sermo. At argumentum ex silentio non est efficax contra universam Traditionem. Praeterea etiam de plurimis apostolis in Actibus altum est silentium. Ergo sicut silentium non probat apostolos non exstitisse, ita non magis probat diaconos non exstitisse. Nihil autem impedit, quominus illi *πρεσβύτεροι* simplices sacerdotes a septem diaconis distincti fuisse dicantur.

Iam vero si Actuum 6 sermo est de institutione diaconorum, dicendum est *querelam illam de ministerio mensae fuisse quidem occasionem instituendi primos diaconos*, non vero diaconos ad hoc tantum vel principaliter institutos esse, cum historia Stephani et Philippi et posterior historia ecclesiastica aliud doceant, et cum dotes, quae postulantur in his viris (Act. 6, 3. 1 Tim. 3) ad altiora referantur quam ad ministerium mensae. Iam S. Ignatius Martyr (Ad Trall. 2, 3; F 2, 63) ait de diaconis: „Non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed ecclesiae Dei ministri.“

Porro diaconi illi constituebantur per orationem et impositionem manuum apostolorum (*προσευζόμενοι ἐπέδηξαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας*). Atqui manuum impositio cum oratione in Actibus significat collationem gratiae (Act. 8, 17. 19; 13, 3; 19, 6). Ergo septem illi viri ordinabantur diaconi per signum efficax gratiae seu per Sacramentum.

602. Arg. 2. Ex SS. Patribus.

Iam antiquissimi Patres testantur diaconos constitutos esse ab apostolis et esse segregatos a laicis (*Clemens Rom.*), habere ministerium Iesu Christi, honorandos et sequendos esse ut ipsum Christum et ut mandatum Dei (*Ignat. M.*), i. e. ut eos, qui ex mandato Dei vices Christi gerant, eos in liturgia publica distribuere Eucharistiam (*Iustin. M.*), pertinere ad hierarchiam ecclesiasticam (*Clemens Alex.*), esse ex ordine clericali, praesidere fidelibus (*Origenes*), habere ordinationem inamissibilem (*Tertull.*). Cf. Instit. propaed. n. 347 sqq. 362.

S. Ioan. Chrysostomus (Homil. 14 in Act. n. 3; M 60, 116) de septem illis ait: „Vide, quam non superflue scriptor loquatur, non enim dicit, quomodo, sed simpliciter, quod ordinati sint impositione manuum et prece. Hoc enim est ordinatio. Manus viri superimponitur,

totum vero Deus operatur, eiusque manus est, quae tangit caput ordinati, si, quemadmodum oportet, ordinetur.“

S. Hieronymus, ubi loquitur de episcopis, qui diaconos ordinant, dicit eos „Christi Sacramenta“ distribuere (Adv. Vigilantium n. 2; M 23, 340. Cf. S. August., Ep. 21; M 33, 88. Ambrosius, De officiis l. 1, c. 50; M 16, 96).

Dionysius Areopagita: „Diaconus ordinandus supra caput habet dextram pontificis ipsum consecrantis et ab eo consecratur invocationibus ad ministrorum consecrationem accommodatis. . . . Pontificis autem manus impositio designat hierarchicam protectionem, qua tamquam sanctos filios paterno affectu fovet et statum virtutemque sacri ordinis impertitur“ (De eccl. hierarch. c. 5, n. 23; M 3, 511). Dionysium sequuntur Scholastici.

603. Arg. 3. Ex modo consecrationis, de quo comparanda sunt vetera et nova statuta ecclesiae.

Concilium Carthag. IV.: „Diaconus cum ordinatur, solus episcopus, qui etiam benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur“ (*Denzinger* l. c. 52).

Constit. Apost. (l. 8, c. 17, 18; M 1, 1115): „Diaconum efficies, episcopo, imponens ei manus, astante tibi cuncto presbyterio eum diaconis, et orans dices: Deus omnipotens. . . , ostende faciem tuam super servum tuum hunc, electum tibi in diaconatus ministerium, et imple eum Spiritu Sancto et virtute, sicut implesti Stephanum. . . .“

Sacramentar. Gregorii M.: „Diaconus cum ordinatur, solus episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat. . . . Et sequitur oratio: Adesto, quaesumus, omnipotens Deus. . . . Emitte in eum Domine, quaesumus, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii fideliter exsequendi septiformis gratiae tuae munere roboretur“ (M 78, 221 sq.).

Pontificale Rom.: „Solus pontifex manum dexteram extendens ponit super caput cuilibet ordinando. . . . dicens singulis: Accipe Spiritum Sanctum ad robur et resistendum diabolo et tentationibus eius.“ Alios ordines latinos vide apud *Martène* (De ant. eccl. rit. t. 2, p. 35 sq.).

Secundum Euchol. Graec. diaconus ordinandus est ad altare, quia est primus ordo hierarchicus. „Pontifex impositam tenens dextram precatur hoc modo: Domine Deus noster. . . . gratiam Stephano protomartyri tuo in opus ministerii huius a te primum vocato concessam largire. . . . Ipse, Domine, servum tuum hunc, quem diaconi ministerium subire voluisti, sancti et vivifici Spiritus Sancti tui adventu omni fide et caritate et sanctificatione adimple. . . .“ (*Goar* p. 250 sq.)

Similiter in omnibus formis Orientalium habetur impositio manuum et expressio gratiae Spiritus Sancti (*Denzinger*, Rit. Orient. II, 8. 69. 133. 232. 264. 287).

Quamvis igitur concedendum sit etiam in minorum clericorum et immo in diaconissae ordinatione (*Const. Apost.* 8, 19. 20; *M* 1, 1115) impositionem manuum cum invocatione Spiritus Sancti interdum occurrere, nihilominus in aliis ordinibus infra diaconatum hic ritus non potuit censi sacramentalis, quia neque semper neque ubique observatus est neque ad tempora apostolorum reducitur. Contra vero unanimis omnium ecclesiarum consensus quoad ordinationem diaconi explicari nequit, nisi admittamus institutionem sacramentalem ab ipso Christo factam.

604. *Arg. 4.* Ex Concilio Trident. (sess. 23, can. 4): „S. q. d. per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum; aut per eam non imprimi characterem . . . A. S.“ Can. 6: „S. q. d. in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, A. S.“ (*Denzinger*, Enchir. 841. 843.) Ergo in ecclesia sunt ministri, i. e. diaconi divina ordinatione instituti, qui, cum in eorum ordinatione dicatur: „Accipe Spiritum Sanctum“, revera gratiam Spiritus Sancti et characterem accipiunt.

605. *Schol.* De diaconissis.

Iam in Sacra Scriptura occurrunt diaconissae. Ita Phoebe diaconissa (*διάκονος τῆς Ἐκκλησίας*, Rom. 16, 1). In Ep. 1 ad Tim. 5, 9 sqq. describuntur qualitates, quibus instructa esse debeat mulier, quae in hoc munus eligatur. Quia plerumque viduae eligebantur, etiam nomen muneris est *χήραι*; interdum matriculariae vocantur (cf. *S. Ignat.*, Ep. ad Smyrn. 13; *F* 1, 244. *Tertull.*, De veland. virg. c. 9; *M* 2, 9020; Ad uxor. c. 7; *M* 1, 1299; De praescript. c. 3; *M* 2, 14; De monogam. c. 11; *M* 2, 943. *Clem. Alex.*, Paed. 1. 3, c. 12; *M* 8, 662. *Origen.*, Homil. 6 in Is. n. 3; *M* 13, 242; Homil. 17 in Lucam.; *M* 13, 1846 sq.).

Quae fuerint munera diaconissarum, discimus ex *Const. Apost.*: „Elige diaconissam, fidelem et sanctam, ad mulierum ministeria. . . Diaconissa siquidem femina ad multos usus indigemus. Ac imprimis cum baptizantur mulieres, diaconus tantum earum frontem unget oleo sancto, et post diaconissa eas illinet“ (l. 3, c. 15). Ibidem dicuntur diaconissae mittendae, ut feminas in earum domibus visitent. In ecclesia custodiunt portas mulierum (l. 2, c. 57), sedes assignant advenientibus mulieribus (ibid. c. 58). „Ad diaconum aut episcopum nulla mulier sine diaconissa accedat“ (ibid. c. 26). Secundum *Concil. Carthag. IV.* (c. 12) debent esse instructae, „ut possint apto et sano sermone docere imperitas et rusticas mulieres tempore, quo bapti-

zandae sunt, qualiter baptizatori respondeant et qualiter accepto baptis- mate vivant“.

Ritus consecrationis earum refertur in *Const. Apost.* (l. 8, c. 19. 20; *M* 1, 1115). Diaconissam consecrandam non esse ante annum quadragesimum statuit *Concil. Chalced.* c. 15; secundum apostolum debebant esse sexaginta annorum (1 Tim. 5. 9). Per hanc consecrationem non accensebantur clero; nam ut ait S. Epiphanius: „Quamquam diaconissarum in ecclesia ordo est, non tamen ad sacerdotii functionem aut ullam huiusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexus honestati consulatur“ (*Haeres.* c. 79, n. 3; *M* 42, 743. Cf. *Concil. Nicaen.* I, can. 19, et *Const. Apost.* 3, 9; *M* 1, 782). *Concil. Arausican.* I, can. 26 statuit, ne diaconissae amplius ordinationem acciperent. Item *Concil. Epaonense* can. 21 et *Concil. Aurelian.* II, can. 18. Inde a saeculo VIII. totum institutum in ecclesia occidentali abrogatum est. Si postea nomen diaconissae vel archidiaconissae occurrit, significat superiorissam monialium. — In Oriente institutum diaconissarum diutius permansit et in Syria videtur adhuc existere, licet valde modificatum.

Diaconissae Protestantium nihil commune habent cum veteribus diaconissis, sed sunt imitatio quaedam „sororum caritatis“, cum hac differentia, quod illae non tenentur voto castitatis, sed matrimonium inire possunt, quando volunt; quod et pleraeque faciunt, si occasio offertur.

Prop. XLVI. Presbyteratus est Sacramentum.

606. Existere in ecclesia Christi ordinem presbyteratus a diaconatu distinctum eique superiorem ex Tractatu de ecclesia constat (n. 349 sqq.).

Ex textibus ibi allatis etiam patet, quae sint presbyterorum munera, quae sic refert *Pont. Rom.*: „Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare.“ Eos esse ministros Eucharistiae et Paenitentiae, Extremae Unctionis, ordinarios ministros Baptismi et extraordinarios Confirmationis iam probatum est.

Nomen sacerdotis licet non secundum etymologiam, tamen secundum usum idem est ac presbyter. Ita iam apud *Tertullianum* clerici vocantur „ordo sacerdotalis“ et presbyteri „sacerdotes“ (*De exhort. cast.* c. 7; *M* 2, 921. Cf. *De Baptismo* c. 17; *M* 1, 1218). Rarius occurrit nomen graecum *ἱερεύς*. Ita *Pseudo-Ignatius* ad *Heronem* diaconum (*F* 2, 177) scribit: „Μηδὲν ἀνευ τῶν ἐπισκόπων πράττε· ἱερεῖς γάρ εἰσιν, σὺ δὲ διάκονος τῶν ἱερέων· ἐκεῖνοι βαπτίζουσιν, ἱεροουργοῦσιν, χειροτονοῦσιν, χειροθετοῦσιν· σὺ δὲ αὐτοῖς διακόνει, ὡς Στέφανος ὁ ἅγιος ἐν Ἱεροσολύμοις Ἰακώβῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις.“ In *Const. Apost.* (lib. 3, c. 10; *M* 1, 787) functiones episcoporum et presbyterorum dicuntur *ἱερατικὰ ἔργα*. Ex eo, quod presbyteri vocati sunt etiam sacer-

dotes, sufficienter iam refutatur illa hypothesis: in primitiva ecclesia nomen presbyteri aetatem tantum provecam significasse.

Usque ad saeculum X. *episcopi non raro simpliciter vocabantur sacerdotes* (cf. *Du Cange* s. v. sacerdos), presbyteri vero cum addito: sacerdos secundi ordinis (*Leo M.*, Sermo 48, n. 1; *M* 54, 298), sacerdotes minoris ordinis (*Gregor. M.*, in *Ezech.* 1. 2 Homil. 10, n. 13; *M* 76, 1065), presbyteri in secundo sacerdotio constituti (*Optat. Milev.*, Contra schism. Don. l. 1, c. 13; *M* 11, 910 sq.), secundi sacerdotes (*Innocent. I.*, Ep. 1 ad Decent. c. 3; *M* 20, 554). Postea vero soli presbyteri simpliciter sacerdotes vocati sunt.

607. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

In S. Scriptura presbyteri dicuntur esse cooperatores apostolorum et pastores animarum (1 Petr. 5, 1 sq.), qui constituuntur impositione manuum (1 Tim. 4, 14; 5, 21). Licet autem ex sola S. Scriptura clare distinguere non possimus, quid ex his ad solos episcopos, quid ad episcopos et presbyteros simul pertineat, videmus tamen ex historia ecclesiastica utrosque, et episcopos et presbyteros, externo ritu semper consecratos et potestate ordinis praeditos fuisse (cf. *Instit. prop.* n. 339 sqq.).

Ceterum Deus iam in Vetere Testamento loquens de tempore Messianico promiserat se instituturum esse novos sacerdotes ad novum sacrificium offerendum. „Assumam ex iis [gentibus conversis ad fidem] sacerdotes et levitas“ (*Is.* 66, 21). „Et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia“ (*Malach.* 3, 3). „Ab ortu enim solis ad occasum in omni loco sacrificatur“ . . . (*ibid.* 1, 11). Sacerdotium Veteris Testamenti typus erat sacerdotii Novi Testamenti. Ergo etiam in Novo Testamento est sacerdotium.

608. *Arg. 2. Ex Traditione.*

S. Ignatius M. docet presbyteros esse „loco senatus apostolici“, esse eos, qui loco Dei praesint ecclesiae, „sine quibus ecclesia non nominetur“, quibus fideles oboedire teneantur „tamquam legi Christi“, qui habeant ministeria altaris sub episcopo etc. (cf. *Instit. prop.* n. 349). Haec autem omnia ostendunt stabilem ordinem, qui ex institutione Christi est in ecclesia.

Presbyterorum ordinationes esse immutabiles et constantes, ita ut non possint iterum fieri laici, qui facti sint sacerdotes, testatur *Tertullianus*. Idem patet ex *Cypriano* (*Instit. prop.* n. 362).

Si veterrimi illi Patres nondum tam clare loquuntur de ipsa Sacramenti ratione, de ea disserte loquuntur Patres posteriores, ut *Gregor. Nys.*, *Chrysost.*, *Cyrrill. Alex.*, *Augustinus*, alii, quorum verba supra in Prop. XLII. recitata sunt.

Inter *Scholasticos* nulla umquam fuit de hac re disputatio. „Nam quantum ad sacerdotium, est extra controversiam apud Catholicos et

plane de fide“ (*Tanner*, Disp. 1, q. 2, dub. 2, n. 39). Similiter totus populus christianus (praeter Protestantes) credit sacerdotium esse Sacramentum, et in omni Catechismo catholico hoc docetur. Idem constat ex consensu omnium ecclesiarum orientalium.

609. *Arg. 3. Ex ritu Ordinationis.*

Nam in omni ritu occidentalis et orientalium ecclesiarum praescribitur impositio manuum episcopi et oratio, qua imploratur gratia Spiritus Sancti.

610. *Arg. 4. Ex Concil. Trid. (sess. 23, c. 3. 4).*

„Dubitare nemo debet Ordinem esse vere et proprie unum ex septem ecclesiae Sacramentis. . . . Quoniam vero in Sacramento Ordinis . . . character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt Novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse“ (*Denzinger* l. c. 836 sq.). Cap. 1 docuerat sacerdotes esse, qui habeant potestatem „consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius [Christi] nec non et peccata dimittendi et retinendi.“

611. *Schol. 1. De presbyterissis.*

Presbyteria, episcopa, *πρεσβυτερία* est nomen uxorum eorum, qui post matrimonium ad sacros ordines promoti erant (cf. *Du Cange* s. v. presbyteria). *Gregor. M.* (*Dial.* l. 4, c. 11) ait: „Presbyter quidam commissam sibi cum magno timore regebat ecclesiam; qui ex tempore Ordinationis acceptae presbyteram suam ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propius accedere numquam sinebat“ (*M* 77, 336). Neque enim iis, qui ad maiores ordines promoti erant, licebat uti uxoribus suis (cf. *Innoc.*, Epist. 1 ad Victricium c. 9; *M* 30, 475 sq.).

In ecclesia graeca presbyterae interdum vocantur uxores presbyterorum saecularium, qui ad caelibatum non obligantur. — Alio sensu presbyterae vocantur vel diaconissae simpliciter vel praefectae diaconissarum, ut testatur *S. Epiphanius* (*Haeres.* 79, 4; *M* 42, 746). De his apud Gratianum (*D.* 32, c. 19) ex *Concil. Laodicens.* c. 11: „Mulieres, quae apud Graecos presbyterae appellantur (vel praepositae), apud nos viduae, univirae et matriculariae appellantur, in ecclesia tamquam ordinatas constitui non debere“ (cf. *Morin.*, De Sacram. Ordinat. P. 3, exercit. 10).

612. *Schol. 2. De sacerdotio omnium Christianorum.*

Scribit *S. Petrus* (Ep. I, 2. 9) de omnibus Christianis: „Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.“

S. Ioannes: „Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit“ (Apoc. 1, 6).

Hoc altero textu Tertullianus haereticus factus abusus est ad ostendendum illicitum esse secundum matrimonium: „Praescribitur unius matrimonii esse oportere (Tit. 1, 6), qui alleguntur in Ordinem sacerdotalem. Usque adeo quosdam memini digamos loco deiectos. Sed dices: Ergo ceteris licet, quos excipit. Vani erimus, si putaverimus, quod sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque . . . Differentiam inter Ordinem et plebem constituit ecclesiae auctoritas et honor per Ordinis concessum sanctificatus. Adeo ubi ecclesiastici ordinis non est concessus, et offers et tingis et sacerdos es tibi solus. . . . Igitur si habes ius sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis, ubi necesse sit habere ius sacerdotis“ (De exhort. cast. c. 7; *M* 2, 922). Non est quidem multum laborandum in explicatione horum verborum, quia totus ille Tertulliani liber miseris sophismatis refertus est. Si quis eum excusare vult, potest dicere Tertullianum rhetorice tantum exaggerare dignitatem Christianorum, cum alibi clare statuerit differentiam inter clericos et laicos. Immo hoc ipso loco ait: „Omnes nos Deus ita vult dispositos esse, ut ubique Sacramentis eius obeundis apti simus. . . . Usque adeo nisi et laici ea observent, per quae presbyteri alleguntur, quomodo erunt presbyteri, qui de laicis alleguntur.“ Et alibi: „An ordo aliquis seorsim debeat institui monogamorum, de quo allectio fiat in clerum? Sed cum extollimur et inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes, quia sacerdotes nos Deo et Patri fecit. Cum ad peraequationem disciplinae sacerdotalis provocamur, deponimus infulas et impares sumus“ (De monog. c. 12; *M* 2, 947). Sed cur occupemur in excusandis dictis hominis in furorem acti, cum in ecclesia Montani et Priscillae utique non solum laici, sed etiam mulieres doctorum et prophetarum personas agerent?

Quid autem sibi velint illa verba apostolorum Petri et Ioannis, optime explicat Catechismus Romanus: „Duplex sacerdotium in Sacris Litteris describitur: alterum interius, alterum externum. . . . Quod igitur ad internum sacerdotium attinet, omnes fideles, postquam salutari aqua abluti sunt, sacerdotes dicuntur, praecipue vero iusti, qui Spiritum Dei habent et divinae gratiae beneficio Iesu Christi summi sacerdotis viva membra effecti sunt; hi enim fide, quae caritate inflammatur, in altari mentis suae spirituales Deo hostias immolant; quo in genere bonae omnes et honestae actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandae sunt . . . (cf. 1 Petr. 2, 5). David idem multo ante dixerat: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. . . . Externum vero sacerdotium non omnium fidelium multitudini, sed certis hominibus convenit, qui legitima manuum impositione sollempnibusque sanctae ecclesiae caerimoniis instituti et Deo consecrati ad aliquod

proprium sacrumque ministerium adscribuntur“ (P. 2, c. 7, n. 23 sqq. Cf. *Mazzella*, De eccl. n. 527 sqq.).

Prop. XLVII. Episcopatus est Sacramentum.

613. *Nota.* 1. Ex iis, quae in Tractatu de ecclesia (Prop. XXXIII. XXXIV. XLI) dicta sunt, constat esse in ecclesia episcopatum divino iure institutum.

Cum vero saeculo IV. *Aërius* coepisset docere episcopos et presbyteros divino iure esse aequales, eius doctrina ut haeretica reiecta est (cf. *S. August.*, De haeres. q. 53; *M* 42, 39 sq., et *S. Epiphanius*, Haeres. qu. 75; *M* 42, 503). Eundem errorem quidam medio aevo renovarunt (*Denzinger* l. c. 426), item *Wiclif* (*Denzinger* l. c. 569). Doctrinam catholicam rursus statuit *Concil. Trid.* (sess. 23, c. 4 et can. 6. 7; *Denzinger* l. c. 837. 843) contra novatores saeculi XVI.

Episcopi sunt unici ministri Sacramenti Ordinis et ministri ordinarii Confirmationis. Illud postea probabitur, alterum iam probatum est.

614. 2. In quaestione, num ordinatio episcopi sit Sacramentum, magna apparet dissensio inter theologos. *Veteres Scholastici plurimi id negant.*

De hac re scribit *Perrone*: „Cardinalis Raymundus Capisuchius O. P. (in *Controv. theol. selectis* [Romae 1670] *controv.* 28 de episcopatu, § 2) affert octoginta auctores, quos ipse profitetur fere omnes vidisse, qui negant episcopatum esse ordinem, et singulorum loca distincte apponit. Hoc ipsum argumentum fuse prosequitur. Adeo verum est, quod scripsit *Canus*: theologorum numerum obruere neminem debere. Adderem: et pondus, siquidem praeter Magistrum sententiarum S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Innocentius V., *Estius*¹ etc. sententiam negativam tuerentur“ (De ordine c. 2, n. 78, not.).

Exempli gratia audiatur S. Thomas, qui ad quaestionem, „utrum episcopatus sit ordo“, ita respondet: „Ordo potest accipi dupliciter. Uno modo, secundum quod est Sacramentum, et sic ordinatur omnis ordo ad Eucharistiae Sacramentum. Unde cum episcopus non habeat potestatem superiorem sacerdote, quantum ad hoc episcopatus non erit ordo. Alio modo potest considerari ordo, secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum; et sic cum episcopatus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem, episcopatus erit ordo. Ideo licet detur aliqua potestas spiritualis episcopo in sui promotione respectu aliquorum Sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris“ (Suppl. q. 40, a. 5).

¹ Errat *Perrone*; nam *Estius* (In 4, d. 24, § 28) contrariam sententiam proponit ut probabiliorem.

Contra, ut scribit Hallier (De sacr. elect. et ord. P. 2, sect. 2, c. 1, art. 2, § 2; *Migne*, Curs. theol. t. 24, col. 711), „affirmantem sententiam Bellarminus certissimam, Petrus Soto certa fide tenendam censent; Michael de Medina contrariam huic sententiae esse periculosam, Vasquez similiter, quod huic sententiae contrarium sit, sine gravi nota non posse teneri arbitrantur“ (cf. *Tanner*, Disp. 7, q. 2, dub. 2, n. 23).

Ex veteribus doctoribus etiam multi affirmativam sententiam docuerunt, ut *Altisiodorensis* (Sum. l. 4, tr. 8), *Durandus* (In 4, d. 24, q. 6, n. 8), *Paludanus* (In 4, d. 24, q. 6, a. 3), *Navarrus* (Manuale confess. c. 22, n. 28), item *Gabriel*, *Maior*, *Almainus*, *Caietanus*. *Guilielmus Paris.* (De Sacr. Ord. c. 13 in fine) ait: „Si quis dicere voluerit episcopatum esse ordinem alium a sacerdotis minoris, non opponimus nos.“ Affirmativam sententiam secuti sunt plurimi Canonistae in d. 21, c. 1, et d. 25, c. 1 (cf. *Phillips*, Kirchenrecht I, 309 sq.; *S. Alphonsus* l. 6, n. 738; *Palmieri*, De rom. pontif. prolegom. § 14, n. VI, p. 88. 99).

615. Arg. 1. Ex S. Scriptura.

Ordinatio, de qua loquitur S. Paulus 1 Tim. 4, 14 et 2 Tim. 1, 6, est Sacramentum. Atqui haec est ordinatio episcopalis. Ergo ordinatio episcopalis est Sacramentum.

Maior patet, quia ibi sermo est de signo, quod est efficax gratiae.

Minorem semper admisit Traditio catholica, ut videre est apud veteres expositores horum textuum *Chrysost.*, *Oecumen.*, alios. Et ipse S. Thomas ad illum textum notat: „A quo scl. ordinatus erat episcopus, in qua manus impositione data ei est gratia Spiritus Sancti.“ Idem ratio confirmat, quia apostolus agit de officiis episcopo propriis.

616. Arg. 2. Ex SS. Patribus.

SS. Patres non alio modo loquuntur de ordine episcoporum quam de ordinibus presbyterorum et diaconorum. Itaque qui admittit presbyteros et diaconos non externa tantum deputatione, sed vero Sacramento constitui, non potest idem non affirmare de episcopis. Immo nonnulli SS. Patres valde disserte loquuntur de ordine episcopatus ut de Sacramento.

S. Augustinus in Sermone ad Caesariensis ecclesiae plebem (n. 2; *M* 43, 691) de episcopis Donatistis, qui ad ecclesiam catholicam redeunt, ait: „Non sic illos suscipimus, ut sunt; absit a nobis, nam haeretici sunt; suscipimus autem catholicos, mutantur, suscipiuntur. . . . Bona, quae in illis agnoscimus, non sunt sua; Domini nostri habent bona, ecclesiae habent bona. Baptismus non est ipsorum, sed Christi. Invocatio nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati. . . . In errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris.

sed imperatoris.“ Hic igitur episcopalem ordinationem in una linea ponit cum Baptismo. Ergo censuit ordinationem episcopi esse Sacramentum et imprimere characterem.

S. Leo M.: „Eos rectores ecclesia accipit, quos Spiritus Sanctus praeparavit, ut in populo adoptionis Dei, cuius universitas sacerdotalis atque regalis est, non praerogativa terrenae originis obtineat unctionem, sed dignatio caelestis gratiae gignat antistitem“ (Sermo 3, n. 1; *M* 54, 144). Alia apud *Bellarminus*, De ord. c. 3 et 5.

617. Arg. 3. Ex Concil. Trid. (sess. 23, c. 3).

„Cum Scripturae testimonio . . . perspicuum sit per Sacram Ordinationem . . . gratiam conferri, dubitare nemo debet Ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctae ecclesiae Sacramentis; inquit enim apostolus: Admoneo te, ut resuscites gratiam. . . .“ (*Denzinger* l. c. 836.) Ergo ex verbis, quibus S. Paulus agit de episcopatu, deducit Concilium Ordinem esse Sacramentum.

Deinde Concilium, postquam c. 3 generatim dixit Ordinem esse Sacramentum, c. 4 dicit ad hierarchicum Ordinem maxime pertinere episcopos, et can. 6 damnat eos, qui docent episcopos non esse divina ordinatione institutos.

618. Arg. 4. Ex ritu ordinationis.

Secundum *Pontificale Rom.* ordinatio episcopi fit per manuum impositionem et impositionem libri evangeliorum cum verbis: „Accipe Spiritum Sanctum“, et sequentibus precibus.

In *Euchologio Graecorum* (*Goar* p. 302 sq.) eadem manuum et libri impositio praescribitur cum oratione, in qua Deus rogatur: „Domine, hunc etiam suffragiis electum . . . per meam peccatoris et adstantium ministrorum et episcoporum manum, adventu et virtute et gratia Sancti Spiritus corrobora. . . .“ Idem ritus apud alios Orientales observatur (*Denzinger*, Rit. Orient. II, 23 sq.).

In *Constitutionibus apostolorum* (l. 8, c. 4) non manus impositio, sed libri evangeliorum tantum impositio commemoratur; sed hoc videtur factum per accidens, quia alias semper utraque impositio praescribitur, ut in *Concil. Carth. IV.* can. 1 (*Denzinger* l. c. 50).

619. Arg. 5. Ex effectu ordinationis.

Ordinatione episcopali confertur potestas sacra et inamissibilis confirmandi et ordinandi. Ergo ex analogia fidei dicendum est dari characterem. Cum characterem autem datur gratia ad bene fungendum munere. Nam si diacono datur gratia propter suum munus, quanto magis datur gratia episcopo propter munus longe excellentius.

Praeterea nisi episcopatus esset Sacramentum, episcopus potestatem ordinandi acciperet mera deputatione externa, et consequenter

haec potestas voluntate summi pontificis posset auferri. Atqui hoc falsum esse ex constanti praxi et doctrina ecclesiae efficitur et ab omnibus conceditur.

Neque valet ratio adversariorum, quod episcopatus non dat novam potestatem circa Eucharistiam; ergo non dat characterem. Nam imprimis suppositum gratis sumitur non posse esse novum ordinem sacramentalem, quo non detur nova potestas circa Eucharistiam; deinde vero episcopatus certe multo magis dat novam potestatem circa Eucharistiam quam diaconatus et ordines minores, qui ab adversariis dicuntur esse Sacramenta. Episcopus enim potest aliis conferre potestatem consecrandi Eucharistiam; diaconus autem et inferiores clerici proprie nihil possunt circa Eucharistiam, quod non possit etiam a laicis fieri (cf. *A. Kurz*, *Der Episcopat*. Wien 1877).

620. *Schol.* Quot sint ordines.

Alii respondent esse septem, alii esse octo, alii esse novem. Sed est lis de verbo. Si quis episcopatum et tonsuram recensuerit speciales ordines, habebit novem; sin tonsuram noluerit esse specialem ordinem, habebit octo. Si praeterea dixerit sacerdotium esse unum ordinem bipartitum in episcopatum et presbyteratum, numerabit septem ordines, id quod communiter fit. Certe falsum est, quod quidam dicunt, esse communem et concordem omnium sententiam in ecclesia septem esse ordines, nec plures nec pauciores.

Maldonatus scribit: „In hac re mihi videntur iuris pontificii periti melius sentire, quod dicant plures esse quam ordines septem. Tota enim antiquitas plena est testimoniis; et episcopatum quidem esse ordinem distinctum adeo perspicuum est ex omnibus Conciliis vetustissimis et ex canonibus apostolorum, ut nemo negare possit, nisi qui non legerit“ (De Sacram. Ord. q. 4 initio).

Neque obstat, quod in Conc. Trid. c. 2 sess. 23 inscribitur: „De septem ordinibus“; nam hanc inscriptionem non fecit Concilium, sed postea addita est. Contra Conc., cum c. 3 dicat de episcopis: „Quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent“ (Denzinger l. c. 837), episcopos ut unum ordinem reliquis ordinibus opponit et ita octo ordines recenset (cf. *Tanner*, *Disp.* 7, q. 2, dub. 2, n. 37 sqq.).

Nihilominus *Sacramentum Ordinis est unum*, quia inferiores ordines ad episcopatum se habent ut imperfectum ad plenam perfectionem, seu ut partes ad totum, et ita Sacramentum Ordinis est totum potestativum „cuius est haec natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in alio autem est aliqua participatio ipsius“ (S. Thomas, *Suppl.* q. 37, a. 1 ad 2).

SECTIO II.

DE ESSENTIA SACRAMENTI ORDINIS.

Prop. XLVIII. *Materia Sacramenti Ordinis est impositio manuum, forma vero oratio, quae cum hac impositione iungitur.*

621. *Nota.* *Non inquirimus in materiam et formam ordinum non sacramentalium.* Hi enim ordines, cum sint institutionis ecclesiasticae, ecclesiae quoque est definire, quo ritu conferri debeant. Itaque si probabiliter observata sunt omnia essentialia, quae ecclesia praescribit, ordo valide collatus est. Summus autem pontifex solo actu voluntatis omnes defectus sanare potest, immo, si vellet, sola externa deputatione omnes ordines usque ad subdiaconatum inclusive conferre posset.

Iam alibi probavimus ecclesiam non posse substantialiter mutare signa sacramentalia. Quare omnino non respicimus sententiam eorum, qui putant olim vel alibi aliam fuisse vel esse materiam et formam essentialem quam nunc in ecclesia romana. Est autem de nostra quaestione triplex inter theologos sententia.

622. *Prima sententia docet solam manuum impositionem esse materiam essentialem Sacramenti.* Intellegitur autem in presbyteri ordinatione prima impositio manuum, quae fit ante Evangelium, et complectitur non solum tactum capitis ordinandi, sed etiam sequentem extensionem manuum; non vero intellegitur illa secunda, quae fit post Communionem, quia ante illam iam facti sunt presbyteri, cum Missam celebraverint, et quia posterior impositio manuum non est ritus adeo vetus et in ecclesia graeca inusitatus. Hanc sententiam defendunt *S. Bonaventura* (In 4, d. 24, p. 2, a. 1, q. 4), *Petrus Sotus* (De inst. sacerdot. lect. 5), *Menardus* in notis ad Sacrament. Gregor. M. (M 78, 491 sqq.), *Martène* (De antiq. eccl. rit. l. 1, c. 8, a. 9, n. 11. 16. 18, t. 2, p. 22), *Goar*, *Tournely* etc. (cf. *Suarez*, De Sacramentis in genere disp. 2, sect. 6). *S. Alphonsus* hanc sententiam sequitur ut probabilior (l. 6, n. 748 et 749). Recentes theologo vix non omnes hanc sententiam amplectuntur, ut *Perrone* (De Ord. c. 4, n. 123), *Franzelin* (De Sac. in gen. thes. 5), *Palmieri* (De rom. pontif. Proleg. § 15, Schol. n. III, p. 98 sqq), *De Augustinis* (De Ord. thes. 7), *Lehmkuhl*: „Valde probabile est“ (II, n. 590), alii.

Secunda sententia docet solam traditionem instrumentorum esse materiam essentialem. Ita *Valentia* (De Ord. disp. 9, q. 1, punct. 5) et nonnulli Thomistae.

Tertia sententia docet et impositionem manuum et traditionem instrumentorum simul esse materiam essentialem. Ita *Bellarminus*, *De Lugo* (De Sac. in gen. disp. 2, sect. 5, n. 98), *Vasquez*, *Wirceburg.* (n. 107), theologo post decretum Eugenii IV. satis communiter.

Primam sententiam non ut probabilem, sed ut moraliter certam defendimus.

Pars I. De materia Sacramenti Ordinis.

623. Arg. 1. Ex Sacra Scriptura.

S. Scriptura, ubi loquitur de Ordinatione, nihil unquam dicit de traditione instrumentorum, sed semper commemorat solam impositionem manuum, immo diserte impositioni manuum gratiam Spiritus Sancti ascribit.

Praeterea *primae Ordinationes factae sunt, antequam evangelia existerent*. Ergo errant, qui dicant ordinationis episcoporum et diaconorum materiam necessariam esse impositionem vel traditionem libri evangeliorum. Respondet Tanner cum aliis tunc „probabilius datam fuisse chartam descriptam, continentem mysteria fidei“. Quod responsum clarissime ostendit, quam desperata sit doctrina, quam tali modo conantur defendere. Scribit de hac quaestione Durandus: „Traditio libri in ordinatione diaconi non observatur in omni ecclesia, nec antiquitus forsitan observabatur in aliqua ecclesia. Unde secundum ordinarium antiquissimum ecclesiae Aniciensis, cui praefuimus, liber evangeliorum non tradebatur diacono in ordinatione sua. Sed nos volentes nos conformare ceteris ecclesiis, posuimus de manu nostra in margine dicti ordinarii, quod liber evangeliorum tradatur diacono cum consueta forma verborum“ (In 4, d. 24, q. 3, n. 7).

Ex eadem ratione *audiendi non sunt, qui volunt quaedam vestimenta sacra eorumque traditionem esse materiam Ordinis*; nam de talibus vestimentis Scriptura nihil dicit, et historia teste haec vestimenta vel omnino non vel saltem non ut sacra primis temporibus ecclesiae existebant¹.

624. Arg. 2. Ex SS. Patribus. SS. Patres numquam alii ritui nisi soli impositioni manuum ascribunt effectum Ordinationis, unde ipsa Ordinatio simpliciter *χειροτονία* vel *χειροθεσία*, i. e. impositio manuum, dicta est.

¹ „Die Kirche der ersten Jahrhunderte (1—350) hat keine liturgische Kleidung vorgeschrieben. . . In diesem ganzen Zeitraum bestand kein wesentlicher Unterschied zwischen den (Fest-) Gewändern des gewöhnlichen Lebens und jenen, welche die Priester am Altare trugen. . . Fragen wir, in welcher Kleidung die christlichen Priester vor dem Jahre 350 die heiligen Geheimnisse feierten. Die Antwort geben monumentale, theilweise auch schriftliche Zeugen. Danach gab es in dieser ganzen Periode keine besondere liturgische Kleidung, vielmehr versehen die Priester den heiligen Dienst . . . im Abendlande in Tunica und Pallium, im Osten in Dal-matica und Pallium. . . So wenig kannte man in den ersten Jahrhunderten eine besondere liturgische Kleidung, dass manche Liturgen nur mit dem Pallium angethan, d. i. in der sogen. Philosophentracht, die Mysterien feierten“ (Krieg apud Kraus, Real-Encyclopädie der christl. Alterthümer II, 177 sqq.).

S. Cornelius papa in Epist. ad Fabian. de Novatiano dicit: Episcopos quosdam homines plane rudes ac simplices, „quos ad id comparaverat temulentos et crapula oppressos, imaginaria quadam ac vana manuum impositione episcopatum sibi tradere per vim coegit“ (Euseb. H. E. l. 6, c. 43; M 20, 619).

S. Cyprianus scribit factum esse, „ut de universae fraternitatis suffragio et de episcoporum, qui in praesentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, iudicio episcopatus ei [Sabino] deferretur et manus ei in locum Basilidis [depositi] imponeretur“ (Ep. 67, n. 5; H 2, 739).

S. Basilius scribit de episcopis: „Ordinationem a patribus habebant et per manuum eorum impositionem habebant donum spirituale“ (Ep. I. can. ad Amphilocho., can. 1; M 32, 670).

S. Epiphanius: „Quinam fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat?“ (Haer. 75, n. 4; M 42, 507.)

S. Innocentius I. dicit: „Ab haereticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput“ (Ep. 17 ad episcop. Macedoniae c. 3; M 20, 530).

S. Leo M.: „Quid est manus cito imponere . . . nisi sacerdotalem honorem tribuere non probatis?“ (Ep. 12, c. 2: ad episcop. Africanos; M 54, 658.)

S. Hieronymus: „Plerique nostrorum *χειροτονία*, i. e. Ordinationem clericorum, quae non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus . . . sic intellegunt. . .“ (In Isai. l. 16, c. 58; M 24, 591.)

Eodem modo loquuntur multi alii Patres. Contra vero nullus textus afferri potest, quo SS. Patres gratiam Sacramenti traditioni instrumentorum ascribant.

625. Arg. 3. Ex historia ecclesiastica.

Constat non solum in ecclesiis orientalibus non adhiberi instrumentorum traditionem, sed hanc etiam per novem saltem saecula ignotam fuisse in ecclesia latina. Neve dicas mentionem huius ritus per accidens omissam esse a scriptoribus. Nam mirum est, quod omnes scriptores per novem et amplius saecula ritum essentialem numquam ullo verbo commemorent. Deinde vero hoc responsum quam futile sit, facile apparet ex his rationibus:

a) Exstat magnus numerus *veterum librorum ritualium*, quos ediderunt Menardus, Morinus, Martène. Iamvero nullus ex his libris, qui scriptus est ante annum 900, praescribit traditionem instrumentorum. Sed incredibile est hanc rem per tot saecula omissam esse, si essentialis sit. Neque habent adversarii, quod ad hoc argumentum respondeant, nisi ecclesiam tradita sibi potestate mutasse materiam Sacramenti. At alibi demonstravimus ecclesiae nullam talem com-

petere facultatem. „Deinde data ecclesiae facultate, de qua est sermo, gratis omnino et arbitrarie fingitur, quod ecclesia ea usa fuerit. Dicant enim, ubi et quando, quo saeculo, in quo Concilio, a quo pontifice facta sit eiusmodi mutatio“ (Benedictus XIV., De Synod. l. 8, c. 10, n. 10). Quod si nequeunt, gratis statuunt rem aliunde incredibilem. Nam sine dubio ecclesia, si in hac re essentialem mutationem facere voluisset, sollempni decreto hoc omnibus notum fecisset.

Concilium Carthag. IV. solam manuum impositionem ad conferendos ordines sacros praescribit, et dein addit ideo dari instrumenta in inferiorum ordinum collatione, quod hi ordines non conferantur per impositionem manus; et singillatim enumerat, quae instrumenta in singulis ordinibus minoribus sint tradenda. Ergo hi canones satis clare opponunt materiam ordinum superiorum, i. e. manuum impositionem, materiae ordinum inferiorum, i. e. traditioni instrumentorum. Unde etiam apparet admitti non posse sententiam eorum, qui dicunt ipsam instrumentorum traditionem esse impositionem manuum.

Una autem exceptio hic statuenda est, quod inde saltem a fine saec. IV. episcopo ordinando liber evangelii imponebatur. Hoc decrevit (vulg.) *Conc. Carthag. IV.* can. 2 (*Denzinger* l. c. 50), et hic ritus, licet modo satis diverso, apud Orientales et Occidentales servatur. — *Nihilominus non videtur essentialis*; nam Christus, sicut non praecepit, ut scriberentur evangelia, ita non praecepit, ut capiti ordinandi evangelia scripta imponerentur. Episcopi erant ante volumina evangeliorum. Ergo ad eorum ordinationem evangelia non requiruntur. Tandem saepe non episcopus ordinans, sed alii, sive episcopi assistentes, sive diaconi (*Const. Apost.* l. 8, c. 4), super caput ordinandi tenebant evangelia. Atqui fieri nequit, ut in Sacramento conferendo alius applicet materiam, alius pronuntiet formam (cf. *Martène* l. 1, c. 8, a. 10, n. 15). Neque umquam SS. Patres huic caerimoniae effectum Ordinationis ascripserunt.

626. b) *Varii scriptores mediæ aevi*, ut *Isidorus Hispal.* (De eccl. offic. l. 2; *M* 83, 777 sqq.), *Amalarius* (De eccl. offic. l. 2, c. 12; *M* 105, 1086), *Alcuinus* (vulgatus), alii ex professo describunt singulos ritus occurrentes in ordinationibus. Atqui nihil dicunt de traditione instrumentorum, sed de sola manuum impositione loquuntur. Ergo eorum aetate haec sola existebat et necessaria habebatur.

Ex his quoque scriptoribus nonnulli, ut ille *Alcuinus* et *Amalarius*, diserte negant semper et ubique in episcopi consecratione adhibitam fuisse impositionem evangelii, alii de hac caerimonia plane tacent, ut *Isidorus* (l. 2, c. 5); unde *Morinus* concludit hanc „impositionem ad episcopatus substantiam non pertinere“ (De Sac. Ord. P. 3, exerc. 2, c. 2, n. 5). Alii autem, ut *Martène*, dicunt illis testimoniis *Alcuini*

et *Amalarii* fidem adhiberi non posse, cum omnes libri rituales hanc impositionem praescribant.

Postquam traditio instrumentorum, i. e. calicis et patenae, communiter in ecclesia latina adhiberi coepta est, nequaquam statim dixerunt theologi per eam tradi potestatem, sed per eam significari potestatem iam traditam. Ita *Hugo Vict.*: „Accipiunt et calicem cum vino et patenam cum hostiis de manu episcopi, quatenus his instrumentis potestatem se accepisse cognoscant placabiles Deo hostias offerendi“ (De Sacram. l. 2, p. 3, c. 12; *M* 176, 428). Ipsam vero potestatis collationem ascribit impositioni manuum. Eadem verba repetunt *Magister* (4, d. 24, n. 9) et *Innocentius III.* (De sacro altaris myst. l. 1, c. 9; *M* 217, 779).

627. Contra haec *adversarii provocant ad doctrinam Innocentii III. et Gregorii IX.*, quasi hi docuerint impositionem manuum esse ritum tantum accidentalem. Scribit enim *Gregorius IX.* ad episcopum *Lundonensem*: „Presbyter et diaconus, cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali, ritu ab apostolis introducto, recipiunt. Quodsi omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi ordines conferendos caute supplendum, quod per errorem exstitit praetermissum. Suspendio autem manuum debet fieri, cum oratio effunditur super caput ordinandi“ (*Gregor. Decret.* l. 1, tit. 16, c. 3). Similia *Innocentius* dicit de subdiacono (ibid. c. 1). Sed hi textus potius confirmant nostram doctrinam; nam *Gregorius* dixit manuum impositionem esse supplendam „ad ordines conferendos“; ergo supponit nondum fuisse collatos. Dicitur autem suppleri manuum impositio per oppositionem ad iterationem, non ad significandum esse ritum accidentalem.

628. *Arg. 4. Confirmari potest thesis ex Concil. Florentino et Tridentino.*

In *Concil. Flor.* agebatur de unione Graecorum cum ecclesia latina, et quaecumque ad hanc unionem efficiendam apud Graecos correctione indigere videbantur, diligenter proponebantur et disputabantur. Cum igitur constaret Graecos ordinare per solam manuum impositionem, et nihilominus ne minima quidem dubitatio mota sit de valore harum ordinationum, evidens est persuasio Concilii per solam manuum impositionem ordines valide conferri. Idem valet de *Concilio Lugdunensi*, idem de pontificibus posterioribus, ut de *Clemente VIII.*, „qui Russorum episcopos, presbyteros et diaconos ad catholicam unitatem admisit cum ordinibus, quibus secundum ritum Graecorum insigniti fuerant in suo schismate“ (*Bened. XIV.*, De Synod. l. 8, c. 10, n. 7).

Ergo constat *incassum laborare adversarios, si conantur doctrinam suam fulcire verbis Eugenii IV.*: „Sextum Sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo, sicut

presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem" (*Denzinger* I. c. 596). Quomodo enim potuit Eugenius IV. his verbis definire velle ad valorem Ordinis porrectionem instrumentorum esse necessariam, cum in Concilio admisisset eos, qui ordinati erant sola manuum impositione? An affirmare audent Eugenium suis verbis modum Ordinationis usque ad id tempus validum voluisse reddere invalidum? Sed quomodo tunc ecclesia non mutavit substantialia Sacramentorum, quod fieri non posse est plane certum? Porro quomodo potuit Eugenius IV. dando decretum pro Armenis velle inducere novam legem pro Latinis? Quomodo potuit hanc legem condere, nullo verbo indicata voluntate talis mutationis et quidem mutationis in re gravissima? Tandem, si definitionem edidit de materia Ordinis, declaravit solam traditionem instrumentorum esse materiam, cum de impositione manuum nihil dicat, id quod ipsi adversarii neque possunt neque volunt admittere. „Necesse est igitur fateri Eugenium locutum de materia et forma integrante et accessoria, quam optavit ab Armenis superaddi manuum impositioni iam diu ab illis adhibitae, ut ecclesiae latinae moribus se accommodarent ac rituum uniformitate firmiter eidem adhaerent" (*Benedict.* XIV. l. c. n. 8).

629. Concil. Trident. pluries impositioni manuum, numquam vero traditioni instrumentorum ascribit effectum Sacramenti. Ita sess. 14, c. 3 de Extr. Unct. dicit ministros Extremae Unctionis secundum S. Iacobum esse presbyteros, „quo nomine eo loco . . . veniunt aut episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii" (*Denzinger* I. c. 788). — Sess. 23, c. 2 ait: „Non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis Sacrae Litterae apertam mentionem faciunt; et quae maxime in illorum Ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent" (*Denzinger* I. c. 835). Sed Sacrae Litterae materiam assignant solam manuum impositionem. — C. 3: „Dubitare nemo debet Ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctae ecclesiae Sacramentis; inquit enim apostolus: Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum" (*Denzinger* I. c. 836). Ergo impositio manuum est materia constituens hoc Sacramentum.

Pars II. De forma Sacramenti Ordinis.

630. Soluta quaestione de materia soluta quoque est quaestio de forma. Nam sicut adversarii dicunt essentialiam formam saltem partialiter constitui illis verbis, quae comitantur traditionem instrumentorum, ita nos dicimus formam esse illa verba, quae pertineant ad (primam) manuum impositionem (cf. *Gasparri*, De Sacra Ordin. 2, n. 1038 sqq. 1073 sqq. 1109 sqq.).

In ordinatione diaconi episcopus ponens manum dexteram super caput ordinandi dicit: „Accipe Spiritum Sanctum ad robur et ad resi-

stendum diabolo et tentationibus eius in nomine Domini." Dein extensam tenens manum dexteram prosequitur: „Emitte in eum, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi septiformis gratiae tuae munere roboretur. . . ."

In ordinatione presbyteri episcopus et sacerdotes manus imponunt capiti ordinandorum. Dein, dum manus extensas tenent, episcopus dicit: „Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem ad presbyterii munus elegit, caelestia dona multiplicet et, quod eius dignatione suscipit, ipsius consequatur auxilio. Per Christum D. N. Amen." Dein: „Exaudi nos, quaesumus, Dominus Deus noster, et super hunc famulum tuum benedictionem Sancti Spiritus et gratiae sacerdotalis infunde virtutem. . . ."

In ordinatione episcopi episcopus consecrans cum duobus episcopis assistentibus imponit capiti ordinandi librum evangeliorum. Tangunt dein caput ordinandi ambabus manibus dicentes: „Accipe Spiritum Sanctum." Quo facto solus consecrator dicit: „Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiae sacerdotalis benedictionis tuae in eum infunde virtutem. . . ."

631. In tribus igitur ordinibus sacramentalibus formae sunt illae orationes, quarum initia modo indicavimus. Sed notandum est in his orationibus occurrere verba imperativa „Accipe Spiritum Sanctum" (quae in ordinatione presbyteri dicuntur in secunda manuum impositione in fine Missae) et formam deprecativam. Iamvero illa verba imperativa sunt recentioris originis. Scribit enim Martène de ordinatione diaconi: „Verba illa Pontificalis Rom. ab episcopo dicenda, cum manum ordinandis imponit, „Accipe Spiritum Sanctum . . .", in quibus ordinationis diaconorum formam constituunt recentiores Scholastici, recentioris sunt institutionis, quae quadringentos vix superant annos." Nominat dein codices permultos, in quibus non inveniuntur, et addit: „Multo minus in antiquioribus libris istis codicibus" (*Antiq. eccl. rit.* I. 1, c. 8, a. 9, n. 2, t. 2, p. 21). Eadem dicit de ordinatione episcopi (l. c. a. 10, n. 14, p. 27). Idem testatur *Menardus* in notis ad Sacram. Gregor. (n. 747; *M* 78, 487). Neque minus certum est illa verba in ordinatione presbyteri: „Accipe Spiritum Sanctum, quorum peccata . . ." esse recentis originis, ut omnia Ritualia vetera testantur. Neque habentur illa verba: „Accipe Spiritum Sanctum" in Euchologio graeco pro ulla ordinatione.

Ergo certum est haec verba neque semper neque ubique adhibita esse in administrando Sacramento, sed longiores illas orationes, quae secundum sensum semper et ubique eadem fuerunt. Sunt qui dicant a Congregatione S. Officii validas declaratas esse ordinationes in Aethiopia factas per impositionem manuum cum solis verbis: „Accipe Spiritum Sanctum." Sed Congregatio de hac re interrogata, die 30. April. 1875 respondit se neque tale decretum emisisse neque um-

quam tales ordinationes validas declarasse (cf. *Gasparri*, De S. Ordinat. t. 2, n. 1057 sq.). Verba: „Accipe Spiritum Sanctum“ neque sunt forma, neque quicquam refert quoad valorem ordinationis, etiamsi omittantur; nam longior illa oratio sensum suum retinet sine his verbis imperativis.

Oritur autem forte *dubitatio*, quomodo secundum hanc explicationem *Conc. Trid.* dicere possit episcopus non frustra dicere in Ordinatione: „Accipe Spiritum Sanctum“ (sess. 24, c. 4). At aliud est haec verba debere verificari per Ordinationem, id quod Concilium unice docere intendit, et aliud est per haec ipsa verba produci gratiam Spiritus Sancti, id quod Concilium definire noluit. Verba igitur significant, quid Ordinatione efficiatur; sed Ordinatio non est necessario efficax praecise vi horum verborum.

632. *Schol.* De supplenda traditione instrumentorum omissa.

Traditio instrumentorum, si forte in Ordinatione omissa esset, *postea suppleri debet*, non quia ad essentiam Sacramenti pertinet, sed quia est ritus ab ecclesia praescriptus, sicut etiam suppleri debent caerimoniae Baptismi sollemnis, si omissae fuerunt. Hinc in nostra quoque sententia nil mirum est, quod ab ecclesiastica auctoritate iubetur suppleri traditio instrumentorum.

In hac autem re occurrunt variae quaestiones *de tactu physico instrumentorum*, quae apud Moralistas videri possunt (cf. *Ballerini*, Opus morale tom. 7: de Ord., n. 26). — Ceterum in quaestione de valore alicuius Sacramenti necessarij et initerabilis solent Congregationes romanae procedere secundum regulam, quam post Card. de Lugo (Resp. moral. l. 1, d. 1, n. 12; cf. d. 33) his verbis concipit S. Alphonsus: „Licet sententia negans valorem Sacramenti non aestimetur probabilis, nihilominus foret sufficiens motivum re-iterandi, quia prudenter formidare possumus, ne forte sit probabile, quod sit invalidum, aut saltem ne accedente iudicio plurium doctorum id successu temporis fiat probabile“ (l. 6, n. 751).

Recte autem addit Benedictus XIV.: „Quia nonnulli non infimi theologi dixerunt impositionem manuum praeambulam porrectioni instrumentorum simul cum hac in unam coalescere materiam, qua una cum verbis ab episcopo instrumenta exhibente prolatis prima confertur sacerdotalis potestatis pars, conficiendi nimirum corpus Christi, idcirco sacra Congregatio scite animadvertens praeviam illam manuum impositionem iam diu antea peractam non posse moraliter coniungi cum traditione instrumentorum, quae postmodum fieret, ut etiam huius opinionis in re tanti momenti rationem aliquam haberet, *totam Ordinationem sub condicione iterandam rescripsit*“ (De Synod. l. 8, c. 10, n. 13).

SECTIO III.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI ORDINIS.

Prop. XLIX. Effectus Sacramenti Ordinis est augmentum gratiae, character, potestas spiritualis.

Pars I. De augmento gratiae.

633. Ordo, cum sit Sacramentum, necessario est *efficax gratiae*; cum vero sit Sacramentum vivorum, haec gratia non est prima, sed secunda seu est augmentum gratiae. Ergo qui scienter suscipit hoc Sacramentum in statu peccati, graviter peccat (idem per se non valet de ordinibus non sacramentalibus); qui vero ignoranter et simul sine attritione Ordinem suscipit, non quidem peccat, sed non potest hic et nunc recipere effectum gratiae; sed in utroque casu, si postea obex removetur, Sacramentum *reviviscit* (cf. De Sacr. in gen. n. 314 sqq.). Neque enim putandum est Deum velle privare ordinatos gratiis sacramentalibus ad munera status debite obeunda pertinentibus, licet Ordinem indebito modo susceperint, dummodo postea obicem gratiae removeant. Deus „per Sacramentum Ordinis voluit subvenire hominibus remedio suavi et efficaci, ut sancte et digne ministrarent in domo Dei. Ergo sicut remedium Baptismi impeditum obice retinet suam efficaciam ad praestandos suos effectus etiam non necessarios ad salutem, quando aufertur obex, non est cur id negemus de Ordine“ (De Lugo, De Sacr. in gen. disp. 9, sect. 6, n. 103).

634. Qui *ignorans se esse in statu peccati, sed cum sufficiente attritione suscipit Ordinem, probabilius iustificatur*, quia merita Christi in Sacramento operantur, quando non adest obex; sed obex gratiae non est peccatum, de quo homo est attritus, ut videre est in Sacramento Paenitentiae.

635. *Simul cum gratia habituali datur ius ad gratias sacramentales*, quae successive conferuntur, ubi et quando ad ipsas cuiusque ordinis functiones rite subeundas necessariae sunt. Hoc testatur S. Scriptura (2 Tim. 1, 6. 7) et Traditio. Rationem reddit S. Thomas: „Quicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea, per quae executio illius potentiae possit congrue fieri. . . . Sicut autem gratia gratum faciens est necessaria ad hoc, quod digne homo Sacramenta recipiat, ita etiam ad hoc, quod digne Sacramenta dispenset. Et ideo sicut in Baptismo, per quem fit homo susceptivus aliorum Sacramentorum, datur gratia gratum faciens, ita in Sacramento Ordinis, per quod ordinatur ad aliorum Sacramentorum dispensationem“ (Suppl. q. 35, a. 1). Ad hoc autem gratia confert, non solum in quantum est habitualiter sanctificans, sed etiam in quantum procurat auxilia actualia.

Pars II. De caractere.

636. *Sacramento Ordinis imprimi characterem docet Conc. Trid. sess. 23, c. 4 et sess. 7, can. 9.* Cum autem constet et diaconatum et presbyteratum et episcopatum esse Sacramentum Ordinis, necessario concludimus tribus his ordinationibus imprimi characterem. Quamvis enim de singulis ordinibus non sit de fide, logica tamen necessitate hoc fluit ex iis, quae antea statuimus, communiterque a theologis conceditur.

637. Sed difficultas est, *quomodo tres illi characteres inter se habeant.* Omittimus sententiam Durandi docentis characterem nihil esse nisi externam deputationem ad officia ecclesiastica subeunda. Haec enim sententia iam alibi refutata est.

Vasquez ita de hac re philosophandum censet, „ut neque in tali Ordinatione imprimatur character omnino distinctus a praecedenti nec extendatur praecedens, sed *permanente eodem caractere conferatur alia potestas distincta a praecedente*“ (Disp. 240, c. 5, n. 54). Id est, Deus externa deputatione vult, ut character, qui antea sufficiebat ad absolvendum et consecrandum, nunc etiam sufficiat ad ordinandum (cf. disp. 239, c. 6, n. 56). Sed *haec opinio non videtur esse probabilis*; eadem enim fere rationes contra eam pugnant quae contra Durandi sententiam. Nam si episcopatus est potestas spiritualis indelebiter animae inhaerens, non apparet, cur non sit character, quippe qui ideo a Deo imprimatur, ut homo ad certum statum cultus divini intrinsecus consecratur. Atqui episcopatus praecipue pertinet ad ordines hierarchicos, et ordo episcopalis repeti nequit (*Conc. Trid. sess. 23, c. 4, et sess. 7, can. 9*). Ergo nulla est ratio dicendi non imprimi characterem.

638. Alia est sententia Paludani, qui ait: „Potest dici, quod per episcopatum *ampliatur character sacerdotalis*, ut sit unus et idem; et ideo non imprimit characterem, sed impressum extendit ad aliud... Potest igitur probabiliter dici, quod episcopatus est ordo, sed non distinctus a sacerdotio, et est Sacramentum, sed non distinctum a Sacramento Ordinis; et imprimit characterem, sed non alium“ (4, d. 24, q. 7, a. 4). Hanc sententiam sequuntur *Coninck, Silvester, Maurus*, alii.

Sed haec sententia aut vult nullam physicam qualitatem infundi per ordinem episcopalem, et reincident in sententiam Vasquezii, aut solum statuit characterem episcopalem non esse plane independentem a caractere sacerdotali, sed illum hunc necessario supponere; et hoc est verissimum, sed tunc non multum differt a communi sententia; et praeterea etiam dici nequit idem de relatione inter characteres presbyteralem et diaconalem, qui sunt inter se independentes.

639. *Communis sententia docet in qualibet ordinatione dari novum characterem.* Ratio est, quia datur potestas ad officia nova et sui generis. Ergo etiam datur character novus et ab aliis distinctus. Hanc sententiam defendunt *Bellarminus* (De ord. c. 5), *Valentia* (Disp. 9, q. 1, punct. 4 et q. 2), alii.

Pars III. De potestate.

640. *Novam potestatem dari per Sacramentum Ordinis ex dictis satis patet.* Quid sit haec potestas in episcopo et presbytero, notum est; de diacono notandum est eum non accipere ullam potestatem, quae ad actum valide ponendum, sed eam tantum, quae ad actum rite ponendum requiratur. Omnis enim potestas, quae ordinatione datur, principaliter ad Eucharistiam refertur. Et sacerdos quidem potestatem accipit, qua possit sacrificium eucharisticum offerre; episcopus vero accipit potestatem, qua possit novos continuo ministros Eucharistiae creare, quia hoc sacrificium usque ad finem mundi manere debet. Ut demum sacrificium rite secundum Christi institutionem celebretur, debent adesse ministri, qui sacerdoti ad altare deserviant, et hi sunt diaconi.

Verum quidem est physice potestatem ordinis nihil esse nisi characterem, sed nihilominus haec duo distingui debent. Nam etsi character in altera vita maneat, potestas ordinis ad hanc vitam restringitur (*Tanner*, Disp. 7, q. 2, dub. 5, n. 169). — Character igitur qua talis est physica qualitas; potestas qua talis est denominatio externa et moralis.

SECTIO IV.

DE SUBIECTO SACRAMENTI ORDINIS.

Prop. L. Subiectum capax ordinum usque ad presbyteratum inclusive est solus et omnis mas baptizatus; subiectum ordinis episcopalis est sacerdos.

Pars I. Subiectum ordinis est solus mas.

641. Nam qui ordinatur, ad hoc ordinatur, ut docere et praeesse possit. Atqui mulieres neque docere neque praeesse possunt, ut docet S. Paulus: „Mulieres in ecclesiis taceant; non enim permittitur iis loqui, sed subditas esse... Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia“ (1 Cor. 14, 34. 35). „Docere autem mulieri non permitto neque dominari in virum, sed esse in silentio“ (1 Tim. 2, 12).

642. Idem constat ex doctrina et praxi ecclesiae, quae numquam permisit, ut mulieres fierent sacerdotes. Si autem sexus femineus capax

esset huius Sacramenti iure divino, iniuste ecclesia totum sexum semper privavisset hac gratia, ut recte advertit *Scotus*.

„Numquam, inquit Epiphanius, ex quo mundus conditus est, sacerdotio est functa mulier, ac ne Eva quidem ipsa. . . . Atque ut ad Novum Testamentum accedamus, si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam praestare in ecclesia liceret, nulli potius quam Mariae illud in Novo Testamento committi sacerdotis officium debuit, cui tantus honor est habitus, ut gremio sinuque suo regem omnium ac caelestem Deum Deique Filium exciperet. . . . Post haec . . . episcoporum ac presbyterorum successiones sunt in domo Dei constitutae. Nec inter illos tamen mulier ulla cooptata legitur“ (Haer. 79, n. 2; *M* 42, 742). Similiter iam Tertullianus contra haereticos scribit: „Ipsae mulieres haereticae quam procaces, quae audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere“ (Praescript. 41; *M* 2, 56. Cf. De veland. virg. c. 9; *M* 2, 902). S. Thomas ita ratiocinatur: „Quaedam requiruntur in recipiente Sacramentum quasi de necessitate Sacramenti; quae si desint, non potest aliquis suscipere neque Sacramentum neque rem Sacramenti; quaedam vero requiruntur non de necessitate Sacramenti, sed de necessitate praecepti. . . . Dicendum ergo, quod sexus virilis requiritur ad susceptionem ordinum, non solum secundo modo, sed etiam primo. Unde etsi mulieri exhibeantur omnia, quae in ordinibus fiunt, ordinem tamen non suscipit, quia, cum Sacramentum sit signum, in iis, quae in Sacramento aguntur, requiritur non solum res, sed significatio rei. . . . Cum igitur in sexu femineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subiectionis habet, ideo non potest Ordinis Sacramentum suscipere“ (Suppl. 39, a. 1).

643. *His non obstat benedictio abbatissarum*, quae non est Sacramentum, sed sacramentale quoddam. Neque abbatissae habent ullam potestatem ordinis, sed potestas, quam habent, est oeconomica et domestica externum monasterii regimen spectans. A tonsura autem clericali et ab ordinibus minoribus mulieres non arcentur positivo iure divino, cum ordines minores et tonsura sint ecclesiasticae institutionis; neque vero arcentur solo iure ecclesiastico, sed *iure naturae*, quia, sicut impossibile est mulieres accipere ordines sacramentales, ita est indecens eas admittere ad ordines, qui ex natura sua sunt praeparatorii ad ordines sacramentales, quique dant potestatem serviendi publice in templo, ubi mulieres servire non debent. Consequenter ne ipse quidem summus pontifex dispensare potest, ut mulieres accipiant tonsuram clericalem vel ordines minores (*Vasquez*, Disp. 245, c. 3).

644. *Omnis vero mas baptizatus valide ordinatur*, etiamsi est infans vel amens, servatis tamen iis, quae dicta sunt de intentione in Tractatu de Sacramentis in genere Prop. XXVIII. Quare ii amentes,

qui aliquando habuerunt usum rationis neque tunc voluerunt ordines suscipere, postea valide ordinari nequeunt. Ab infantibus autem posse ordines suscipi constat ex decret. Gregor. l. 5, t. 29. Cf. Gratiani Decret. P. 1, dist. 28. Idem docet Benedictus XIV. in instructione „Inter sollicitas“ de ritibus Copticis die 4. Mai. 1745 data, ubi § 20 ponit casum: „Ab episcopo legitima auctoritate suffulto non solum minores, sed etiam sacros ordines infanti conferri“, et dicit: „Concordi theologorum et canonistarum suffragio definitum est validam sed illicitam censi hanc ordinationem, dummodo nullo labore substantiali defectu materiae, formae et intentionis in episcopo ordinante, non attentata contraria sententia, quae raros habet asseclas, et quae supremis tribunalibus et Congregationibus Urbis numquam arrisit.“

Sanctus quidem Thomas excipit episcopatum: „Ad episcopatum, ubi etiam in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus suscipientis curam animarum pastorem; et ideo est etiam de necessitate consecrationis episcopalis, quod usum rationis habeat“ (Suppl. q. 39, a. 2). *Sed haec exceptio necessaria non est*, cum Sacramentum Ordinis non consistat in actu, sed in potestate spirituali, quae potestas adesse potest, licet hic et nunc non possit transire in actum. Quod cum Thomistae vidissent, studuerunt verba sancti Thomae explicare de actuali susceptione curae pastoralis. Sed valde improbabiler, cum toto articulo agat de collatione Sacramenti Ordinis et opponat episcopatum omnibus aliis ordinibus, etiam maioribus. Atqui ad actuale exercitium aliorum quoque ordinum usus rationis requiritur.

Pars II. Subiectum capax ordinis episcopalis est solus presbyter.

645. Haec est doctrina omnium fere theologorum, ut ait Valentia: „Omnes sentiunt ordinationem episcopi esse invalidam, nisi praecesserit sacerdotium“ (Disp. 9, q. 1, punct. 4). Et consentit *Vasquez* (Disp. 140, c. 5, n. 54). Similiter *S. Alphonsus* (l. 6, n. 793). *Ratio* est, quia episcopus est summus sacerdos. Atqui in episcopali consecratione non datur potestas consecrandi, quae est imprimis sacerdotalis. Ergo hac potestate non supposita, nemo potest fieri summus sacerdos seu non potest valide consecrari episcopus. Et revera, qui non habet potestatem in corpus Christi reale, non potest habere potestatem (ordinis) in corpus Christi mysticum, ut iam alibi diximus, quia corpus Christi mysticum maxime pascendum est corpore Christi reali. Episcopatus est quidem maior sacerdotio, quatenus addit aliquid; prout autem ei opponitur, non est maior, sed minor potestas; nam potestas consecrandi est maxime sublimis in ecclesia (cf. *Hallier*, De sacr. elect. P. 2, § 1, c. 1, n. 14). — Multi quidem ex Scholasticis ideo censebant presbyteratum supponi ab episcopatu, quod episcopatus solum extendit characterem presbyteralem ad nova munera. Ubi autem character

non est, ibi extendi non potest. Alii vero, qui dicunt per episcopatum imprimi novum characterem, hanc rationem non admittunt. Immo pauci ex iis eo processerunt, ut dicerent posse episcopatum valide suscipi non praesupposito presbyteratu. Ita Bosco: „Cum nos teneamus episcopatum esse ordinem proprie dictum, nullus debet mirari, si consequenter teneamus eum, qui sacerdos non sit, valide posse episcopum consecrari“ (Disp. 10 de Sacram. Ord. sect. 1, concl. 9, n. 200). Sed haec non est consequentia, cum praeter illam rationem Scholasticorum etiam aliae praesto sint, et hoc unum sufficere potest, quod ecclesia numquam legitur agnovisse valorem episcopatus collati ei, qui non erat presbyter. Propterea etiam ii, qui docent episcopatu novum characterem imprimi, nihilominus docent ad valorem praerequiri presbyteratum, ut *Bellarminus* (De ord. c. 5), qui tamen recte innuit esse aliam quaestionem, num cogitari non possit una eademque ordinatione dari simul et presbyteratum et episcopatum, quae quaestio est liberae disputationis, neque apparet, cur affirmari non possit.

646. Verum quidem est *Graecos Photii asseclas Latinis obiecisse apud eos diaconos fieri episcopos non suscepto prius presbyteratu*, sed, ut ait Nicolaus I. in epistula „ad Hincmarum et ceteros episcopos in regno Caroli constitutos“ a. 867 data: „Odio et invidia inflammati“ Graeci vera vituperant, quae nulla vituperatione digna sunt, et multa falsa mentiuntur, et „in lacu blasphemiae tinxisse calamum et luto erroris usi pro atramento fuisse procul dubio patuere“ (M 119, 1152 sqq.). Monet Nicolaus episcopos, ut harum accusationum confutationem scribendam curarent. Quod opus suscepit Ratramnus, qui scripsit quattuor libros „Contra Graecorum opposita romanam ecclesiam infamantium“ (M 121, 334. Cf. 223). Et in lib. 4, c. 8 ait: „Criminantur falso . . . quod arguunt levitas episcopos fieri presbyterii gradu non prius suscepto; non reputantes, quod in ceteris sibi demant auctoritatem fidei, quandoquidem in istis tam evidententer mentiuntur.“ Similiter locuti sunt episcopi Synodi Wormatiensis a. 868 (cf. *Heffele*, Conciliengesch. t. 4). — Pauca exempla, quae *Martène* in contrariam partem affert (De ant. eccl. rit. l. 1, c. 8, a. 3), nullius momenti sunt, quia aut obscura sunt, aut aliter explicari possunt, aut ad summum probant quorundam ignorantiam (cf. *Morin.*, De Sacram. Ord. P. 3, exercit. 11, c. 2). Ceterum si tale quid apud Catholicos interdum contra ecclesiae prohibitiones disertas factum esset, non probaret valide factum esse. Sed cum pro tali abusu nullum testimonium fide dignum afferri possit, contrarium usum semper in ecclesia observatum esse constat (cf. *Gasparri*, De Sacra Ordin. c. 1, n. 23 sqq.). Ita e. g. de S. Ambrosio Paulinus scribit in vita n. 9: „Baptizatus [Ambrosius] fertur omnia ecclesiastica officia implese, atque octavo die episcopus ordinatus est“ (M 14, 30).

647. *Schol.* Quid requiratur ad ordines licite suscipiendos.

Presbyteratus ad valorem ordinis non supponit diaconatum. Certum est enim *posse valide fieri sacerdotem, qui non sit diaconus*. Ita enim scribit Innocentius III. in quadam decretali: „P. presbyter, diaconatus ordine praetermisso, se fecit ad sacerdotium promoveri. . . Mandamus, quatenus condignam paenitentiam pro huiusmodi negligentia iniungas eidem; qua peracta, quia non intellegitur iteratum, quod factum esse nescitur, ipsum in diaconum ordinari procures et sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine sacerdotis“ (Gregor., Decret. l. 5, t. 29). Idem statuit Alexander II. de alio, qui subdiaconatu praetermisso, diaconus et presbyter factus fuerat (Gratian. P. 1, dist. 52). Ratio est, quia diaconatus nullam confert potestatem necessariam ad valorem alicuius actus, sed est gradus praeparatorius ad presbyteratum. Potest autem aliqua res subsistere sine suis praeparatoriis; episcopatus e contra supponit presbyteratum, ut perficiens perfectibile; sed perfici non potest, quod omnino non existit.

648. *Lege ecclesiastica stricte prohibetur, ne superior ordo ante inferiorem suscipiatur* (ordinatio per saltum), quae lex primo a Caio papa lata esse dicitur. Qui contra hanc legem fecerit, incurrit suspensionem ab ordine sacro suscepto.

Item ante tonsuram praerequiritur Confirmatio (*Conc. Trid.* sess. 23, c. 4, de Reform.); at character Confirmationis non supponitur ad valorem Ordinationis, ut character baptismalis; immo plurimi theologi dicunt illam legem obligare sub veniali tantum (*S. Alphons.* l. 6, n. 786).

Alia, quae requiruntur ad licitam ordinum susceptionem quoad aetatem, immunitatem a censuris et irregularitatibus, scientiam, titulum, litteras testimoniales et dimissorias, interstitia, alia quae statuta sunt a *Concilio Tridentino* in sess. 23, tractantur in theologia morali vel in iure canonico.

SECTIO V.

DE MINISTRO ORDINUM.

Prop. LI. Ordinum minister ordinarius quoad valorem est quilibet episcopus, quoad licitatem episcopus proprius.

Pars I. Minister ordinarius ordinum quoad valorem est episcopus.

649. Loquimur proxime de ordinibus, quos Christus instituit, quia ecclesia de suis institutionibus definire potest, quaecumque videntur; sed constat etiam ecclesiam velle, ut ordinarie solus episcopus ordines administret.

650. *Arg. 1.* In S. Scriptura ordines a solis episcopis administrari iisque solis hanc potestatem ascribi videmus (Act. 6, 6; 14, 22. 1 Tim. 5, 22; 2 Tim. 1, 6; Tit. 1, 5). Ergo, quantum ex Scriptura conicere possumus, soli episcopi sunt ministri ordinum.

651. *Arg. 2.* Ex SS. Patribus.

SS. Patres solis episcopis potestatem ordinandi tribuunt. S. Hieronymus: „Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?“ (Epist. 146 ad Evang. n. 1; *M* 22, 1193).

S. Epiphanius: „Totum illud [Aerii dogma] stoliditatis esse plenissimum prudens quisque facile perspicit, velut cum episcopum ac presbyterum adaequare conatur. Hoc enim constare qui potest? Si quidem episcoporum ordo ad gignendos patres praecipue pertinet. Huius enim est patrum in ecclesia propagatio. Alter, cum patres non possit, filios ecclesiae regenerationis lotionem producit, non tamen patres aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat?“ (Haer. 75, n. 4; *M* 42, 507.)

In Apologia S. Athanasii contra Arianos (n. 12; *M* 25, 270): „Unde presbyter Ischyrae? quo ordinante? num Colutho? id enim solum restat. Atqui Coluthum presbyterum obiisse ambasque eius manus sine auctoritate fuisse, ac omnes, qui ab eo schismatis tempore ordinati sunt, ad laicorum status redactos ita conventibus interesse, omnibus notum ac nulli dubium est;“ (n. 75; *M* 25, 386): „Ordinatus quippe fuit a Colutho presbytero, qui falso episcopi nomine gloriabatur demumque in communi Synodo, ab Hosio et sociis eius episcopis celebrata, ad priorem presbyteri ordinem redactus est. Ac consequenter quotquot a Colutho fuerant ordinati, ii sunt ad priorem reversi condicionem, ita ut ipse quoque Ischyrae inter laicos visus fuerit.“ Cf. S. Ioan. Chrysost., Hom. 11 in 1 Tim. (*M* 62, 553). Theodoret., In 1 Tim. 4, 14 (*M* 82, 815).

652. *Arg. 3.* Ex Conciliis, quae docent ordinationes debere fieri ab episcopo, ut *Conc. Nicaen. I.* can. 4, *Conc. Antioch.* (a. 341) c. 13, *Conc. Laodicen.* c. 5 etc., *Florent.* (*Denzinger* I. c. 596). *Conc. Trid.* sess. 23, c. 7: „S. q. d. episcopos non esse presbyteris superiores vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, A. S.“ (*Denzinger* I. c. 844).

Adde „quod minister Sacramenti Ordinis esse solum episcopum, ut in tota Dei ecclesia, ita et apud Orientales pro irrefragabili fundamento semper habitum est“ (*Denzinger*, Rit. Orient. I, 141).

653. *Arg. 4.* Ex communi doctrina omnium theologorum, ut S. Thomae (Suppl. 38, a. 1), Vasquez (Disp. 243, c. 1), Tanner (Disp. 7, q. 3, dub. 2), qui hanc rationem reddunt, in omni regno lege ordi-

maria solius principis esse munera publica distribuere. Atqui in ecclesia principes sunt episcopi. Ergo soli episcopi debent alios admittere ad munera publica ecclesiastica.

Pars II. Minister ordinum ordinarius quoad licitatem est episcopus proprius.

654. *Conc. Trid.* sess. 23, c. 8 de Reform. statuit: „Unusquisque a proprio episcopo ordinetur. Quodsi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus, permittatur, nisi eius probitas et mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.“ Haec lex statuens, episcopum non debere ordinare nisi suos subditos est antiquissima. Data enim est in *Conc. Nicaeno I.* can. 16 (17), in *Conc. VI.* can. 17 et alias saepe. Cf. 6 Decret. l. 1, tit. 9. Potest tamen episcopus delegare alium episcopum ad suos subditos ordinandos.

Est autem episcopus proprius alicuius ratione originis, domicili, beneficii, famulatus, de qua re alibi agitur (cf. Hallier, De sacris election. P. 2, sect. 5, c. 3).

655. *Schol. 1.* Ad ordinandum episcopum requiruntur tres episcopi, quos nunc communiter assignat summus pontifex. Ternarius numerus praescribitur in Pontificali Romano. Euchologium Graecorum requirit tres praeter consecrantem, alia Ritualia Orientalia saltem tres requirunt (*Denzinger*, Ritus Orient. I, 142). *Conc. Nicaen. I.* c. 4 statuit: „Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, episcopis ordinari. Si autem difficile fuerit aut propter instantem necessitatem aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in id ipsum convenientibus et absentibus quoque pari modo decernentibus, et per scripta consentientibus, tunc celebratio ordinetur.“ Cf. *Conc. Antioch.* (a. 341) can. 19, *Sardic.* (a. 347) c. 5, *Conc. Carthag. II.* (a. 397), can. 12, *Conc. Carth. IV.* c. 2 (*Denzinger*, Enchir. 50).

656. Oritur autem quaestio, utrum omnes episcopi sint consecratores an unus tantum. Alii dicunt omnes esse consecratores, quia omnes manus imponunt capiti ordinandi dicentes: „Accipe Spiritum Sanctum.“ Alii autem dicunt unum episcopum esse consecratorem, reliquos assistentes, quia in Pontificali Romano unus vocatur consecrator, alii duo numquam hoc nomine appellantur, sed assistentes; dein secundum Euchologium graecum unus tantum episcopus pronuntiat formam, id quod etiam statuit *Conc. Carthag. IV.* (*Denzinger* I. c. 50). Illa autem verba „Accipe Spiritum Sanctum“ probabilius non sunt forma, ut dictum est.

657. Cum hac quaestione cohaeret altera: *Num tres episcopi requirantur ad valorem consecrationis.* Alii respondent affirmative, ut *Morinus* (De Sacr. Ord. P. 3, exerc. 4, c. 2), *Gonet* (De Ord. disp. 4, a. 3), *Tournely*. Alii docent non valere consecrationem ab uno episcopo factam, nisi talis modus ordinationis pontificio indulto concessus sit, ut *Vasquez* (Disp. 243, c. 6, n. 63) et alii. Alii denique dicunt ordinationem ab uno episcopo factam semper esse validam, sed, nisi fiat ex indulto pontificio, illicitam. Ita *Benedictus XIV.*, qui multos alios theologos citat (De Synodo lib. 13, c. 13, n. 4. 5). Haec tertia sententia placet ob has rationes:

658. Imprimis certum est *pluries concessum esse a summo pontifice, ut episcopus ab uno solo consecraretur.* Interrogaverat enim Augustinus, Anglorum episcopus, Gregorium M.: „Peto, si longinquitas itineris magna interiacet, ut episcopi facile non possint convenire, an debet sine aliorum episcoporum praesentia episcopus ordinari?“ Respondet Gregorius: „Et quidem in Anglorum ecclesia, in qua adhuc solus tu episcopus inveniris, ordinare episcopum non aliter nisi sine episcopis potes“ (l. 11, ep. 64; *M* 77, 1191, cum nota). Ex *Bedae* autem historia Angl. II, c. 3 constat revera ita factum esse, quia narrat Iustum et Mellitum ab Augustino episcopos ordinatos esse, nulla facta mentione episcoporum assistentium (*M* 95, 85). Simile privilegium *Gregorius XIII.* concessit Patriarchae Aethiopiae; item aliis *Alexander VII.* et *Innocentius X.*

659. In Canonibus Apostolorum statuitur: „Episcopus a duobus vel tribus episcopis ordinetur“ (c. 1). In Constitut. Apost.: „Episcopum praecipimus ordinari a tribus episcopis, aut ut minimum a duobus; non licere autem vobis ab uno constitui. Nam duorum vel trium testimonium firmiter est et indubium“ (l. 3, c. 20). Hic igitur episcopi assistentes considerantur ut testes. Iterum: „Episcopus a tribus vel duobus episcopis ordinetur. Si quis autem ordinatus fuerit ab uno episcopo, deponatur et ipse, et qui ordinavit eum. Quodsi necessitas coincidens coegerit ab uno ordinari, eo quod propter persecutionem aut aliam similem causam plures interesse non possint, afferat auctoritatem mandati plurium episcoporum“ (l. 8, c. 27). Alia documenta collegit *Hallier* (De sacris elect. P. 2, sect. 5, c. 2, § 2).

Praeterea „plures in sacra antiquitate occurrunt antistitem ordinationes ab uno tantum episcopo peractae, quae redarguuntur quidem ut illicitae, sed minime reiciuntur ut irritae et nullae; neque vero uspiam legitur episcopum ab uno antistite consecratum iussum fuisse consecrationis munus iterum recipere ab episcopo, cui duo alii episcopi cooperarentur“ (Bened. XIV., De Syn. l. 13, c. 13, n. 4; cf. *Sardagna*, De Ord. a. 6, n. 428).

Tandem afferri possunt *hae rationes*: quod unus episcopus habet plenam potestatem ordinis, quae aliorum episcoporum praesentia non

augetur; quod in nullo alio Sacramento plures ministri requiruntur, cur igitur in consecratione episcopi? Itaque haec sententia saltem multo probabilior est.

660. *Schol. 2. De ordinationibus factis ab episcopis haereticis vel schismaticis.*

Cum ordo sacramentalis conferatur non per potestatem iurisdictionis, sed per potestatem ordinis tantum, et cum ordinans potestatem suam acceperit per infusionem characteris indelebilis, sequitur *validitatem ordinationis non pendere neque a probitate neque a fide ministri.* Ergo episcopus haereticus vel schismaticus, dummodo servet materiam et formam et habeat necessariam intentionem, valide ordinat.

Ideo docet S. Augustinus numquam licere ordinem iterari, sive quis ordine iam suscepto in schisma vel haeresim inciderit et postea revertatur, sive extra ecclesiam ordinem susceperit, quia Ordo eodem modo se habeat sicut Baptismus: „Utrumque enim Sacramentum est et quadam consecratione utrumque homini datur: illud, cum baptizatur, istud, cum ordinatur, ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam praepositi, pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt, et si visum est opus esse, ut eadem officia gererent, quae gerebant, non sunt rursus ordinati, sed sicut Baptismus in iis, ita Ordinatio mansit integra, quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in Sacramentis, quae, ubicumque sunt, ipsa sunt. Et cum expedire hoc iudicatur ecclesiae, ut praepositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent, non iis tamen ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non iis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat iniuria“ (Contra Ep. Parmen. l. 2, c. 13, n. 28; *M* 43, 70 sq.). „Quapropter sicut redeunti non redditur, quod foris habebat, sic venienti non repetendum est, quod etiam foris acceperat. Unde consequenter intellegitur perversitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem Sacramentorum in nullo perverso esse violandam. Constat enim in perversis et sceleratis hominibus, sive in iis, qui intus sunt, sive in iis, qui foris sunt, impollutam atque inviolabilem permanere“ (ibid. n. 30; *M* 43, 72).

Hanc sententiam S. Augustini sequuntur unanimiter theologi cum S. Thoma (Suppl. q. 38, a. 2; cf. 2, 2, q. 39, a. 3, et q. 100, a. 6 ad 1); cf. *Palmieri* (De Rom. Pontif. Prolog. § XIII, n. V, p. 72 sqq.).

661. Concilium Nicaenum I. can. 8 statuit: „De his, qui se Catharos, i. e. puros, quandoque nominant [Novatiani], ad catholicam autem et apostolicam ecclesiam accedunt, sanctae magnae Synodo visum est, ut impositis iis manibus sic in Clero maneat“ (*Denzinger* l. c. 19). Illa verba *χειροθετουμένων αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν κλήρῳ*,

aliter ab aliis intelleguntur. Aut: „Si qui per manus impositionem ordinati sunt, in Clero permaneant.“ Ita e. g. *Ballerini* (Annot. in Leonis M. Ep. 167; *M* 54, 1494). Hoc modo diserte enuntiatur validitas ordinum Novatianorum. Aut: „Manus impositionem accipiant et sic maneant in Clero.“ Ita e. g. *Dionysius Exiguus* (*Mansi* 2, 680; 6, 1128). Secundum hanc alteram interpretationem manus impositio intellegitur dari in paenitentiam, non ad reordinandum, cum Concilium dicat: „Maneant in Clero.“ Prior explicatio vera est, quia in Concilio Nicaeno quaestio non agebatur, num validae essent ordinationes Novatianorum, sed, hac validitate supposita, quaestio erat, utrum eorum clerici, si ad ecclesiam redirent, relinquendi essent in dignitatibus suis an ad communionem laicam tantum admittendi. *Χειροθετούμενους* significare eos, qui iam ordinati erant, inde quoque efficitur, quod secus canon praescriberet omnes Catharos ad ecclesiam redeuntes ordinandos esse: „Sic in clero maneant“; id quod aperte admitti nequit. S. Hieronymus de Concilio Nicaeno ait: „In Synodo Nicaena octo episcopos Arianos susceptos scimus“ (Dial. adv. Lucif. n. 19; *M* 23, 173). Suam vero mentem his verbis manifestat: „Si in fide sua [haeretica] baptizato baptizans nocere non poterit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit“ (ibid. n. 17). „Eadem ratione episcopum ab Arianis recipio, qua tu accipis baptizatum“ (ibid. n. 14; *M* 23, 166 sqq.).

662. Ordinationes haeticorum secundum canonem Nicaenum validas agnoverunt Synodus Ephesina act. 7 (*Harduin* 1, 1626 sq.) et Synodus universalis VII., in qua Tarasius patriarcha multis documentis hanc praxim comprobavit (*Mansi* 12, 1022. 1038. 1042). Concilium Carthagin. III. hunc can. 38 statuit: „Non liceat fieri rebaptizationes et reordinationes vel translationes episcoporum“, qui canon regula iuris facta est (d. 4 de consecr. c. 107). Eadem est doctrina *Gregorii M.* (l. 2, Ep. 32; l. 11, Ep. 67), *Anastasio I.* (Constant. p. 733 sq.), *Leonis M.* (Decreti p. 2, causa 1, q. 7, can. 19 sqq.). Uberius in hanc rem inquit *Anastasius II.*, qui diserte docet ordinatorum ab *Acacio* Constantinopolitano episcopo schismatico valide esse ordinatorum. Postquam enim exposuit Sacramenti validitatem non pendere a dignitate ministri, ita concludit: „Ideo ergo et hic [*Acacius*] male bona ministrando sibi tantum nocuit. Nam inviolabile Sacramentum, quod per illum datum est aliis, perfectionem suae virtutis obtinuit“ (Dist. 19, c. 8, § 3).

663. Saeculo XI. multum disputatum est de validitate ordinationum factarum ab episcopis simoniacis, qui haeticis equiparabantur. Validitatem maxime defendit *Petrus Damiani* (cf. *M* 145, 99 sqq. 523 sqq.), cuius doctrina postea universaliter recepta est. Quare unum tantum adiungamus decretum ex saeculo XII. Cum enim initio eius saeculi multi episcopi ordinati essent ab haeticis vel schismaticis, statuit

Paschalis II.: „Quoniam ecclesia in multis locis, et maxime in teutonicis partibus, diu laboravit sub haeresi et schismate... statuentes decrevimus, ut episcopi, qui sub isto schismate ordinati sunt, omnes in suis honoribus permaneant, nisi sint invasores aut criminosi“ (*Mansi* 20, 1209. Verum haec non pertinent ad Conc. Lateran., ut *Mansi* censet, sed ad Conc. Guastallense. *Hefele* 5, 285). Unde mirum non est, quod in actionibus de unione Graecorum et Armenorum in Conciliis Lugdunensi et Florentino ne verbum quidem factum est de reordinandis eorum episcopis et sacerdotibus.

664. *Obiectiones, quae contra hanc doctrinam proferuntur, variis modis solvendae sunt.*

Imprimis concedendum est *privatos doctores et episcopos in hac re errasse.* Ita *Cyprianus* et alii episcopi Africani, ita *Gratianus* (in 2. parte Decreti causa 1, q. 1; causa 24, q. 1, c. 4 etc.), ita alii. Horum error nihil probat.

Porro *episcopus, qui habet solam potestatem ordinis, non vero potestatem iurisdictionis, non est sensu pleno episcopus.* Ideo episcopi, qui iurisdictione privati erant, saepe dicebantur non episcopi, vel non iam episcopi. Ita in *Concilio VIII.* can. 4 (*Harduin* 8, 1370).

Saepe *episcopi illicite ordinati dicuntur pro non ordinatis habendi,* quatenus nulla iuridica emolumenta ex mala ordinatione recipere debeant; et hoc sensu iuridico eorum ordinationes vocantur irritae. Ita *Urbanus II.*: „Si qui a simoniacis non simoniace ordinati sunt... et si tunc pro catholicis habebantur in ecclesia, talium ordinationes misericorditer sustinemus, si tamen eos laudabilis vita commendat. Qui vero scienter se a simoniacis consecrari (immo exsecrari) permiserint, eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus“ (causa 1, q. 1, can. 108). Vel, ut ait *Gregorius VII.*, „falsas esse diudicamus“ (ibid. can. 113). Hoc nihil aliud significat, nisi eos, qui ita ordinati sint, excludi ab omnibus muneribus ecclesiasticis. Itaque irritae sunt tales ordinationes, quod attinet gradum, legitimum usum, honorem, gratiam sanctificantem, non quod attinet characterem sacramentalem (cf. *Decretum Nicolai II.* a. 1059; *Mansi* 19, 899).

Et haec quidem principia sufficiant ad solvendas difficultates occurrentes; ceterum singula exempla doctrinae vel praxis in speciem contrariae percurrere hoc loco non vacat (cf. *Wirceburg.*, De Ord. n. 147 sqq. *Hergenröther*, Photius II, 321 sqq. *Zeitschrift für kathol. Theologie* [Innsbruck 1891] p. 87 sqq.; [1893] p. 203, not. 5)¹.

Facile autem accidere posse, ut haetici corrumpant materiam vel formam vel alio modo desint essentialibus Sacramenti et ita invalide

¹ Qui plura documenta desiderat, inveniet apud *Migne* (P. L. 54, 1203; 142, 1435; 145, 93. 94. 97. 99. 102. 147. 150; 151, 333), *Mansi* (Conc. 19, 509. 627. 646. 721. 813. 819. 906; 20, 535; 21, 533), *Watterich* (Rom. Pont. Vitae 1, 154), *Constant* (Ep. Rom. Pont. 585).

ordinent, per se intellegitur. Unde diversa est et fuit praxis ecclesiae in recipiendis iis, qui in variis sectis ordinati sunt. Hodie e. g. Rutorum ordinationes agnoscunt, Anglicanorum vero iam diu reici solebant et recentissime rursus reiectae sunt a Leone XIII. litter. apost. „Apostolicae curae“.

Prop. LII. Ex delegatione simplex presbyter potest esse minister quorundam ordinum.

665. 1. *Ordines minores et subdiaconatum administrari posse a simplici presbytero ex delegatione summi pontificis evidens est.* Cum enim hi ordines sint ecclesiasticae institutionis, ecclesiae quoque est statuere, a quo et quomodo conferendi sint. Conc. Nicaen. II. can. 14 concedit, ut hegumenos (abbas), qui presbyter sit et ab episcopo benedictionem hegumeni acceperit, suis subditis ordinem lectoratus concedere possit. Gelasius papa Ep. 9 ad episc. Lucaniae c. 6 (*Thiel* I, 365) de presbytero ait: „Nec sibi meminerit ulla ratione concedi sine summo pontifice subdiaconum aut acolythum ius habere faciendi.“ Alexander III. scribit de ordinibus collatis ab episcopo, qui muneri suo renuntiaverat: „Si a tali ordines usque ad subdiaconatum quis acceperit; et quia huiusmodi ordines quandoque a non episcopis conferuntur; et in illis deservire poterit et ad maiores, si idoneus fuerit, promoveri“ (Decret. Gregor. IX. l. 1, tit. 13, c. 1). Alia exempla afferuntur a *Wirceburg.* (De Ord. n. 145). Conc. Trid. sess. 23, c. 10 de Reform.: „Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiamsi nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre.“ Ergo sunt abbates, qui suis subditis hos ordines conferre possunt (cf. *Gasparri*, De Sacra Ord. l. 2, n. 941 sqq.). Idem constat ex communi consensu theologorum, qui id omnes fere concedebant quoad ordines minores, partim vero negabant quoad subdiaconatum (cf. *Tanner*, Disp. 7, q. 3, dub. 2). Sed haec exceptio admittenda non est, quia subdiaconatus non magis quam ordines minores Sacramentum est. Immo summus pontifex, si vellet, posset etiam eum, qui non est sacerdos, delegare ad horum ordinum collationem; sed hoc numquam fieri solet.

666. 2. *Diaconatum posse ex delegatione conferri a simplici presbytero communius negant theologi.* Prima enim ratio, quam pro ordinibus diaconatu inferioribus attulimus, non potest extendi ad diaconatum, quia est Sacramentum, et consequenter non tam simpliciter pendet ex arbitrio ecclesiae, quam ordines non sacramentales. Nihilominus eo quod diaconatus est Sacramentum, nondum probatur eum non posse ex delegatione conferri a ministro, cuius sola potestas ordinis ad hoc

non sufficiat. Per se enim posset de ministro huius Sacramenti valere, quod diximus de ministro Confirmationis. Quaestio igitur solvenda erit ex praxi ecclesiae. Nam si summi pontifices saepius potestatem ordinandi diaconos concesserunt presbyteris, dubitari nequit, quin hoc fieri possit. Sin tale quid factum non est, nullam habemus rationem statuendi eiusmodi privilegium.

667. Iam praecise disputatio est inter doctos, *utrum tales concessiones factae sint necne.* Vasquez cum aliis dicit ab Innocentio VIII. anno 1489 abbatibus Cisterciensibus hoc privilegium concessum esse, et testatur se ipsum Bullam concessionis („Exposcit tuae devotionis sinceritas“) legisse in vetusto codice, qui servabatur in Collegio Complutensi (Disp. 243, c. 4, n. 39). Alii autem dicunt Bullam illam esse supposititiam (cf. *Phillips*, Kirchenrecht I, 353. *Wirceburg.* n. 144). Rationes afferunt, quod Bulla in nulla authentica collectione invenitur, et quod ii, qui dicunt se eam legisse, plane contradictoria de ea referunt. Genuinitatem Bullae nostris diebus defendit Philibertus Panhölzel O. Cist. (Studien und Mittheilungen aus dem Benediktiner- und dem Cistercienserorden. Annus V., tom. 1, p. 441 sqq.), qui integrum textum proponit. Verba, de quibus hic quaeritur, sunt haec: „Ac ne dicti ordinis monachi pro suscipiendis subdiaconatus et diaconatus ordinibus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi [Ioanni abbati monasterii Cistercii] et successoribus tuis ut quibuscumque dicti ordinis monachis, aliis vero abbatibus praefatis [quattuor principalium monasteriorum Cisterciensium] ac eorum successoribus, ut suorum monasteriorum praedictorum religiosi, quos ad id idoneos repereritis, subdiaconatus et diaconatus ordines huiusmodi alias rite conferre [possitis indulgemus]“ (l. c. p. 443).

Haec Bulla dicitur data esse V. Idus Apriles 1489. Testimonia, quibus existentia huius Bullae asseritur, nulla apparent ante saeculum XVII. (primum, quod affert Panhölzel, est Caramuelis a. 1640; l. c. p. 445 sqq.). Haec autem distantia temporis tanta est, ut vis testimoniorum valde minuatur, et hoc eo magis, quod per integrum saeculum et ultra nullum vestigium huius Bullae apparet. Gasparri haec scribit: „Dum multi de Bullae genuinitate dubitant, mihi, facta inspectione in archivio Vaticano, relatum est Bullam quidem ibidem reperiri, sed mentionem de diaconatu in eadem deesse“ (De Sacra Ord. 2, n. 798). Maioris momenti pro genuinitate est, quod nonnulli scriptores testantur suis temporibus privilegium fuisse in praxi, immo se novisse quosdam monachos vi huius privilegii ad ordinem diaconatus promotos, et quod Rituale Cisterciense ritum praescribebat, quo diaconi ab abbate essent ordinandi. Ergo illis temporibus privilegium ab abbatibus, qui eo utebantur, pro genuino habebatur; et consequenter haec genuinitas est saltem probabilis.

668. Genuinitate concessionis supposita, estne quaestio dogmatica, de qua hic agitur, soluta? Non videtur; nam unum factum pontificium non facit legem neque dogma. Potuit pontifex opinionem sequi, quae a multis doctoribus defendebatur, non eo ipso definiens hanc opinionem. Cum enim in tota historia ecclesiastica nullum aliud simile exemplum occurrat, videtur ecclesia sentire se non posse talem facultatem concedere; nam si qua in re pontifices censebant se habere potestatem concedendi similia privilegia, saepissime ea usi sunt et utuntur. Cogita de ordinibus non sacramentalibus et de Confirmatione. Cur igitur in una hac re pontifices potestate sua numquam usi sunt praeter unum illum casum, cuius certitudo saltem non est omni exceptione maior? Hoc eo magis urget, quod nonnulli pontifices posteriores, ut *Pius V.* et *Clemens VIII.*, concesserunt abbatibus Cisterciensibus facultatem conferendi ordines minores et subdiaconatum, nulla mentione facta illius privilegii. Itaque sententiae neganti manet saltem sua maior probabilitas, idque iam propter auctoritatem eorum, qui eam defendunt, inter quos sunt maximi theologi et canonistae, ut *Suarez* (De relig. tr. 8, l. 2, c. 29, n. 3), *Schmalzgrueber* (Ius eccl. l. 1, tit. 11, n. 35), *Wex* (Ariadne Carolino-canonica p. 5, tr. 3, contr. 2), *Gasparri* (l. c.). Cf. *De Angelis* (Praelect. iur. can. I, 200).

669. 3. *Ordinationem sacerdotalem simplici presbytero committi posse, paucissimi tantum docuerunt.* Allegatur pro hac sententia Aureolus, qui generaliter dicit: „Minister idoneus [Sacramenti Ordinis] est solus episcopus, licet ex dispensatione possit esse sacerdos“ (In 4, d. 25, a. 1). Alios citat *Vasquez* l. c., qui et ipse in hanc sententiam inclinatur. Sed haec sententia admittenda non est, quia nullo exemplo firmari potest, et ceteroquin est contra disertam Patrum et theologorum sententiam. Unicum fere argumentum alicuius valoris, quod afferunt adversarii, est, quod *chorepiscopi*, cum non essent episcopi, saepe ordinarunt sacerdotes. Sed constat quosdam chorepiscopos fuisse veros episcopos, ut e. g. testatur *Conc. Antiochenum* can. 10 (*Hefele* I, 516; cf. 231. 250. 774). Cum igitur adversarii ex opinione contraria procedant, eorum argumentum nullum est. Alia quaedam argumenta videri possunt apud *Wirceburg.* (n. 137 sqq.) et apud *Hallier* (De sacr. elect. P. 2, sect. 5, c. 1, a. 2, n. 20 sqq.).

A fortiori negandum est episcopatum umquam a simplici presbytero conferri posse; id quod ab omnibus ut certum admitti videtur.

670. *Schol.* Num solus summus pontifex an etiam episcopus presbyterum delegare possit ad conferendos ordines minores et subdiaconatum.

Multa vetera Concilia dicunt licentiam dandam esse ab episcopo (*Hallier* l. c. n. 9 sqq.). Unde negari nequit olim episcopis facul-

tatem fuisse concedendi hoc privilegium. Sed haec facultas in occidentali saltem ecclesia nunc reservatur summo pontifici secundum regulam, quam statuit *Gregorius IX.*: „Licet episcopus committere valeat, quae iurisdictionis existunt; quae ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare“ (*Gregor.*, Decret. l. 3, t. 40, c. 9). Ita communiter docent Scholastici, ut *S. Thomas* (Suppl. q. 38, a. 1 ad 3), *Vasquez* (Disp. 243, q. 4, n. 73), *Hallier* (l. c. a. 3, n. 9).

SECTIO VI.

DE CAERIMONIIS ORDINATIONUM.

671. Quaedam caerimoniae iam in antecedentibus sufficienter explicatae sunt. Aliae, ut variae orationes, explicatione non indigent. Praeterea haec notari possunt.

1. *Locus ordinationis sacer esse debet*, si agitur de ordinibus maioribus, quod iam inde patet, quod intra Missam conferri debent. Tonsura vero, immo, si qua specialis ratio est, etiam ordines minores extra ecclesiam conferri possunt, quia non stricte requiritur, ut conferantur intra Missam. Apud Graecos ordines maiores intra sanctuarium, alii extra sanctuarium dantur. Eligenda autem est ecclesia publica pro sacris ordinationibus; rogat enim episcopus circumstantes, num obiectiones habeant contra ordinandos; et praeterea res, quae maxime ad totum populum refertur, etiam coram populo fieri debet. Immo Pontificale praescribit, ut ordines maiores vel in Cathedrali conferantur, vel ut saltem dignior, quantum fieri potest, ecclesia eligatur. Episcopi vero aut in sua aut in metropolitana cathedrali plerumque consecrantur, quamvis hae leges non sint strictae obligationis.

672. 2. *Tempus ordinationis* pro tonsura nullum determinatum est, pro ordinibus minoribus dies dominici et festi [etiam suppressi], tempus autem diei debet esse matutinum. Olim paucorum tantum, non vero generalis ordinatio his diebus haberi poterat, sed consuetudine iam videtur nunc sine restrictione ordinatio permissa esse.

Sacris autem ordinibus conferendis certa quaedam tempora ab ecclesia statuta sunt, quae vocari solent „*quattuor tempora*“. Sicut Hebraei quattuor sollemnia ieiunia per annum habebant, ita iam a primis christianae religionis temporibus similiter quater in anno quidam dies ieiunio consecrabantur; de qua consuetudine *Leo I.* loquitur ut de antiqua et ab omni ecclesia servata. Non quidem haec ieiunia semper et ubique iisdem anni temporibus observabantur; nunc autem ita institutum est, ut observentur initio quadragesimae, infra octavam Pentecostes, mense Septembri, mense Decembri. Quamvis autem haec ieiunia ob alias rationes ab initio fuerint instituta, nihilominus postea

lege ecclesiastica sancitum est, ne extra horum ieiuniorum tempora sacri ordines conferantur. Ita Gelasius (Epist. ad episc. Lucaniae c. 11): „Ordinationes presbyterorum et diaconorum nisi certis temporibus et diebus exerceri non debent, i. e. quarti mensis ieiunio, septimi et decimi, sed etiam quadragesimalis initii, ac medianae hebdomadae [ante Dominicam Passionis] et sabbati [sancti] ieiunio circa vesperam noverint celebrandas“ (M 59, 52. Aliae constit. apud Hallier, De sacr. elect. P. 2, sect. 7, c. 1, a. 2, n. 7). Olim in transgressionem huius legis poena suspensionis constituta erat. Ratio legis videtur esse, quia istis temporibus ecclesia ieiunio sanctificata eo facilius dignos a Domino ministros impetrat. Varias etiam aliae rationes afferuntur, ut: „in Quadragesima idcirco ordinatur, ut vitiis marceant; in vere ideo, ut virtutibus floreat, in septimana Spiritus Sancti et in aestate ideo, ut sint Spiritu florentes; in autumno et in festo tabernaculorum ideo, ut fructus bonorum operum colligant et ipsi tabernaculum Dei fiant, in hieme et ante Nativitatem ideo, ut mundo moriantur et cum Christo in virtutibus renascantur“ (Ita Honorius Augustodun. in „Gemma animae“ l. 3, c. 155; M 172, 686).

Ceterum nostris temporibus valde communiter datur privilegium extra haec tempora ordinandi, ita tamen ut ordinationes fieri debeant diebus dominicis vel festis praeceptis, licet suppressis.

673. *Episcoporum consecratio singulis diebus dominicis fieri potest*, ut scribit Leo M. ad episcopos Vien. (Ep. 10, c. 6; M 54, 634): „Ordinatio episcopi non passim sed die legitimo celebretur, nec sibi constare status sui noverit firmitatem, qui non die sabbati vespere, quae lucescit in prima sabbati, vel ipso dominico die fuerit ordinatus; solum enim maiores nostri Resurrectionis dominicae diem hoc honore dignum iudicaverunt, ut sacerdotes, qui sumuntur, hoc die potissimum tribuantur.“ Postea tamen alia festa maiora addita sunt. Ordinatio episcopi non ultra tres menses differenda est (cf. Conc. Trid. sess. 7, c. 9 de Reform. et sess. 23, c. 2 de Reform.).

674. 3. *Interstitia servanda sunt*. Et quidem „minores ordines... per temporum interstitia, nisi aliud episcopo magis expedire videretur, conferantur“ (Conc. Trid. sess. 23, c. 11 de Reform.). Ergo haec res pendet ex arbitrio episcopi, qui ex consuetudine eodem die omnes ordines minores conferre potest. Qui ad ordines maiores promovendi sunt, „nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut ecclesiae utilitas iudicio episcopi aliud exposcat“ (l. c.). „Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur... Regulares quoque nec in minori aetate nec sine diligenti episcopi examine ordinentur; privilegiis

quibuscumque quoad hoc penitus exclusis“ (l. c. c. 12). „Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, ascendere non permittantur. Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus, conferantur, privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque“ (l. c. c. 13).

Saepe conceditur privilegium, ut ordines conferantur „non servatis interstitiis“, quo tamen casu non licet plures ordines sacros vel minores et subdiaconatum eodem die conferre, immo nec immediate successivis quidem diebus plures ordines sacros, nisi hoc diserte exprimat in privilegio, quamvis de hoc ultimo praecepto dubia moveantur.

Ratio horum interstitiorum est, ut diligenter probentur, qui ad ordines maiores promovendi sunt, et diligentia in muneribus suis exsequendis probatos se exhibeant ecclesiae.

675. 4. Quando fit clericus, praeter tonsionem capillorum, de qua iam dictum est, induitur *superpelliceo*, quod est vestimentum proprium clericorum in functionibus sacris. Est indumentum lineum, quod nomen suum inde habet, quod olim super vestes pelliceas gestabatur. Pelliceam enim vestem habebant clerici, quia priscis temporibus erat vestis vulgaris simplicium hominum. Olim superpellicea erant indumenta talaria, nunc sunt multo breviora. Significant innocentiam et candorem animi, ut patet ex verbis, quibus traditur hoc indumentum: „Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est.“

Similiter in singulis ordinibus sacra vestimenta ordinatis imponuntur sub certis verborum formulis, quae horum vestimentorum significationes mysticas explicant.

676. 5. Excepta episcopi consecratione in omnibus ordinationibus clerici *candelas accensas* episcopo offerre debent, quae significant bona opera, quibuscum obviam ire debent clerici Christo sponso, secundum illud: „Sint... lucernae ardentes in manibus vestris“, et alia similia.

Vocantur ordinandi, prius omnes simul, dein singuli, tum ne non examinati accedant, tum ad significandum neminem sibi debere sumere honorem, sed vocari a Deo tamquam Aaronem (Hebr. 5, 4). Ideo ii, qui promoventur ad sacramentales ordines, praesentantur nomine ecclesiae his verbis: „Postulat sancta mater ecclesia...“; et interrogat episcopus, num digni sint (exceptis episcopis ordinandis, quia de his summus pontifex iam iudicavit), et episcopus monet praesentes, ut proferant, si quid sciant, ob quod electi ab ordinatione arceri debeant. Hoc fit in solis ordinibus maioribus, quia soli clerici maiores populo praeficiuntur et in partem sollicitudinis vocantur.

677. 6. Cum ordines conferantur intra Missam, clerici fiunt statim post introitum, singuli ordines minores conferuntur post singulas lec-

tiones, si plures sunt, subdiaconatus ante epistulam, diaconatus et reliqui ordines ante evangelium, ut nobiliores ordines in posteriore parte Missae conferantur, et unus ex ordinandis statim munere suo fungi possit.

Variae genuflexiones, prostrationes, inclinationes, quae faciendae sunt, explicatione vix indigent, cum omnia significant adorationem, reverentiam et humilem subiectionem Deo exhibitam, et propriam parvitatem et infirmitatem.

Manus impositio significat divinum auxilium; nam manum super aliquem tenere est eum defendere, et sicut manus caput adumbrat, ita Spiritus Sancti gratia animam.

Impositio libri evangeliorum in consecratione episcopi ideo fit, quia evangelia continent verba et facta Dei, ut episcopus intellegat se debere divinae legi subici et simul bonorum sermonum et operum luce subditis suis praelucere. Traditio baculi commonefacit episcopum de cura pastoralis, traditio vero anuli de fide, quam debet ecclesiae sibi desponsatae, et de dignitate, quam accepit, quia signatorium anulum ut vicarius Dei gerit.

Traditio libri evangeliorum significat officium praedicationis. Quid sibi velit *impositio mitrae*, ex verbis concomitantibus apparet: „Imponimus, Domine, capiti huius antistitis et agonistae tui galeam munitionis et salutis, quatenus decorata facie et armato capite cornibus utriusque Testamenti terribilis appareat adversariis veritatis, et te ei largiente gratiam impugnatorem eorum robustus existat, qui Moysi famuli tui faciem, ex tui sermonis consortio decoratam, lucidissimis tuae claritatis ac veritatis cornibus insigniri et capiti Aaron pontificis tui tiaram imponi iussisti. Per X. D. N.“

Chirothecae significant puritatem manuum et imitantur pelliculas hoedorum, quibus opertus Iacob benedictionem patris impetravit, ut episcopus simili modo offerat Deo hostias gratissimas et benedictionem impetret, sicut Christus indutus carne nostra suo sacrificio benedictionem nobis impetravit.

678. 7. Tandem episcopi caput et manus, sacerdotis manus tantum unguuntur, qui usus neque semper neque ubique viguisse videtur (cf. Hallier, De sacr. elect. P. 2, sect. 8, c. 10, a. 1). Episcopi chrismate, sacerdotes oleo catechumenorum unguuntur. Itaque et uberiore et nobiliore unctione episcoporum significatur excellentia status episcopalis prae sacerdotali.

Unctio significat abundantiam gratiae etiam in alios effundendae, dignitatem regiam et sacerdotalem, similitudinem cum Christo, quem unxit Pater Spiritu Sancto. Praeterea significat virtutes fortitudinis et mansuetudinis, item scientiae lumen et alias dotes, quibus sacerdotes indigent. Quapropter sicut primi sacerdotes Veteris Testamenti ungebantur, suos etiam vult ecclesia oleo inungi sacerdotes.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

PRAENOTANDA. DE MATRIMONIO, UT EST OFFICIUM NATURAE.

679. 1. *Matrimonium est institutum naturale*, quod a Christo evecum est ad dignitatem Sacramenti. Hac igitur ratione Matrimonium differt a reliquis Sacramentis, quod iam ante Christum existebat, et eatenus tantum ad Christum auctorem referendum est, quatenus nunc contractus matrimonialis est efficax gratiae ex opere operato. Hinc fit, ut de matrimonio non soli theologi, sed etiam philosophi agant; hi, in quantum matrimonium est officium naturae, illi, in quantum est Novae Legis Sacramentum (S. Thomas, Suppl. q. 41). Ea igitur, quae in philosophia tractata supponuntur, hic breviter recolenda sunt, et simul addenda, quae de naturali matrimonii instituto in fontibus revelationis traduntur.

680. 2. *Matrimonii nomen* inde est, quod institutum hoc proxime ex natura rei eo spectat, ut mulier mater fiat. Quod cum fiat ex coniunctione mulieris cum viro, nomen matrimonii significat societatem (*γαμικὴν ὁμιλίαν*) feminae et viri ad producendam prolem (S. Augustin., Contra Faustum l. 19, c. 26; M 42, 365). Quia est societas quaedam habens onera et officia mutua, vocatur etiam *coniugium* (*σὺζευξις*), quia mulier et vir uno quasi iugo copulantur. *Nuptiae* vel *conubium* vocatum est a more velandi mulieres, quando matrimonium inibant (S. Thomas, Suppl. q. 44, a. 2. Catech. Rom. P. 2, c. 8, n. 2).

Cum vero ad hoc, ut societas libera fiat, actus constitutivus requiratur, matrimonium dupliciter considerari potest: active scilicet et passive, seu considerari potest, vel ut est actus constituens societatem matrimonialem, vel ut est ipsa societas, quae hoc actu constituitur. Aliis verbis matrimonium sumitur aut in fieri aut in facto esse. Matrimonium debere actu libero fieri non indiget probatione, cum constet non cuilibet mulieri suum virum ex ipsa natura rei esse assignatum. Coniunctio igitur alicuius feminae cum aliquo viro non est ideo naturalis, quia est ex necessitate naturae, sed quia est aliquid, ad quod naturalis aptitudo et inclinatio mediante libero arbitrio inducit.

681. 3. *Matrimonium passive sumptum* definitur a theologis post *Magistrum* (4, d. 27): „Viri et mulieris coniunctio maritalis inter personas legitimas individuum vitae consuetudinem retinens.“ In qua definitione illud „viri et mulieris coniunctio“ est quasi genus, illud autem „maritalis“ differentia specifica. Viri et mulieris coniunctio intellegitur eorum societas ex libero utriusque consensu orta. Maritalis seu coniugalis dicitur haec societas, ut ab omni alia societate distinguatur; hac enim societate vir fit maritus, mulier vero uxor, uterque coniux seu principium proxime aptum ad generandam prolem. Illud „inter personas legitimas“ additur, quia accidere potest, ut, sive ex iure naturali sive ex iure positivo, aliquis vir et aliqua mulier sint personae ineptae ad ineundum matrimonium. Alii hoc ita expriment, ut dicant matrimonium esse coniunctionem legitime initam; nam si haec societas contra leges irritantes initur, plane nihil valet, et matrimonium est nullum. Illud autem „individuum vitae consuetudinem retinens“ significat proprietatem essentialem matrimonii, i. e. communionem vitae inter coniuges et stabilitatem matrimonii.

682. *Matrimonium active sumptum definitur*: Contractus, quo vir et mulier modo legitimo sibi mutuo tradunt ius actuum necessariorum ad generandam et educandam prolem et se obligant ad individuum vitae societatem. Ergo hoc sensu matrimonium est verus contractus, i. e. „duorum in idem consensus obligationem pariens“. Verum hic contractus non eodem modo libertati humanae subiectus est ut alii contractus; nam libere quidem iniri potest, sed, si initur, fieri debet ea ratione, quam leges naturales et positivae postulant, ita ut finis essentialis et media ad hunc finem independentem a voluntate contrahentium sint determinata. Quia autem matrimonium per se significat aliquid stabile et permanens, plerumque in communi vita, si de matrimonio est sermo, intellegitur potius effectus huius contractus seu matrimonium passive sumptum. Contra, si theologo dicunt matrimonium insignitum esse dignitate sacramentali, intellegunt matrimonium active sumptum, cum Sacramentum non sit res permanens sed ritus transiens.

683. 4. Quia *matrimonium, ut omnis contractus, fit per consensum*, hic consensus aliquo modo exprimi debet; nam contractus inter homines fieri non possunt, nisi ii, qui contrahunt, signis externis sibi manifestant voluntatem. Communiter hoc fit per verba; attamen accidere potest, ut etiam alia signa adsint, quibus vel ex natura rei vel ex conventionem hominum mutuus consensus sufficienter significetur. Ita ad quaestionem: Visne fieri uxor mea? responderi potest annuendo. Item ex consuetudine traditio anuli sub certis condicionibus potest significare contractum matrimonialem. Omnia igitur signa sufficiunt, quibus vir et mulier sibi intellegibiliter consensum suum mani-

festant. Praeterea contractum matrimonialem debere esse verum et deliberatum evidens est ex iis, quae alibi de natura contractuum in genere docentur.

684. *Obiectum proximum contractus matrimonialis est ius ad copulam carnalem*, qua generantur homines, seu potestas in corpus alterius coniugis ad generandam prolem, quod etiam vocatur ius exigendi et reddendi debiti (matrimonialis). Quare S. Paulus docet: „Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier“ (1 Cor. 7, 3. 4). Hoc ius constituit principaliter vinculum coniugale, ideoque durante matrimonio semper permanet, unde usus matrimonii inter coniuges numquam est fornicatio, licet forte ob aliquam rationem actus coniugalis illicitus evadat. Semper enim hic maritus est huius uxoris, et haec uxor est huius mariti, seu hi duo uniuntur, ut et iure et facto sint unum principium generationis (cf. S. Thomas, Suppl. q. 44, a. 1).

685. Est autem notandum *posse de iure ad debitum matrimoniale duplici modo fieri contractum*, sicut de omni alia re. Aut enim vir et femina contractum ineunt, vi cuius aliquando in futurum volunt sibi dare ius ad debitum matrimoniale; aut possunt sibi hic et nunc tradere hoc ius; sicut possum cum alio contractum inire me velle ei post annum vendere domum, et possum etiam hic et nunc domum vendere. Iam si fit *consensus de futuro*, non contrahitur matrimonium, sed sponsio eius seu *sponsalia*. *Matrimonium autem ipsum necessario est consensus de praesenti*. Hinc diiudicandum est, utrum consensus condicionatus (dummodo condicio intactam relinquat essentiam matrimonii) efficiat matrimonium necne. Si enim condicio adiecta est, quae iam impleta est in praesenti vel praeterito, fit matrimonium; si est condicio de futuro, fiunt potius sponsalia, quae permanente eodem consensu transeunt in matrimonium, quam primum condicio fuerit impleta. Quia nihilominus hic consensus sufficit ad matrimonium aliquando constituendum sine novo consensu postea faciendo, satisfacit talis contractus, quando in publico fit, legibus prohibentibus matrimonium clandestinum, quamvis parochus sua auctoritate talem modum contrahendi admittere non possit. Potest autem condicio secundum verba esse de futuro, quae secundum rem est de praesenti, ut si quis diceret: Volo te nunc in uxorem accipere, si cras sol oritur. Hic consensus sufficit ad matrimonium; et idem valet quoad omnem conditionem, quae est de futuro necessario (S. Thomas, Suppl. q. 48 ad 5).

686. *Consensum aliquis praestare potest tum per se ipsum tum per procuratorem*; id quod matrimonio commune est cum aliis contractibus. Statim post debitum consensum adest *matrimonium legitimum*; si simul

accedit ratio Sacramenti (id quod inter Christianos semper fit), *Matrimonium ratum*, i. e. Sacramento ratificatum, dicitur; si carnalis quoque copula accedit, habetur *matrimonium consummatum*.

687. 5. *Licitum esse matrimonium* et actum conjugalem rationaliter in dubium vocari non potest. Nam facultas generativa non frustra est in homine; neque id, quod est unicum medium propagandi generis humani, illicitum esse potest. Deus ipse dixit: „Crescite et multiplicamini“ (Gen. 1, 28). Christus matrimonium comprobavit tum factis, assistendo nuptiis, quae erant in Cana Galilaeae (Io. 2), tum verbis, proponendo ut divinam doctrinam illam: „Dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una; itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet“ (Matth. 19, 4 sqq.). Similiter apostolus matrimonium laudat et actum conjugalem coniugibus praecipit (1 Cor. 7, 1 sq.; Eph. 5, 22 sqq.; 1 Tim. 4, 3; Hebr. 13, 4). Cum vero quidam haeretici Gnostici et Manichaei licitatem matrimonii negare coepissent, multi SS. Patres, ut Irenaeus, Epiphanius, Augustinus, Hieronymus, eorum doctrinam ut haeresim impugnarunt. Cf. *Gregor. de Val.*, De Matr. disp. 10, q. 1, punct. 2.

688. 6. Nihilominus quaerunt theologi, *num assignari possint bona ad excusandum matrimonium* (S. Thomas, Suppl. q. 49, a. 1). Quae excusatio non ita intellegenda est, quasi matrimonium eiusque actus ut institutum mere naturale sit res non omnino rationi conveniens; quidquid enim Deus intendit, non potest in se habere moralem indecentiam neque ulla excusatione indiget. Sicut igitur edere et bibere intra limites temperantiae per se non indiget excusatione, ita non magis matrimonium eiusque actus. At post peccatum originale coepit caro concupiscere adversus spiritum (Gal. 5, 17) i. e. appetitus inferior non iam perfecte oboedit dictamini rationis, sed saepe etiam nolente voluntate vehementer fertur in bona delectabilia. Indignum autem est homine abripi se sinere caeco illo instinctu captivante mentem in lege peccati (Rom. 7, 23). Sicut igitur edere et bibere ob solam voluptatem et generatim delectationem sensibilem solum propter se ipsam quaerere est peccatum (*Denzinger* l. c. 1025), et ideo omnis delectatio sensibilis deliberate quaesita per quaedam bona excusari debet; ita multo magis in hoc statu copula carnalis excusatione indiget, quia vehementius quam ulla alia delectatio sensibilis resistit dictamini rationis. Itaque actus conjugalis, nisi ob fines per se honestos sed ob solam delectationem fit, ab inordinatione et peccato excusari nequit (*Denzinger* l. c. 1026; *Ballerini*, Opus mor. t. 6, n. 551). Hoc sensu recte docet S. Augustinus: „Quo malo [concupiscentiae] propter bonum generationis filiorum bene utuntur pudica coniugia. Solius autem carnalis voluptatis causa libidini consentire

peccatum est, quamvis coniugatis secundum veniam concedatur“; i. e. in coniugatis non est peccatum mortale, sed veniale (Contra duas epist. Pelag. l. 1, c. 16, n. 33; *M* 44, 565). Praeterea status matrimonialis multa bona impedit et tribulationes varias secum fert (1 Cor. 7, 28, 32 sqq.). „Nullus autem sapiens debet iacturam aliquam sustinere nisi pro aliqua recompensatione alicuius aequalis vel melioris boni“ (S. Thomas l. c.; cf. 1, q. 98, a. 1 ad 3). Iam triplex bonum (internum) assignari solet, quo matrimonium cohonestetur: proles, fides, Sacramentum, cui quartum addere possumus remedium concupiscentiae.

689. a) *Bonum prolis*, i. e. generatio et educatio filiorum est principale bonum et finis primarius matrimonii. Qui finis est sine dubio bonus, adeo ut S. Paulus dicat: „Mulier salvabitur per filiorum generationem“ (1 Tim. 2, 15). Quare ait: „Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia“ (1 Tim. 5, 14). „Nec vero hoc de procreatione solum, sed educatione etiam et disciplina, qua filii ad pietatem erudiuntur, intellegendum est. Sic statim subdit apostolus: ‚Si in fide permanserint.‘ Monet etiam Scriptura (Eccli. 7, 25): ‚Fili tibi sunt? Erudi illos et curva illos a pueritia illorum.‘ Idem etiam apostolus docet (1 Tim. 5, 8, 10), eiusque institutionis pulcherrima exempla Tobias, Iob et alii Sanctissimi Patres in Sacris Litteris praebent“ (Catech. Rom. P. 2, c. 8, n. 23). Neque enim filios diaboli propagare sed filios Dei est finis honestans matrimonii. Hic autem finis tam sublimis est, ut, si ob eum matrimonium ineatur, inter opera maxime meritoria censendum sit; sed simul tam difficilis, ut, nisi aliae rationes simul impellerent homines, pauci tantum homines matrimonium initari essent.

690. b) *Bonum fidelitatis*, quo vir et uxor non solum mutuo exclusivum ius in corpora sibi tradunt, sed etiam sancto amore se fovent et in omnibus vitae necessitatibus auxilium sibi praestant, ut dies honeste, tranquille, pie transigere variaque, quae occurrere solent, incommoda facilius ferre possint. „Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile sibi“ (Gen. 2, 18). „Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam“ (Eph. 5, 25. Cf. Col. 3, 18, 19. Prov. 31, 10 sqq.).

Sapientia divina diversitatem sexuum non solum ita instituit, ut generatio possibilis esset, sed ita etiam, ut suas uterque sexus haberet speciales perfectiones et inclinationes, quibus vir et mulier inter se complerent. At haec ratio non immoderate premenda est. Stultum est dicere virum vel mulierem in se ipsis non esse homines perfectos sed indigere mutuo complemento, ut sint integri. Mutua enim bona, quae vir et mulier sibi afferunt, non eo valent, ut exhibeant matri-

monium perfectissimum statum, in quo homo esse possit, sed potius spectant ad excusanda multiplicia incommoda, quae a matrimonio sunt inseparabilia. „Qui cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.“ Ideo „qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; et qui non iungit, melius facit“ (1 Cor. 7, 33. 38). De praerogativa virginitatis prae matrimonio postea sermo erit.

691. c) *Remedium concupiscentiae* est tertium bonum matrimonii, „quia, dum concupiscentiae satisfit in actu coniugali, ad alias corruptelas non ita incitat. Propter quod dicit apostolus 1 Cor. 7, 9: „Melius est nubere quam uri.“ Quamvis enim opera concupiscentiae congrua secundum se nata sint concupiscentiam augere, tamen, secundum quod ratione ordinantur, ipsam reprimunt, quia ex similibus actibus similes relinquuntur dispositiones et habitus“ (S. Thomas, Suppl. q. 42, a. 3 ad 4). Eo enim, quod aliquis concupiscentiae non satisfacit nisi secundum dictamen rectae rationis, habitum acquirit resistendi concupiscentiae pugnanti contra rationem¹.

d) Haec igitur sunt bona, quae matrimonio naturaliter insunt. Praeterea vero in ordine supernaturali accedit *bonum Sacramenti*. Ex his bonis primum dignitate est Sacramentum, essentialitate fidelitas, finalitate proles.

692. 7. *Tria bona naturalia simul sunt tres fines (operis) matrimonii*, ob quos et matrimonii contractus iniri et actus coniugalis licite fieri possit. Sacramentum autem ut signum sanctificans „non pertinet ad usum matrimonii, sed ad essentiam eius; unde facit ipsum matrimonium honestum, non autem actus eius, ut per hoc actus eius absque peccato reddatur, quia causa alicuius significationis conveniunt“ (S. Thomas, Suppl. q. 49, a. 5). Unde alii tantum fines cohonestant actum matrimoniale.

693. Attamen non requiritur, ut quis matrimonium vel actum eius intendat explicite propter finem primum, dummodo eum in actu coniugali ne positive excludat. Ad bonitatem enim moralem actionis non requiritur, ut finis principalis operis explicite intendatur, sed sufficit, ut aliquis finis bonus appetatur. Quia igitur fines boni sunt mutuam amorem fovere et periculum peccandi vitare, ille recte agit, qui propter hos fines vel alterutrum finem matrimonium iniri eoque utitur. Ob finem enim sedandae concupiscentiae monet apostolus, ut uxores habeant, „qui se non continent“. „Propter [i. e. ad vitandam] fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum

¹ Nonnulli SS. Patres et theologi de usu matrimonii ad sedandam concupiscentiam cum quadam exaggeratione locuti sunt, de qua re vide Cornely in 1 Cor. p. 169 sq.

habeat. Melius est enim nubere quam uri“ (1 Cor. 7, 2. 9). Ergo matrimonium iniri et eo uti possunt ii quoque, qui sunt steriles. Illi enim secundarios fines matrimonii obtinere possunt et, quantum pendet ex eorum voluntate, primum finem non excludunt (cf. *Ballerini*, Opus morale tom. 6, n. 431 sqq.). Neque vero possunt iniri matrimonium illi, qui inepti sunt ad ipsum eius actum; nam cum contractus matrimonialis fiat de iure ad hunc actum, consequenter, qui ineptus est ad actum, non potest dare ius ad actum seu non potest iniri matrimonium. Potestas enim in corpus alterius est de essentia matrimonii; unde ubi fundamentum huius potestatis deest, non potest adesse ipsa potestas seu essentia matrimonii; supposita autem facultate habendi copulam *duo possunt sibi tradere ius ad eam et tamen hoc iure non uti*. Nemo enim obligatur ad utendum omni iure, quod habet; sed si ius aliquod etiam ad alios bonos fines valet, potest usu iuris abstinere, immo se obligare ad abstinendum. Hoc igitur modo possunt matrimonium iniri ob habendam solam domesticam societatem, nullo modo ad habendum actum coniugalem. Immo si de ineundo tantum matrimonio (non de actu) agitur, honeste iniri potest ob multos alios fines (operantis), ut ad iuvandam pauperem puellam, ad promovendum bonum publicum etc. (Cf. *Sanchez*, De Matrim. l. 2, disp. 29, q. 3.)

694. 8. *Extra matrimonium copula carnalis est illicita. Atque imprimis vagum concubitum esse contra naturae legem* satis per se evidens est. Si enim mulier cum pluribus viris indifferenter copulam habet, vix non semper sterilis evadit, et ita primarius finis copulae carnalis frustratur. Dein si per exceptionem pariat, pater infantis ignotus est ideoque officio fungi non potest, quod ei naturaliter incumbit simul cum matre, educandi infantem. Secundarii quoque fines coniunctionis viri et mulieris non obtinentur; nam mutuam auxilium stabilem societatem supponit; libidinis vero remedium tantum abest, ut per vagum concubitum habeatur, ut per eum plane insana fieri libido hominemque ad vilissimas voluptates et pessima crimina trahere et brutis similem reddere soleat. Ideo apud omnes gentes, etiam tenuiter cultas, meretrices tamquam sordidae faeces humani generis despiciuntur, eosque ipsos, qui cum iis rem habere solent, huius consortii adeo pudet, ut hanc ignominiam tenebris et secretis velare studeant. Ergo evidenter lex naturalis concubitum vagum ut crimen pessimum denotat. Quare mirum non est, quod Deus positivis legibus hanc rem stricte prohibuit (Deuter. 23, 17. Prov. 5, 1 sqq. 1 Cor. 6, 15).

695. Dein vero *omnis fornicatio est illicita*. Intellegitur autem fornicatio accessus soluti ad solutam sine animo contrahendi vinculum coniugale et constituendi societatem domesticam. Licet igitur fortasse in certis casibus evitentur incommoda, quae habentur in concubitu

vago et in tuto ponatur educatio prolis et excogitentur aliae condiciones quam optimaе, secluso contractu matrimoniali, nihilominus res est plane illicita. Nam ubi matrimonium non habetur, vir et mulier servant sibi libertatem a se invicem recedendi et societatem suam solvendi. Atqui talis libertas multipliciter pugnat contra dictamen sanae rationis. Ratio praecipua haec est: Natura per coniunctionem viri et feminae intendit non simplicem generationem, sed debitam quoque prolis educationem corporalem, intellectualem, moralem. Haec autem educatio ex communiter contingentibus et secundum naturalem rerum cursum familiam supponit. Porro non solum individuorum, sed maxime etiam totius generis humani bono natura providere vult per familiam, quia familia est vehiculum naturale, quo thesauri intellectuales et morales, immo et temporales a generatione ad generationem transmittuntur. Destructa igitur familia bonum generis humani maximum detrimentum capit, cuius rei historia testis est; quaecumque enim in rerum decursu socialem familiae statum luxuriaе libertate infectum et corruptum videmus, gentes quoque et regna integra in interitum ruere cernimus. Ergo naturale rationis lumen ostendit omne id, quod ex natura sua ad familiae corruptelam vergit, graviter esse illicitum. Sed fornicatio essentialiter est contrarium bono familiae, sicut matrimonium est fundamentum familiae; eo enim distinguitur fornicatio a matrimonio, quod excludit vinculum illud, quo societas domestica seu familia constituitur, et quo dempto familia destruitur. Ergo semper et in omni casu fornicatio est graviter illicita.

696. Sunt quidem leges naturales, quae interdum exceptionem admittunt, ut lex non auferendi aliena, quae cessat in casu extremae necessitatis. Ratio cessationis est, quia in tali casu particulari observatio legis non tantum bonum affert, quantum eius cessatio. Sed si qua lex ita comparata est, ut eius observatio semper maius bonum afferat quam eius cessatio, licet fortasse non alicui particulari individuo sed toti generi, *eiusmodi lex numquam exceptionem admittit*. Talis lex est ea, quae vetat fornicationem, quia simpliciter melius est, ut in nullo casu exceptionem patiatur. „Graviora enim mala sequerentur, si semel admitteretur exceptio huius obligationis, eo quod homines ad sensualitatem proni facile sibi fingerent vel procurarent eas circumstantias, quod in magnum prolis [et generis humani] detrimentum cederet; cui damno communi non praeponderat illud, quod in aliquo raro et particulari casu sequi potest privatae personae ex eo, quod non sit licita fornicatio... [et] quamvis in aliquo raro casu certum esse posset prolem non passuram ullum detrimentum in educatione vel rebus necessariis, maxime si iam hereditas opulenta relicta fuisset et educatores destinati pro filio, qui ex tali concubitu nasceretur; oportuit tamen in re tanti momenti praecavere radicatus

damna illa, quae poterant provenire, nulla prorsus spe relicta licentiae pro aliquo casu“ (De Lugo, De Paenit. disp. 23, sect. 1, n. 8. 9).

697. Hoc eo confirmatur, quod natura parentibus indit maritalem et parentalem amorem, qui amor, ut ex se est vinculum stabile, ita etiam stabilem coniunctionem postulat ex parte voluntatis eamque non intus tantum latentem, sed etiam foris prodeuntem, seu postulat, ut vir et femina voluntarie, serio, perpetuo societatem amicitiae ineant, quae amoris maritalis et parentalis vel fructus vel principium est, i. e. societatem conjugalem (cf. Palmieri, De Matrim. Thes. 6).

Unde S. Scriptura omnem fornicationem interdicit et omnes fornicatores a regno caelorum excludit (1 Cor. 6, 18 sqq.; Gal. 5, 19. 21; Eph. 5, 3). Ecclesia autem non solum docet quamlibet fornicationem esse peccatum grave (Denzinger l. c. 405), sed etiam esse peccatum grave ex sola lege naturali, licet nulla adesset positiva prohibitio (Denzinger l. c. 1065). Et haec quidem sufficiunt de matrimonio, ut est institutum naturale; nam de unitate, indissolubilitate aliisque qualitatibus matrimonii postea sermo erit.

SECTIO I.

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI MATRIMONII.

Prop. LIII. Matrimonium est verum Novae Legis Sacramentum.

698. *Nota.* Matrimonium hic intellegitur active sumptum, i. e. illa externa actio, qua vir et mulier fiunt coniuges. Haec igitur actio secundum doctrinam catholicam duplicem habet significationem: ratione prius est contractus naturalis, et sic non fit nomine Christi; dein vero hic ipse contractus, ut est signum externum, a Christo euectus est in Sacramentum et usurpatur nomine Christi.

Illi haeretici veteres et medii aevi, qui docebant matrimonium esse inventum diaboli, necessario negabant matrimonium esse Sacramentum. Novatores saeculi XVI. agnoscebant quidem matrimonium esse licitum, immo praeferebant statui virginitatis, ex altera autem parte detrahebant ei dignitatem sacramentalem. Ita Lutherus in libro De captiv. Babyl. § De matrim.: „Matrimonium non solum sine ulla Scriptura pro Sacramento censetur, verum iisdem traditionibus, quibus Sacramentum esse iactatur, merum ludibrium factum est.“¹ Calvinus: „Matrimonium, quod ut a Deo institutum fatentur omnes,

¹ „Es kan ja niemand leucken, das die ehe ein eusserlich weltlich ding ist, wie kleider und speise, haus und hoff“ (Von Ehesachen a. 1530, mox ab initio).

ita pro Sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat. Et cuinam umquam sobrio in mentem venisset? Ordinatio Dei bona est et sancta; et agricultura, architectura, sutrina, tonstrina ordinationes sunt Dei legitimae, nec tamen Sacramenta sunt" (Inst. l. 4, c. 19, n. 34). Melanchthon et Chemnitius agnoscunt in matrimonio Dei mandatum et promissionem gratiae, at non gratiae sanctificantis, et ideo dicunt posse dici Sacramentum per aequivocationem (Bellarm., De matrim. c. 1). Nostrae aetatis Protestantes omnes matrimonium Sacramentum esse negant.

699. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

S. Scriptura non quidem diserte testatur matrimonium esse efficax gratiae; attamen duas res docet, quae simul verae esse nequeunt, nisi matrimonium sit Sacramentum. Nam S. Scriptura docet matrimonium esse ritum sacrum, qui significet gratiam sanctificantem. Atqui ex altera parte docet omnem ritum, qui significet gratiam sanctificantem, in Novo Testamento esse ritum efficacem gratiae seu Sacramentum.

Prob. mai.: S. Paulus, postquam dixit viros debere diligere uxores suas, sicut Christus dilexit ecclesiam, pergit: „Ἀντὶ τοῦτου καταλείψει ἄνθρωπος πατέρα καὶ μητέρα καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν, ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ τὴν ἐκκλησίαν“ (Eph. 5, 31 sq.). Ergo matrimonium significat coniunctionem Christi cum ecclesia, et sub hoc respectu est magnum mysterium. Hanc autem significationem contractus matrimonialis non habet ex natura rei, sed a Deo accepit. Verba, quae apostolus citat: „Quamobrem relinquet homo patrem et matrem,“ dicta sunt ab Adamo (Gen. 2, 24), sed Adam a Deo inspiratus erat ad haec verba proferenda; unde Christus docet ea dicta esse a Deo ipso (Matth. 19, 4 sqq.). Ergo si haec verba referuntur ad significandam unionem mysticam Christi cum ecclesia, Deus matrimonio hanc significationem indidit Christusque eam confirmavit.

De qua re S. Augustinus ait: „Evigilans [ex ecstasi Adam] tamquam prophetiae plenus, cum ad se adductam mulierem suam videret, eructavit continuo, quod magnum Sacramentum commendat apostolus: Hoc nunc os. . . . Quae verba cum primi hominis fuisse Scriptura ipsa testetur, Dominus tamen in evangelio Deum dixisse declaravit. . . . ut hinc intellexeremus propter ecstasin, quae praecesserat in Adam, hoc eum divinitus tamquam prophetam dicere potuisse“ (De Gen. ad lit. l. 9, c. 19; M 34, 403). Idem docent S. Leo (Ep. 167 ad Rust. Narbon.; M 54, 1204), Innoc. III., alii, quos vide apud Bellarminum (De Matrim. c. 2). Verba igitur Adami, quae sensu litteralium significant maritalem viri et feminae coniunctionem, secundum sensum mysticum auctore apostolo significant conubium Christi cum ecclesia.

700. S. Thomas (cum aliis) censere videtur hanc significationem mysticam soli matrimonio christiano inesse. „Matrimonium fuit quidem in Veteri Lege, prout erat in officium naturae, non autem prout est Sacramentum coniunctionis Christi et ecclesiae, quae nondum erat facta“ (1, 2, q. 102, a. 5 ad 3). Nam „secundum quod repraesentat coniunctionem Christi et ecclesiae, institutionem habuit in Nova Lege“ (Suppl. q. 42, a. 2; cf. tamen 2, 2, q. 2, a. 7; 3, q. 61, a. 2 ad 3; In 4, d. 1, q. 1, a. 2, sol. 2). Sed revera verba Adami de omni futuro matrimonio legitimo dicta sunt (de futuro, quia Adam ipse non reliquit patrem et matrem), et cum apostolus dicat his verbis mysterium significari, omne matrimonium legitimum ab initio usque ad finem mundi dicendum est esse signum unionis Christi cum ecclesia, id quod etiam SS. Patres docent, ut S. Leo l. c.: „Societas nuptiarum ita ab initio constituta est, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et ecclesiae Sacramentum“ (cf. Wirceburg., De Matrim. n. 276).

Ergo Matrimonium est signum gratiae sanctificantis. Nam unio Christi cum ecclesia fit per gratiam sanctificantem, ut apostolus eodem loco exponit: „Christus dilexit ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae. . . . ut sit sancta et immaculata“ (Eph. 5, 26 sq.). Ergo si coniunctio maritalis significat coniunctionem, qua Christus unitur cum ecclesia, necessario quoque significat gratiam sanctificantem, quae est vinculum uniens.

701. Porro *Matrimonium hanc gratiam significat non ut extraneam ordini providentiae, in quo sunt, qui Matrimonium ineunt, sed ut huius ipsius ordinis gratiam.* Nam nutrit et fovet „Christus ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, de carne eius et ossibus eius“ (l. c. 29 sq.). Ergo si duo Christiani Matrimonium ineunt, hic ritus significat eam gratiam, qua ecclesia et membra eius sanctificantur. Qua ratione Matrimonium Christianorum distinguitur ab omni matrimonio mere legitimo; nam soli Christiani praecise ut membra ecclesiae vinculo gratiae cum Christo uniuntur. Omnibus autem non-Christianis gratia data est, non in quantum erant membra alicuius societatis visibilis, sed in quantum fide cum Christo futuro iungebantur. Qua de causa matrimonia eorum significabant gratiam futuram et absentem, Matrimonia Christianorum significant gratiam praesentem.

Ergo contractus matrimonialis inter Christianos est signum gratiae sanctificantis, quae pertinet ad ordinem, in quo contrahentes sunt.

702. *Minor probata est* in Tractatu de Sacramentis in genere, ubi ostendimus (n. 98 sqq.), hanc esse indolem Novae Legis, ut fideles non obligentur a Deo ad servandos ritus sacramentales gratia vacuos, sed omnem ritum, quem fideles debeant usurpare ad significandam

gratiam, etiam efficacem esse ad efficiendam gratiam. Ita e. g. loquens de lege rituali vetere apostolus ait: „Iuxta quam munera et hostiae offeruntur, quae non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et in potibus et variis baptismatibus et iustitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis. Christus autem . . . introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram“ (Hebr. 9, 9 sqq.). Ideo nolite iterum converti „ad infirma et egena elementa“ (Gal. 4, 9). Atqui Matrimonium christianum esset infirmum et egenum elementum significans gratiam eodem imperfecto modo ac vetera matrimonia, nisi simul efficeret gratiam. Nam si sine gratia unirentur coniuges, coniugium modo externo tantum et carnali, sicut ritus Veteris Testamenti, gratiam et unionem Christi cum ecclesia significaret. Atqui hoc est contra indolem Novi Testamenti. Ergo Matrimonium christianum est signum efficax gratiae, seu est Sacramentum. Christus autem Sacramentum Matrimonii instituit, quatenus voluit, ut in suo regno omnes ritus divina lege ab hominibus usurpandi efficerent gratiam, quam significant, et ita Matrimonium, quod iam antea erat signum sacram, dignitate et efficacia sacramentali insignivit. Itaque in Vetere Testamento matrimonium erat mysterium magnum ratione rei significatae, sed in Novo Testamento simul est mysterium magnum efficaci modo significandi.

Ex his igitur intellegitur, quomodo *Conc. Trid.* sess. 24 dicere possit apostolum innuisse Matrimonium Christianorum esse efficax gratiae (*Denzinger* I. c. 846). Apostolus enim, licet hoc non disertis verbis efferat, ita tamen loquitur, ut non aliter possit velle intellegi, si suae ipsius doctrinae fidelis esse velit.

703. Arg. 2. Ex SS. Patribus.

SS. Patres vel diserte dicunt Matrimonio ex institutione Christi anexam esse gratiam, vel ea proferunt, quae indolem sacramentalem Matrimonii supponunt.

a) Imprimis igitur *SS. Patres dicunt Matrimonii celebrationem esse rem sacram*, quae ad ecclesiae et sacerdotum curam pertineat. Sicut autem Lutherus ex eo, quod Matrimonium dicebat esse rem pure civilem, recte concludebat illud unice ad magistratum civilium provinciam pertinere, ita e contrario *SS. Patres*, cum dicebant esse rem ecclesiae curae subiectam, necessario quoque putabant esse rem ex institutione Christi sacram.

S. Ignatius M.: „Decet, ut sponsi et sponsae de sententia episcopi coniugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum et non secundum cupiditatem“ (*Ad Polyc.* c. 5, n. 2; *F* 1, 251).

Tertullianus: „Unde sufficimus ad enarrandam felicitatem eius Matrimonii, quod ecclesia conciliat et confirmat oblatio et ob-signat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet“ (*Ad uxor.* l. 2, c. 9; *M* 1, 1302).

S. Ambrosius scribit „ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari“ (*Ep.* 19 ad Vigil. n. 7; *M* 16, 984).

Siricius papa docet „instar sacrilegii esse, si ulla transgressione violetur illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit“ (*Ep.* 1 ad Siric. Tarrac. c. 4; *M* 13, 1156). Similiter alii *SS. Patres*. Ceterum Matrimonium habitum esse rem sacram, ipsa monumenta vetera et picturae testantur, quae saepe exhibent Christum coniugentem et benedicientem coniuges (cf. *Garrucci*, *Storia dell' Arte cristiana* Tom. 3, Tav. 196 sqq. et p. 179 sqq.; *Kraus*, *Real-Encycl.* I, 383 sqq.).

704. b) *SS. Patres testantur a Christo Matrimonium speciali modo consecratum et sanctificatum esse.*

S. Cyrillus Alex. (c. 2 in Io. 2, 1; *M* 73, 223): „Cum nuptiae celebrarentur, caste nimirum et honeste, adest quidem mater Salvatoris, sed et ipse una cum discipulis suis invitatus venit, non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret ac propterea generationis humanae principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut, qui naturam ipsam hominis renovaturus erat, non solum iis, qui iam in ortum vocati erant, benedictionem impertiret, sed et iis quoque, qui postea nascituri essent, gratiam praestrueret et eorum ortum sanctum efficeret.“

S. Epiphanius: „Duabus mihi de causis videtur invitatus esse Christus. Primum ut aquae similem ac diffluentem furiosorum hominum in mundo libidinem nuptiarum castimonia et honestate constringeret, tum ut, quod deerat, emendaret ac iucundissimi vini suavitate mulceret et gratia“ (*Haer.* 51, n. 30; *M* 41, 942).

S. Augustinus: „Ad hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut coniugalis castitas firmaretur et ostenderetur Sacramentum nuptiarum; quia et illarum nuptiarum sponsus personam Domini figurabat, cui dictum est: servasti bonum vinum adhuc“ (*In Io.* tr. 9, n. 2; *M* 35, 1459).

S. Maximus Taurinensis: „Vadit ergo ad nuptias Dei Filius, ut, quas dudum potestate constituit, tunc praesentiae suae benedictione sanctificet“ (*Hom.* 23, n. 7; *M* 57, 274).

Cf. *Ioan. Damasc.* (De fide orth. l. 4, c. 24; *M* 94, 1206), *Cy-rill. Al.* (*M* 73, 730; 77, 119) et quae habet *Migne* (P. L. tom. 72, col. 240 et col. 471).

705. c) *SS. Patres docent gratiam anexam esse matrimonio, cum disertis verbis tum eo, quod docent Matrimonium esse signum theoreticum seu Sacramentum gratiae latiore sensu; nam in Tract. de*

Sacr. in genere audivimus patres negantes esse in Novo Testamento signa gratiae inefficacia, ut e. g. dicit S. Augustinus (In Ps. 73, n. 2; *M* 36, 930): „Si discernimus duo Testamenta, Vetus et Novum, non sunt eadem Sacramenta. . . . Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta Novi Testamenti dant salutem, Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.“ His suppositis perspicitur, quomodo efficax argumentum duci possit ex his Patrum dictis.

Origenes: „Ac Deus quidem is est, qui duo in unum compegit, ut, ex quo mulier viro nupsit, duo amplius non sint, et, quoniam coniunctionis auctor est Deus, propterea iis inest gratia, qui a Deo coniuncti sunt; quod non ignorans Paulus conubium verbo Dei consentaneum gratiam esse pronuntiat, quemadmodum castus caelibatus gratia est. Sic enim ait: „Volo omnes homines esse sicut me ipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.“ Qui autem a Deo coniuncti sunt, id sentiunt et faciunt: „Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam“ (Comment. in Matth. t. 14, n. 16; *M* 13, 1230).

S. Ambrosius: „Discite, qui ad gratiam Baptismatis tenditis, veluti quidam fidei candidati, continentiae disciplinam sobriam. Nulli licet scire mulierem praeter uxorem. . . . Cognoscimus velut praesulem custodemque coniugii esse Deum, qui non patitur alienum torum pollui; et si quis fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam solvat. Et ideo, quia in Deum peccat, Sacramenti caelestis amittit consortium“ (De Abraham l. 1, c. 7; *M* 14, 442).

S. Innocentius I.: „Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse coniugium, quod est primitus divina gratia fundatum, conventumque secundae mulieris, priore superstite . . . nullo pacto posse esse legitimum“ (Ep. 36 ad Prob.; *M* 20, 602).

706. S. Augustinus: „In nuptiis bona nuptialia diliguntur: proles, fides, Sacramentum. Sed proles, non ut nascatur tantum, verum etiam ut renascatur; nascitur namque ad poenam, nisi renascatur ad vitam. Fides autem, non qualem habent inter se etiam infideles zelantes carnem. Quis enim vir, quamlibet impius, vult adulteram uxorem? Aut quae mulier, quamlibet impia, vult adulterum virum? Hoc in conubio bonum naturale est quidem, carnale tamen. Sed membrum Christi coniugis adulterium coniugi debet timere, non sibi; et a Christo sperare fidei praemium, quam exhibet coniugi. Sacramentum vero, quod nec separati nec adulterati amittunt, coniuges concorditer casteque custodiant“ (De nupt. et concup. c. 17, n. 19; *M* 44, 423).

„Quoniam sane non tantum fecunditas, cuius fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cuius vinculum est fides, verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis, unde dicit apostolus: „Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit

ecclesiam.“ Huius procul dubio Sacramenti res est, ut mas et femina conubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, a coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo et ecclesia, ut vivens cum vivente nullo divortio separetur. Cuius Sacramenti tanta observatio est in civitate Dei nostri, in monte sancto eius, hoc est in ecclesia Christi, quibusque fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, ut, cum filiorum procreandorum causa vel nubant feminae vel ducantur uxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, ut alia fecunda ducatur. . . . Ita manet inter viventes quiddam coniugale, quod nec separatio nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum foederis, sicut apostatae anima velut de coniugio Christi recedens etiam fide perditam Sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit“ (l. c. c. 10, n. 11).

„Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir eius vivit, nec saltem ipsa causa pariendi; quae cum sola sit, qua nuptiae fiunt, nec ea re non subsequente, propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale nisi coniugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis, et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, Sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad iudicium permanente“ (De bono coniug. c. 24, n. 32; *M* 40, 394).

Docet igitur S. Augustinus in Matrimonio Christianorum ex institutione Christi prae omnibus aliis matrimoniis specialem rationem Sacramenti inesse, quatenus vinculo indissolubili indissolubilem Christi cum ecclesia coniunctionem repraesentet; et sub hoc respectu Matrimonium comparat cum Baptismo et Ordine, quibus indelebilis character animae imprimitur. Atqui haec clare ostendunt secundum S. Augustinum Matrimonio convenire rationem Sacramenti proprie dicti, quamvis Vasquez, ut ipse ait „anno Domini 1588 manifeste deprehenderit ipsum [S. August.] non loqui de Sacramento proprie, quatenus est signum gratiae sanctificantis recipientes, sed de Sacramento latiore significatione, prout est signum unionis Christi cum ecclesia“ (De Matrim. disp. 2, c. 5, n. 30).

De hoc argumento patristico cf. *J. Müllendorff* in *Zeitschrift für kathol. Theol.* [Innsbr. 1878] p. 633 sqq. et *Schanz*, *Theol. Quartalschrift* [Tübingen 1890] p. 22 sqq.).

707. Arg. 3. Ex consensu theologorum.

Inde a saeculo XII. theologi unanimiter docent Matrimonium esse unum de septem ecclesiae Sacramentis, et hanc rem non ut novam

sed ut semper ab ecclesia traditam proponunt. Ita theologi in Commentariis in IV, d. 26; S. Thomas in Suppl. q. 42, a. 1. Audiatur e. g. Scotus: „Communiter tenet ecclesia Sacramentum Matrimonii esse septimum inter ecclesiastica Sacramenta, et de Sacramentis ecclesiae non est aliter sentiendum, quam sentit ecclesia romana“ (In 4, d. 26, q. 1, § „Sed quia communiter“. Cf. Tanner, De Matr. disp. 8, q. 2, d. 2, n. 17).

708. At difficultas oritur inde, quod Magister (l. 4, d. 2) videtur negare Matrimonio conferri gratiam, et quod Durandus (In 5, d. 26, q. 3, n. 12) ex eadem ratione concludit Matrimonium esse Sacramentum aequivoce tantum.

Sed imprimis respondendum est: Licet hi duo forte dissenserint, contra universalem et certam omnium theologorum doctrinam nihil efficere possunt. Quamvis autem illis temporibus nondum fuerit dogma definitum Matrimonio conferri gratiam, erat tamen error in theologia hoc negare. Neque vero talis error imputandus est theologis, quamdiu eorum verba in bonum sensum explicari commode possunt.

709. Cum igitur Magister l. 4, d. 1 aperte doceat omnia Sacramenta Novae Legis esse efficacia gratiae, in distinctione vero 2 dicat Matrimonium esse unum ex septem Sacramentis, non potest negare velle Matrimonio conferri gratiam. Sed potius ostendere vult, quomodo singula Sacramenta inter se differant, et dicit alia esse et ad remedium et ad gratiam conferendam, ut Baptismum, alia esse ad remedium tantum, ut Coniugium, alia ad gratiam tantum, ut Eucharistiam. Vult igitur gratiam sacramentalem explicare eamque quoad Matrimonium constituit in „remedio“, et recte quidem; nam gratia huius Sacramenti proxime datur ad reprimendam inordinatam concupiscentiam, sicut gratia Eucharistiae proxime datur ad augendam caritatem. Sed uterque effectus obtinetur per gratiam sanctificantem, quae in Sacramento datur. Unde magister statim addit, coniugium ante Christum non fuisse remedium, quia „ante adventum Christi, qui gratiam attulit, gratiae Sacramenta non erant danda“.

710. Quod Durandum attinet, hic dicit se velle „unum pro certo statuere et alterum in medio relinquere“. „Tenendum est absolute, quod matrimonium est Sacramentum, cum hoc determinet ecclesia (extra „de haereticis“, ad abolendam) . . .“ (l. c. n. 5). Alterum est, „quod iuristae tenent, quod in Sacramento Matrimonii non confertur gratia“ (n. 6). „Quorum doctrina an sit vera an falsa, non determino quoad praesens“ (n. 8). Alibi vero clare docet Matrimonio conferri gratiam, non solum quia omne Sacramentum Novae Legis dicit esse efficax gratiae (In 4, d. 1, q. 1, n. 9), sed etiam quia declarat, Sacramento Matrimonii dari gratiam adiuvantem ad actus virtutis tem-

perantiae, sicut alia Sacramenta ad aliarum virtutum actus adiuvent (In 4, d. 2, q. 2, n. 8). Neque vero permittit, ut sententia negans Matrimonio conferri gratiam, „reprobetur tamquam erronea vel contraria determinationi ecclesiae“ (In 4, d. 26, q. 3, n. 8), quia tam nobiles habuit defensores.

711. Videamus igitur, quid sentiendum sit de illis canonistis, qui negantem sententiam defenderunt. Imprimis adest glossa in c. „Quidquid“ (101, causa 1, q. 1), quo canone (can. 8 Conc. Toletani XI) prohibetur, ne pro administratione Sacramentorum accipiatur pecunia. „Coniugium non esse de his Sacramentis, quae consolationem caelestis gratiae tribuunt et ideo in ipso posse pecuniam intervenire. 32, q. 2 „Honorantur“. Cetera ita sacrae rei tenent significationem, ut et eius pariter habeant virtutem, istud solam significationem.“ De qua glossa dicit Navarrus in Enchiridio communem doctrinam tenendam esse „contra glossam et nonnullos eam male approbantes“ (Enchirid. c. 22, n. 20). Qui glossam male approbarunt, sunt illi canonistae, quos Durandus citat: Gaufridus, Henricus Ostiensis, Bernardus Papiensis. Ostiensis e. g. dicit: „Tertia divisio Sacramentorum haec est, quia quaedam sunt, in quibus confertur gratia, ut 1, q. 1 „Quidquid“, ut sunt Sacramenta necessitatis, ordinis sive dignitatis. Quaedam vero sunt, in quibus non confertur, ut matrimonia, sive cum contrahuntur, quoniam pretia interveniunt: 32, q. 2 „Honorantur“; 31, q. 5 „Aliter“, et condiciones pecuniariae apponuntur, extra de condic. app. „De illis“, sive cum consummantur 32, q. 2 „Conubia“, quod non esset, si per ipsum gratia conferretur“ (Summa l. 1, tit. de Sacram. non iterand.). Unde dubium esse nequit, quin glossatores et pauci alii canonistae in hac re erraverint.

712. Sed inde a temporibus theologiae scholasticae nullos habuerunt asseclas, licet opinio affirmans Matrimonio gratiam dari, non statim fuerit de fide, ut recte notat Durandus. Postea vero non soli theologi, sed etiam canonistae hanc doctrinam ut plane certam statuerunt, ut e. g. Covarruvias, qui ante Conc. Trid. contrarium vocat „falsum et erroneum“ (De Matrim. P. 2, c. 1, § 1, n. 3). Schmalzgrueber pro falsa illa sententia immerito citat Durandum et tacet canonistas (Ius eccles. tit. de Spons. et Matrim. n. 283), cum Durandus eam non docuerit, sed solum, ut quorundam canonistarum opinionem allegaverit. S. Thomas, cum scribebat commentarios in sententias, putabat probabilius esse Matrimonio conferri gratiam (In 4, d. 26, q. 2, a. 3). Sed in Summa docet falsum esse dicere Matrimonio non dari gratiam, et simul reiecit argumentum canonistarum supra allatum: „Dicunt quidam, quod pro matrimonio licet pecuniam dare, quia in eo non confertur gratia. Sed hoc non est usquequaque verum, ut in tertia parte huius operis dicetur. Et ideo aliter dicen-

dum est, quod Matrimonium non solum est ecclesiae Sacramentum, sed etiam naturae officium. Et ideo dare pecuniam pro matrimonio, in quantum est naturae officium, licitum est; in quantum vero est ecclesiae Sacramentum, illicitum" (2, 2, q. 100, a. 2 ad 6). Tertiam quidem partem S. Thomas non perfecit, sed doctrina eius patet ex verbis citatis; ex 1, 2, q. 108, a. 3; ex 3, q. 62, a. 1; ex prolegom. in Ep. 1 ad Corinth., Contra gent. l. 4, c. 78, ubi simpliciter docet „credendum est, quod nubentibus per hoc Sacramentum gratia conferatur.“

713. *Itaque glossa illa erronea, et pauci veteres canonistae non possunt evertere vel infirmare consensum posteriorem totius Scholae; et sic argumentum hoc ex auctoritate theologorum et in se efficax est ad probandam thesim nostram et simul ostendit, quo sensu explicanda sint dicta Patrum minus in se perspicua; neque enim aliam quam SS. Patrum doctrinam Scholastici tradere voluerunt.*

Quod autem theologi docuerunt, hoc praxis ecclesiae semper confirmavit, cum in libris ritualibus Matrimonium inter septem Sacramenta recenseatur (cf. Martène, De antiq. eccl. ritib. l. 1, c. 9, t. 2, p. 126 sqq.).

714. *Arg. 4. Ex consensu ecclesiarum orientalium.*

Omnes communitates christianae orientales, licet schismatica aut haereticae, unanimiter profitentur Matrimonium esse unum ex septem Sacramentis a Christo institutis. Cf. Goar, Eucholog. p. 385 sqq. Quoad Graecos schismaticos Schelstrate, Acta orient. eccl. I, 126. 156. 377. 338 sqq.; quoad alios Orientales Denzinger, Rit. Orient. I, 150 sqq. 364 sqq.; Perpétuité de la Foi t. 5, l. 6, c. 1; Assemani in Biblioth. Orient. III, p. 1, 356 et p. 2, 319 sqq.; Perrone, De Matrim. I, 1 sqq.

Vim huius argumenti expendimus in Tract. de Sacram. in genere (n. 82).

715. *Arg. 5. Ex definitionibus ecclesiae.*

In Concilio Veronensi (a. 1164) Lucius III. decrevit: „Universos, qui de Sacramento corporis et sanguinis D. N. I. Christi vel de Baptismate seu peccatorum Remissione aut de Matrimonio vel de reliquis ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta romana ecclesia praedicat et observat... vinculo perpetui anathematis innodamus.“ Qui canon receptus est in corpus iuris canonici (l. 5, t. 7, c. 9). Idem definitum est in Conc. Lugdun. II. (Denzinger, Enchir. l. c. 388), in Conc. Florentino (Denzinger l. c. 597), maxime vero in Conc. Trid. (sess. 24, can. 1): „S. q. d. Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis evan-

gelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in ecclesia inventum, neque gratiam conferre; A. S.“ (Denzinger l. c. 847).

Hanc doctrinam postea saepe romani pontifices inculcarunt, et maxime Leo XIII. in Encyclica: „Arcanum divinae sapientiae“ (die 10. Febr. 1880), in qua inter alia ait: „Apostolis magistris accepta referenda sunt, quae sancti Patres nostri, Concilia et universalis ecclesiae Traditio semper docuerint: nimirum Christum Dominum ad Sacramenti dignitatem evexisse Matrimonium; simulque effecisse, ut coniuges caelesti gratia, quam merita eius pepererunt, saepti ac muniti sanctitatem in ipso Coniugio adipiscerentur; atque in eo, ad exemplar mystici conubii sui cum ecclesia conformato, et amorem, qui est naturae consentaneus, perfecisse et viri ac mulieris societatem divinae caritatis vinculo validius coniunxisse.“

716. *Arg. 6. Ex rationibus congruis.*

a) Secundum voluntatem Christi Matrimonium ineundum est ad propagandum populum Dei.

Atqui haec propagatio gravissima onera imponit coniugibus. Ergo convenit indoli Novi Testamenti, ut, qui ex voluntate Dei haec onera subeunt, speciales etiam accipiant gratias huic statui convenientes. Cum vero Deus soleat gratias alligare signis quibusdam sensibilibus, prout convenit humanae naturae, et cum hoc modo omnibus aliis necessitatibus spiritualibus providerit, sine dubio a priori probabile est eum huic quoque necessitati per speciale Sacramentum providisse.

b) *Christus voluit, ut matrimonium christianum frueretur unitate et indissolubilitate*, qualem neque apud gentes neque apud Iudaeos habuit. Haec autem unitas et indissolubilitas non raro est iugum durissimum. Ergo convenit, ut coniuges suum habeant Sacramentum, quo participes fiant gratiae ad hoc iugum portandum requisitae.

717. *Schol. Quando institutum sit Sacramentum Matrimonii.*

Quidam theologi, ut Petrus Sotus, Catharinus, Maldonatus, censent Matrimonii Sacramentum iam in paradiso fuisse institutum, quia statim ab initio fuit Sacramentum magnum relate ad Christum et ecclesiam; ergo hoc signum, si nunc est efficax gratiae, statim ab initio fuit. Verum haec doctrina admitti nequit, quia in Tractatu de Sacramentis in genere probatum est sola Sacramenta Novae Legis esse efficacia gratiae. Matrimonium igitur, licet ab initio fuerit signum theoreticum, non tamen fuit signum efficax. Haec est longe communior doctrina theologorum (Bellarminus, De Matrim. c. 5; Vasquez, De Matrim. disp. 2, c. 2 et 3, n. 10; Tanner, De Matrim. disp. 8, q. 2, dub. 2, n. 25).

Quando Christus instituerit hoc Sacramentum, dubium est. Alii dicunt, quando interfuerit nuptiis in Cana Galilaeae; alii, quando matrimonium reducerit ad primaevam indissolubilitatem (Matth. 19), alii, post resurrectionem (cf. *Tanner* l. c. n. 26 sq.).

Prop. LIV. Sacramentum Matrimonii nihil aliud est nisi ipse contractus matrimonialis Christianorum, ita ut contractus sine Sacramento inter Christianos existere non possit.

718. *Nota.* Matrimonium in ratione contractus naturalis iam existebat ante Christum. Christus igitur, quando matrimonium Sacramentum facere voluit, duplici modo hoc exsequi potuit. Aut enim potuit contractui naturali aliquod signum externum addere, quod esset gratiae efficax, aut potuit ipsum contractum evehere ad dignitatem sacramentalem. Quodsi priorem modum elegit, concipere possumus existere etiam inter Christianos solum contractum matrimonialem sine Sacramento; sin contractus matrimonialis eo ipso, quod fit a Christianis, est Sacramentum, nullum fit matrimonium inter Christianos sine Sacramento, sed contractus et Sacramentum sunt duae formalitates ratione tantum distinctae in Matrimonio christiano. Utrum modum elegerit Christus, multum disputatum est inter theologos.

719. *Fuerunt, qui dicerent contractu ipso non constitui ullo modo Matrimonii Sacramentum, sed Sacramentum esse aliquid accedens ad contractum, puta benedictionem sacerdotalem.* Ita docebant quidam canonistae aulici vel regalistae, qui hoc modo studebant vindicare regiam in matrimonium potestatem. Ita *Marcus Antonius de Dominis* (De republica ecclesiastica l. 3 et 5, c. 2), *Ioannes Launoy* (De regia in matrimonium potestate t. 1, p. 2, c. 4), multi Iosephinistae et Gallicani, nostra aetate *Ioan. Nep. Nuytz*, professor Taurinensis, in variis operibus, quae damnata sunt a Pio IX.

Alii putabant contractum quidem ingredi Sacramentum, sed ut materiam tantum, cui benedictio sacerdotalis ut forma deberet accedere. Ideo si benedictio omittitur, existit matrimonium ut contractus, non vero ut Sacramentum. Ita *Melchior Canus* (De loc. theol. l. 8, c. 5), *Sylvius, Estius, Tournely.*

Alii denique volunt contractum quidem ipsum esse integrum Sacramentum Matrimonii, nihilominus suam vim naturalem ita retinere, ut Christiani contrahentes possint sua intentione efficere, ut solus contractus naturalis existat sine Sacramento. Ita *Vasquez* (De Sac. in gen., disp. 138, c. 5, n. 63. 64), *Wireburg.* (De Matr. 300), alii.

720. Usque ad initium huius saeculi haec erat quaestio eatenus disputabilis, quatenus ab auctoritate ecclesiastica nondum definitum erat, nonne saltem in certis casibus posset matrimonium inter Chri-

stianos existere, quod non esset Sacramentum, ut patet ex schemate quodam Constitutionis pontificiae Pii VII. ex anno 1816, in quo haec leguntur: „Quidquid sit de matrimoniis, quae absque sacro ministro ineuntur iis in locis, ubi Trid. Concilium non est promulgatum, quae quidem sunt qui opinantur subsistere in ratione contractus, ad Sacramenti autem dignitatem nullatenus pertingere, quam quaestionem nos praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes in medio relinquimus“ (*Roskovány*, Matrim. in eccl. cath. II, 23). Postea autem variis declarationibus summorum pontificum quaestio definita est, ut thesis nostra in dubium vocari non iam possit.

721. **Argumentum.**

Christus ipsum contractum matrimonialem evexit ad dignitatem Sacramenti, ut contractus sit totum signum sacramentale. Ergo Sacramentum et contractus non sunt duae res, sed una, quae simul rationem contractus et Sacramenti habet. Consequentia patet; nam si Sacramentum esset res alia a contractu, non ipse contractus evectus esset ad dignitatem Sacramenti. — Praeterea Christus voluit, ut omne Matrimonium Christianorum simul sit Sacramentum. Ergo ubi inter Christianos non est Sacramentum Matrimonii, ibi ne contractus quidem matrimonialis est. Tota haec argumentatio patet, si probatum est hoc principium: Christus omnem contractum matrimonialem Christianorum evexit ad dignitatem Sacramenti. Haec quidem res pendebat a libera Christi voluntate, unde non a priori, sed ex positivis revelationis fontibus probari debet. Itaque

722. *Prob. ant.: Apostolus Eph. 5, 31 docet ibi esse Sacramentum magnum inter Christianos, ubi verificetur illud: „Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.“* Atqui hoc verificatur in omni Matrimonio. Ergo omne Matrimonium inter Christianos est Sacramentum. Quando igitur Christiani volunt matrimonium inire, aut volunt facere, quod vult Christus vel ecclesia, aut nolunt. Si volunt, necessario adest Sacramentum, posito enim cum debita intentione signo a Christo instituto infallibiliter sequitur effectus. Sin nolunt, eo ipso nolunt facere contractum matrimonialem; nam nolle eam rem, quae ex absoluta Dei voluntate a contractu matrimoniali seiungi nequit, est nolle ipsum contractum matrimonialem, quia nolle proprietatem essentialem rei est nolle ipsam rem; sicut qui non vult fieri calidum, eo ipso non vult fieri ignem (cf. *Sanchez*, De Matr. l. 2, disp. 10, n. 6).

723. *Consensus veterum theologorum idem docet, id quod ipse Canus, qui primus oppositam sententiam defendit, nolens ostendit. Cum enim advertisset suam de separabilitate Sacramenti a contractu Matrimonii doctrinam esse innovationem, studuit hanc difficultatem remove*

ostendendo Scholasticos in quam plurimis quaestionibus de matrimonio dissentire, unde hanc conclusionem facit: „Ita casu quodam communis forte consensus facta est, cum contra usu quoque venire potuerit, ut, si primus adseruisset non omne fidelium coniugium Sacramentum esse, sed quod religiose sacrataeque esset constitutum, secundus, tertius ac deinceps reliqui, quoniam probabile etiam id esset, eandem sententiam sequerentur.“ Deinde dicit theologos aliquam doctrinam probare posse aut ex sacris libris aut ex apostolicis institutis. „Nulla autem harum rerum efficere potest matrimonium sine ministro profane contractum esse Novae Legis Sacramentum. Ubi ego, si Thomistae omnes cum Scotistis existant, si cum antiquis iuniores velint contra me pugnare, tamen superior sim necesse est“ (De loc. theol. l. 8, c. 5). Erravit, eumque errasse hodie inter theologos convenit. Neque enim admittere debuit usque ad sua tempora theologos ne suspicatos quidem esse veram Matrimonii christiani naturam, cum omnes sine haesitatione docerent contractum et Sacramentum esse unum idemque (cf. *S. Thomas*, Suppl. q. 42, a. 1, ad 1; *S. Bonaventura*, In 4, d. 26, a. 2, q. 2 et d. 28, a. 1, q. 5; *Scotus*, In 4, d. 26, q. 1, concl. 3; *Paludanus*, In 4, d. 5, q. 2), ut paulo ante Canum Dominicus Sotus potuerit scribere: „Hanc autem opinionem [consensum contrahentium non esse ipsum Sacramentum], quia singularis esset, nullum arbitror habuisse hactenus assertorem seu disputatorem, nam praeterquam quod nemo eorum, qui hucusque scripserunt, eius meminerit, non apparet, quomodo sit sustentabilis“ (In 4, d. 26, q. 2, a. 3, § „Circa materiam vero“).

724. Eugenius IV. docet: „Septimum est Sacramentum Matrimonii. Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus“ (*Denzinger* l. c. 597). Ergo id, quod efficit contractum, etiam est signum efficax gratiae, seu contractus est Sacramentum; secus enim alia causa efficiens Matrimonii, ut est Sacramentum, assignari debuit.

Conc. Trid. (sess. 24), postquam descripsit Matrimonium, ut est vinculum indissolubile, porro ait: „Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret et indissolubilem unitatem confirmaret coniugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. . . . Cum igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus conubiis per Christum gratia praestet, merito inter Novae Legis Sacramenta annumerandum SS. Patres nostri, Concilia et universalis ecclesiae Traditio semper docuerunt“ (*Denzinger* l. c. 846).

Ergo Christus in ecclesia sua ipsum coniugium gratia auxit, ut Matrimonium Christianorum sub hoc respectu ceteris conubiis praestet, non autem alium ritum sanctificativum ad Matrimonium addidit.

Pius VI. die 16. Sept. 1788 ad episcopum Motulensem scribit: „Dogma fidei est, ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum ex septem Novae Legis Sacramentis a Christo Domino institutum. . . . Hinc fit, ut ad solam ecclesiam, cui tota sacramentalis est cura concredita, ius omne ac potestas pertineat suam assignandi formam huic contractui ad sublimiorem Sacramenti dignitatem evecto ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate iudicium ferre. . . . Hae causae non alia ratione pertinent ad unum ecclesiae iudicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicae Sacramentis“ (*Roskovány*, Matrim. I, 421 sqq.).

Pius IX. in allocutione habita d. 27. Sept. 1852: „Nemo ex Catholicis ignorat aut ignorare potest Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles Matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum; atque idcirco quamlibet etiam inter Christianos viri et mulieris praeter Sacramentum coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab ecclesia tanto opere damnatum; ac proinde a coniugali foedere Sacramentum separari numquam posse“ (*Denzinger* l. c. 1501).

Unde in Syllabo damnatur Prop. LXXIII.: „Vi contractus mere civilis potest inter Christianos constare verum matrimonium; falsumque est aut contractum matrimonii inter Christianos semper esse Sacramentum aut nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur“ (*Denzinger* l. c. 1621; cf. Prop. LXV. et LXVI.).

Leo XIII. in Encycl. „Arcanum divinae sapientiae“ die 10. Febr. 1880: „Nec quemquam moveat illa tantopere a regalisticis praedicata distinctio, vi cuius contractum nuptialem a Sacramento disiungunt, eo sane consilio, ut ecclesiae reservatis Sacramenti rationibus contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. Et enim non potest huiusmodi distinctio seu verius distractio probari, cum exploratum sit in Matrimonio christiano contractum a Sacramento non esse dissociabilem, atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso Sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate Sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure. . . . Itaque apparet omne inter Christianos iustum coniugium in se et per se esse Sacramentum, nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse Sacramentum decus quoddam adiunctum aut proprietatem allapsam extrinsecus, quae a contractu disiungi ac disparari hominum arbitratu queat.“

Haec sine dubio ea sunt, quibus ostendatur catholico theologo non iam licere perfectam Sacramenti a contractu matrimonii inseparabilitatem in quaestionem vocare.

725. *Coroll.* Ergo Sacramentum Matrimonii sicut ipse contractus est res transiens. Nihilominus Bellarminus (De Matrim. l. 1, c. 6), Sanchez (De Matrim. l. 2, d. 5, n. 7), Laymann (Theol. mor. l. 5, tr. 10, p. 2, n. 4) ipsum quoque vinculum permanens ortum ex contractu Sacramentum appellandum esse volunt, quia repraesentat unionem Christi cum ecclesia. Unde hoc vinculum est id, quod significatur et significat, seu est res Sacramenti et Sacramentum. Verum non approbandus est hic loquendi modus propter analogiam cum aliis Sacramentis. Nam nemo characteres Baptismi vel Confirmationis solet simpliciter appellare Sacramenta Baptismi vel Confirmationis. Ratio est, quia Sacramentum simpliciter dictum est signum efficax gratiae sanctificantis; atqui characteres et vinculum matrimoniale non sunt signa gratiae efficacia; ergo nihil horum est simpliciter dicendum Sacramentum, sed res et Sacramentum, quia hic terminus ex usu theologorum habet determinatam significationem, quae etiam vinculo Matrimonii convenit. Cf. Coninck (De Matrim. disp. 42, dub. 2, n. 11), Schmalzgrueber (De Sponsal. et Matrim. n. 295) etc.

726. *Schol.* De variis contractibus matrimonialibus, qui num Sacramentum sint, disputatur.

1. *Matrimonium non-Christianorum non esse Sacramentum* proprie dictum constat, quia soli baptizati capaces sunt Sacramentorum. Num vero illa matrimonia saltem theoretice significent coniunctionem Christi cum ecclesia, non convenit inter doctores. Tanner e. g. negat (De Matrim. disp. 8, q. 2, dub. 3, n. 39). Sed verius affirmatur cum Sanchez (l. 2, disp. 8) iuxta c. „Gaudemus“ de divort., in quo Innocentius III. ait: „Cum Sacramentum coniugii apud fideles et infideles existat...“ (Denzinger l. c. 352). Idem docet Honorius III. c. „Ex parte tua“ de transact. (l. 1, tit. 36, c. 11) et provocans ad utrumque Leo XIII. in Encycl. „Arcanum divinae sapientiae“: „Et enim cum Matrimonium habeat Deum auctorem fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. Quocirca Innocentius III. et Honorius III. decessores nostri non iniuria nec temere affirmare potuerunt apud fideles et infideles existere Sacramentum coniugii.“

727. 2. *Quaeritur, num infidelium matrimonium fiat Sacramentum* proprie dictum, quando coniuges convertuntur ad fidem.

Prima sententia absolute negat. Ita multi Thomistae, Vasquez (De Sac. in gen. disp. 138, c. 5; De Matrim. d. 2, c. 10), Schmalzgrueber (De Sponsal. et Matrim. n. 310), alii. Ratio est, quia ipse primus contractus, non vero posterior approbatio contractus a Christo aucta est ratione Sacramenti.

Secunda sententia docet matrimonium hoc fieri Sacramentum, quando post Baptismum coniuges renovent consensum. Ita multi alii Thomistae praeunte Capreolo (In 4, d. 26, q. 1, a. 3 ad 5), Henricquez, alii. Repeti volunt contractum, ut adsit signum sacramentale; dicunt autem fieri tunc novum contractum, quia iam fit plane indissolubilis et perfecte repraesentat unionem Christi cum ecclesia.

Tertia sententia affirmat tale matrimonium eo ipso fieri Sacramentum, quod coniuges baptizantur. Ita Sanchez (De Matrim. l. 2, disp. 9, n. 5), Tanner (De Matrim. disp. 8, q. 2, dub. 3, n. 51), alii communiter. *Haec sententia admittenda est.* Nam sicut S. Paulus omne Matrimonium Christianorum indiscriminatim docet esse Sacramentum, ita etiam romani pontifices sine ulla distinctione negant posse inter Christianos contractum matrimonialem existere, quin sit Sacramentum. Ergo nobis non licet exceptionem statuere. Praeterea non est probabile Deum velle coniuges ex gentilismo conversos privare gratiis ex Sacramento Matrimonii provenientiibus. Neque ulla apparet difficultas, ob quam post Baptismum contractus naturalis non transeat in Sacramentum. Fit enim revera consensus moraliter novus, cum accedat nova significatio et perfecta indissolubilitas, quam matrimonium hactenus non habuit. Iam si significatio theoretica perfectior accedit, mirum non est, quod etiam significatio nova practica accedit, maxime quia consensus matrimonialis baptizatorum significat eorum gratiam propriam et praesentem, cum matrimonium gentilium significet gratiam absentem et aliorum.

Neque requiritur novus consensus. Nam ex praxi ecclesiae non postulatur; et eo ipso, quod coniuges baptizantur, sufficienter ostendunt se velle in futurum esse coniuges christianos et omnia officia suscipere, quae christianis coniugibus incumbunt. In opposita autem sententia, si coniuges consensus renovationem omitterent, adesset matrimonium Christianorum, quod non esset Sacramentum. Tandem matrimonium infidelium destinatione Dei est Sacramentum, et ut Sacramentum actu sit, nihil deest ex parte consensus, sed ex parte obiectivae condicionis. Unde infideles quodammodo Sacramentum Matrimonii cum tacita condicione de futuro (quae in hoc Sacramento non repugnat) suscipiunt, qua condicione impleta Sacramentum actu habetur (cf. S. Thomas, Suppl. q. 59, a. 2 ad 1).

728. 3. *Matrimonium inter fidelem et infidelem* (cum dispensatione ecclesiae initum) esse in contrahente fidei Sacramentum negant multi theologii ut Sanchez (De Matrim. l. 2, disp. 8), Tanner (De Matrim. disp. 8, q. 2, dub. 2, n. 39), Wirceburg. (De Matrim. n. 288), alii. Rationem reddunt, quia contractus matrimonialis est unus numero in ambobus. Ergo si unus est inhabilis ad contrahendum sacramentaliter, eo ipso alter est inhabilis.

Affirmant alii, ut Dom. Sotus (In 4, d. 26, q. 2, a. 3, in fine), Perrone (De Matrim. t. 2. p. 306 sqq.), alii. *Quorum sententia pro-*

babilior videtur. Nam ecclesia eatenus tantum in matrimonium potestatem se habere contendit, quatenus matrimonium est Sacramentum. Unde si matrimonium inter fidelem et infidelem ex neutra parte esset Sacramentum, ecclesia nullam in id haberet potestatem. Atqui se habere ostendit statuto impedimento dirimente disparitatis cultus. Praeterea fidelis est capax suscipiendi Sacramenti, infidelis est capax administrandi Sacramenti; effectus etiam potest esse in uno, licet non sit in altero. Ergo non apparet, cur fidelis non possit in hoc casu recipere Sacramentum. Quod enim aiunt de inhabilitate ad contrahendum sacramentaliter, nihil probat. Licet enim contractus sit unus et consequenter, si duo fideles contrahunt, dici possit unum Sacramentum, potest tamen contractus in uno habere qualitatem et effectum anexum, quem non habet in altero, quia haec qualitas et hic effectus in utroque separatim existit, ut si alter digne suscipit Sacramentum Matrimonii, alter indigne. Unde effectus Sacramenti tum quoque, cum duo fideles contrahunt, non est unus, sed duplex.

729. 4. *Quaeritur, num matrimonium per procuratores vel litteras contractum sit Sacramentum.* Negant esse Sacramentum, antequam contractus a praesentibus contrahentibus ratificetur, *Canus* (De loc. theol. l. 8, c. 5) cum *Caietano* et aliis. Quorum ratio est, quia Sacramentorum confectio non potest fieri per absentem, ut in omnibus aliis Sacramentis apparet. Sed *contrarium est certum, quia contractus matrimonialis admittit omnes modos, qui non repugnant contractibus in genere; quidquid autem non repugnat contractui matrimonii, non repugnat Sacramento Matrimonii.*

Hanc sententiam docent *Sanchez* (De Matrim. l. 2, d. 11, n. 26) cum multis aliis, quos citat, item canonistae, ut *Schmalzgrueber* (De Sponsal. et Matrim. n. 298), moralistae, ut *S. Alphonsus* (l. 6, n. 885), alii communiter. Probatur haec sententia ex variis locis Decretalium, ut ex 6, l. 1, tit. 19, c. 9: „Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale.“ Neque *Conc. Trid.* (sess. 24, c. 1, De reformatione) in hac re quicquam mutavit, sed solum hanc condicionem addidit, ut procuratores coram paroco et testibus contrahant; et sic etiam nostris temporibus, consentiente ecclesia, principes interdum contrahunt. Ubi autem est contractus, ibi est Sacramentum Matrimonii inter Christianos. Per interpretem posse fieri contractum matrimonialem satis per se intellegitur.

730. *Similiter dicendum de matrimonio per epistulas contracto.* Nam ipse contractus sine dubio per epistulas fieri potest. Ubi igitur non viget lex Tridentina, ibi sufficit transmissio et acceptatio epistularum ad validitatem matrimonii; ubi vero *Trid.* viget, epistulae coram

paroco et testibus legi debent (*S. Alphons.* l. 6, n. 886). Ceterum hos modos non indifferenter licitos esse per se patet.

Prop. LV. Matrimonium essentialiter perficitur per consensum de praesenti.

731. *Nota.* Per consensum de praesenti hic intelleguntur sive verba proprie dicta sive nutus sive alia signa, quibus duo ad contrahendum habiles sibi hic et nunc dant potestatem mutuam in corpora ad actum generationis. Dicimus igitur hunc consensum de praesenti constituere essentialiter Matrimonii et esse signum efficax gratiae. Haec quidem thesis fuit ex praecedenti; nam si ipse contractus est Sacramentum, contractus autem fit per verba de praesenti, negari non potest Sacramentum perfici per verba de praesenti.

Nihilominus haec thesis statuenda videtur ad refutandam falsam quandam sententiam, quam olim nonnulli canonistae defendebant, et quae nostris diebus rursus defensores nacta erat. De qua re Dr. Ios. Freisen scripsit haec: a) Contractus matrimonialis essentialiter est promissio futurae copulae. b) Hic contractus nondum est Matrimonium, sed Sponsalia; Matrimonium vero fit per copulam affectu maritali habitam. c) Consequenter Sacramentum Matrimonii perficitur per copulam. d) Repugnat Matrimonium coniunctum cum virginitate¹. Quae theses sunt totidem errores theologici².

¹ „Die Kirche hat von Anfang daran festgehalten, dass zum Wesen der Ehe die Consummation durch den Beischlaf nothwendig sei. Diese Ansicht vertreten die Kirchenväter, die Päpste der alten Zeit, Hinemar, Gratian und seine nächsten Nachfolger“ (Archiv für kathol. Kirchenrecht LIV [1885], 361 sqq.). „Canonische Eheschliessung geschieht nicht allein durch Abgabe des Consensus de praesenti, sondern der Beischlaf muss hinzukommen. Die Anwendung des Ausdruckes sponsalia sowohl auf den consensus de futuro wie auf den consensus de praesenti steht in Verbindung mit der alten Lehre, dass die Ehe ohne Beischlaf nicht möglich ist. Auch die sponsalia de praesenti sind wirkliche sponsalia, es wird in ihnen der letzte Act der Eheschliessung, der Beischlaf, versprochen, wogegen in den sponsalia de futuro der consensus de praesenti und der Beischlaf, d. h. die beiden eheschliessenden Momente, versprochen werden. Erst mit dem Beischlaf tritt das Verhältniss aus dem Stadium des Verlöbnisses und ist Ehe“ (l. c. p. 363). „Der mit affectus maritalis (= consensus de praesenti) stattfindende Beischlaf schliesst die Ehe. Der consensus ist die nothwendige Bedingung (condicio sine qua non) dafür, dass der Beischlaf die Ehe schliesst. Nach dieser Anschauung aber ist es eine contradictio in adiecto, von jungfräulicher Ehe zu reden; virginitas ist darnach Negation der Ehe (l. c. p. 373). „Nach katholischem Rechte ist die Ehe ein Sacrament, und daher kann die Kirche nicht heute erklären, die Ehe wird durch consensus und copula, und morgen, sie wird durch consensus allein geschlossen. . . . Und so dürfte doch die alte Zeit Recht behalten, wenn sie sagt, die Ehe wird durch den affectu maritali vollzogenen Beischlaf geschlossen“ (l. c. p. 376. Idem in libro: Geschichte des canonischen Eherechtes [Tübingen 1888] p. 83 sqq. 151 sqq. 206 sqq. 216 sqq.).

² Auctor ipse interim hanc falsam sententiam retractavit (Archiv für kathol.

732. *Arg. 1. Ex Sacra Scriptura.*

S. Scriptura docet *B. V. Mariam et S. Ioseph fuisse veros coniuges*, quamvis nulla intercesserit inter eos consummatio Matrimonii. Et Mariam quidem semper mansisse virginem alibi probatur (De Verbo incarn. n. 593 sqq.). Hic quaeritur, fueritne vera coniux. Iamvero hoc verbis maxime perspicuis in S. Scriptura docetur. Evangelista enim Christi genealogiam deducit ad „Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus“ (Matth. 1, 16). Quae quidem genealogia tunc solum probat Christum fuisse filium David, si secundum legem Maria erat uxor Ioseph. Angelus autem ad Ioseph dicit: „Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, *παραλαβεῖν τὴν γυναῖκά σου*“ (Matth. 1, 20).

Quae verba possunt duplicem sensum habere, aut: Accipe eam, quae hactenus fuit sponsa tua, in uxorem; aut: Accipe eam, ut reapse est, coniugem tuam. Disputant quidem exegetae, uter explicandi modus praeferendus sit; sed nullus umquam dubitavit, quin postea B. Virgo revera uxor Iosephi fuisset. Maldonatus ait: „Teneamus, quod aut omnes aut optimi theologi tenent, verum fuisse iam tum, cum Christus conceptus fuerit, inter Iosephum et Mariam Matrimonium“ (In Matth. 1, 18). Suarez: „Dicendum est B. Virginem verum ac proprium Matrimonium ratum cum Ioseph contraxisse. Hanc veritatem esse de fide docent omnes theologi“ (In 3, q. 29, disp. 7, sect. 1, n. 2). Quae censura quamvis nimia videatur Sanchez, ipse tamen eandem doctrinam ut omnino certam defendit (De Matrim. l. 2, disp. 28)¹. Qui igitur negat Mariam et Ioseph veros fuisse coniuges, non solum claris verbis S. Scripturae vim infert, sed contra unanimum expositionem theologorum et exegetarum pugnat.

733. Quod vero Maria vocatur desponsata uxor (*ἐμνηστευμένη γυνή*: Luc. 2, 5), rem non mutat, cum constet desponsationem in Vetere Testamento non respondere nostris sponsalibus de futuro, sed fuisse verum contractum matrimonialem, vi cuius sponsus et sponsa essent vere maritus et uxor (Deut. 22, 23 sqq.). Sollemnis autem traductio sponsae in domum sponsi non censebatur ad essentiam Matrimonii pertinere, sed erat res, quae ad decorem et honestatem servandam necessaria erat (cf. Palmieri, De Matrim. p. 41 sq.; Zeitschrift für kathol. Theologie [Innsbruck 1888] p. 656 sqq.; Knabenbauer in Matth. 1, 18).

Kirchenrecht LXVII [1892] 381, 388). Sed quia disputatio vetus iterum resuscitata est, iuverit verae doctrinae argumenta rursus proponere.

¹ Schanz scribit (in Matth. 1, 20): „*Παραλαβεῖν Μαριάμ τὴν γυναῖκά σου* kann heißen: Maria als deine Frau aufzunehmen, oder: Maria, deine Frau, aufzunehmen. Da *παραλαβεῖν* schon für sich die Bedeutung zur Frau nehmen hat und die Voranstellung ihm den Nachdruck verleiht, so ist die zweite Erklärung vorzuziehen.“

734. *Arg. 2. Ex SS. Patribus.*

SS. Patres docent Mariam et Ioseph fuisse veros coniuges, et rationes exhibent, cur a coniugata potius Verbum nasci voluerit.

S. Ambrosius: „Nec illud moveat, quod ait: Quia Ioseph accepit coniugem suam et profectus est in Aegyptum (Matth. 1, 24), desponsata enim viro coniugis nomen accepit. Cum enim initiatur coniugium, tunc coniugii nomen adsciscitur; non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique, cum iungitur puella, coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur. Quod autem fuit desponsata conubio, licet alibi plenius dixerimus, libare nunc satis est causam caelestis mysterii; ut ab his, qui Mariam gravi utero cernerent, non adulterium virginitatis, sed desponsatae partus legitimus crederetur. Maluit enim Dominus aliquos de sua generatione quam de matris pudore dubitare“ (De instit. virg. c. 6, n. 42; M 16, 316).

Itaque S. Ambrosius exponit, quomodo inter Mariam et Ioseph fuerit verum coniugium, licet nulla defloratio intercesserit. Discimus autem ex verbis Ambrosii contractum matrimonialem illa aetate sicut et per subsequentia saecula vocatum esse desponsationem, et eos, qui hoc contractu iuncti erant, sponsos appellari solitos, cum nomen uxoris et mariti adhiberetur ad eos potius, qui Matrimonium consummassent, quamvis Ioseph interdum etiam dicatur maritus Virginis. Haec omnia alio loco S. Ambrosius diserte effert: „Ea potissimum electa est, ut Dominum pareret, quae erat desponsata viro. Cur autem non, antequam desponsaretur, impleta est? Fortasse ne diceretur, quod conceperat ex adulterio. Et bene utrumque posuit Scriptura, ut et desponsata esset et virgo; virgo, ut expers virilis consortii videretur, desponsata, ne temeratae virginitatis adureretur infamia. . . . Quin etiam locupletior testis pudoris maritus adhibetur. . . . Videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta praegnans. Causam autem mentiendi indesponsata habuit, desponsata non habuit, cum coniugii praemium et gratia nuptiarum partus sit feminarum. . . . Bene autem sibi diviserunt evangelistae, ut S. Matthaeus Ioseph ab angelo moneri induceret, Mariam coniugem accipere; Lucas illic evangelista testimonium ferret, quod non convenissent. . . . Et Dominus ipse in cruce positus manifestavit, cum dixit matri: Mulier, ecce filius tuus. . . . Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua (Io. 19, 26. 27). Etiam uterque testatus est, discipulus et mater, quia ex illa hora suscepit eam discipulus in sua. Utique si convenissent, numquam virum proprium reliquisset, nec vir eam iustus passus esset a se discedere. Quomodo autem Dominus divortium praecepisset, cum ipsius est sententia, quia nemo dimittere debet uxorem excepta causa fornicationis. . . . Nec te moveat, quod frequenter Scriptura coniugem dicit; non enim virginitatis ereptio, sed coniugii testificatio nuptiarum

celebratione declaratur. Denique, quam non accepit, nemo dimittit; et ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam" (In Luc. l. 2, n. 1—5; *M* 15, 1552 sqq.). Ergo Maria et Ioseph erant veri coniuges, quamvis essent virgines, sed quia Matrimonium non erat consummatum, erat extrinsecus dissolubile.

A *Gratiano* (causa 27, q. 2, c. 38) citantur verba *Ambrosii*: „Si quis desponsata sibi et tradita utatur, rite coniugium vocatur"; unde concludit ad coniugium copulam requiri. Sed allegatio non est fidelis, et explicatio est falsa; nam *Ambrosio* propositum est illo loco ostendere non copula effici coniugium. „Si quis desponsata sibi et tradita utatur, coniugium vocat; qui alienae expugnat pudorem, adulterium facit" (Ep. 60 ad Paternum n. 1; *M* 16, 1183). Ergo hoc textu non ostenditur ad coniugium requiri copulam, sed requiri desponsationem. Ideo iam correctores romani notarunt *Gratianum* non assecutum esse mentem *S. Ambrosii*.

735. *S. Augustinus*: „Quibus placuerit ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum continere, absit, ut inter illos vinculum coniugale rumpatur; immo firmiter erit, quo magis ea pacta secum inierint, quae carius concordiusque servanda sunt, non voluptariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab angelo dictum est ad Ioseph: ‚Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.‘ Coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec fuerat cogniturus; nec perierat nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat nec futura erat carnis ulla commixtio. Erat quippe illa virgo ideo et sanctius et mirabilius iucunda suo viro, quia etiam fecunda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele coniugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater eius sicut coniux matris eius, utrumque mente non carne" (De nuptiis et concupisc. l. 1, n. 12; *M* 44, 420). Alibi dicit propterea generationem Christi usque ad Ioseph deduci debuisse, quia Ioseph erat verus maritus Virginis, dein „ne homines fideles Christi id, quod sibi coniuges carne miscentur, tam magnum in coniugio deputarent, ut sine hoc coniuges esse non crederent, sed potius discerent fidelia coniugia, multo familiarius se adhaerere membris Christi, quanto potuissent imitari parentes Christi" (Contra Faust. l. 23, c. 8; *M* 42, 471).

736. *Gratianus* citat (C. 32, q. 1, c. 11) alia verba *S. Augustini*: „Non in sola, ut deliras, commixtione maris et feminae nuptiarum veritas est, quamvis sine illa nuptiae filios procreare non possint. Sed alia sunt proprie ad nuptias pertinentia, quibus ab adulteriis nuptiae discernuntur." Attamen haec verba non leguntur apud *Augustinum*; textus vero, qui in hac allegatione corruptus apparet, refutat doctrinam *Iuliani* dicentis: nihil aliud esse nuptias quam corporum

commixtionem; ad quod respondet *Augustinus*: „Numquid tamen negas sibi etiam adulteros appetitu mutuo et opere naturali et corporum commixtione coniungi? Non est ergo ista definitio nuptiarum. Aliud est enim, quod nuptiae sunt, et aliud est, sine quo etiam nuptiae filios propagare non possunt. Nam et sine nuptiis possunt nasci homines, et sine corporum admixtione possunt esse coniuges" (Contra Iul. l. 5, n. 62; *M* 44, 818). Ergo non docet copulam esse de essentia coniugii, sed prorsus contrarium. Immo in antecedentibus (n. 46 sqq.) *Augustinus* de industria ostendit, quomodo sine concubitu verum Matrimonium subsistere possit.

737. *S. Basilius M.* „De sancta Christi generatione" (n. 3): „Cum enim esset, inquit, desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Et virgo et viro desponsata habita est idonea ad huius dispensationis mysterium, ut et virginitas honori esset, et Matrimonium non contemneretur... (n. 5): Quamquam et affectu et amore et omni studio coniugibus convenienti uxorem suam esse rebatur, tamen a nuptialibus operibus abstinit [*Ioseph*]" (*M* 31, 1463. 1467).

738. *Origenes* Hom. 6 in Luc.: „Debit Christus de ea virgine nasci, quae non solum sponsum haberet, sed, ut *Matthaeus* scribit, iam viro tradita fuerat, licet eam vir necdum nosset... Principem huius saeculi latuit virginitas, latuit propter Ioseph, latuit propter nuptias, latuit, quia virum habere putabatur" (*M* 13, 1814 sqq.).

Sed haec sufficiant quoad hanc partem. Alii quidem *SS. Patres* proposito consilio pugnant contra eos, qui negabant perpetuam virginitatem *Mariae*, ideoque inculcant *B. Virginem* non dici uxorem, quod carnaliter cognita erat a Ioseph, sed quod ei legaliter desponsata erat.

739. *S. Hieronymus* contra *Helvidium*, qui docuerat *Mariam* non mansisse virginem, quod in Scriptura vocaretur coniux Ioseph, et quod cum Ioseph convenisse ostenderetur illis verbis: „Priusquam convenirent", ita respondet: „Cum evangelista dicat: priusquam convenirent, proximum nuptiarum tempus ostendit, et in eo iam rem fuisse, ut, quae prius sponsa fuerat, esse uxor inciperet. Quasi dixerit: Antequam oscula amplexusque miscerent; antequam rem agerent nuptiarum, inventa est habens in utero. Inventa autem est a nullo alio quam a Ioseph, qui sponsae uterum tumentem paene iam licentia maritali et curiosis oculis deprehendit. Non tamen sequitur, ut prioribus docuimus exemplis, eum cum *Maria* convenisse post partum, cuius conveniendi desiderium uteri conceptione sublatum est. Quod autem in somnis dicitur ad Ioseph: ‚Ne timeas accipere *Mariam* uxorem tuam, et rursum: ‚Exurgens autem Ioseph a somno, fecit, sicut praecepit

angelus Domini, et accepit uxorem suam, nullum movere debet, quasi ex eo, quod uxor est appellata, sponsa esse desierit, cum hanc esse Scripturae divinae consuetudinem noverimus, ut sponsas appellet uxores* (Contra Helvid. n. 4; *M* 23, 185 sq.). Ergo S. Hieronymus clare quidem docet Mariam non esse uxorem eo sensu, quo communiter uxores vocantur; sed nullo verbo dicit ad coniugii essentiam pertinere copulam, ita ut inter Mariam et Ioseph non fuerit verum coniugium, immo contrarium docet: „Tu dicis Mariam virginem non permanisse; ego mihi plus vindico etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio virgo filius nasceretur“ (l. c. n. 19; *M* 23, 203). Simili modo explicandus est S. Io. Chrysostomus Hom. 4 in Matth. et alii SS. Patres.

740. Ex argumentis allatis patet non licere nobis in dubium vocare, quin verum inter B. Virginem et S. Ioseph coniugium exstiterit. De qua re Benedictus XIV. ait: „Qui affirmant B. Virginis matrimonium cum S. Ioseph in solis sponsalibus constituisse, ii temere falsa opinantur. Itaque pro certo tenendum est Matrimonium inter eos contractum fuisse verum et ratum“ (De Syn. l. 13, c. 32, n. 13).

741. *Arg. 3. Ex auctoritate ecclesiastica.*

Concil. Trid. (sess. 24, can. 6) definivit: „S. q. d. Matrimonium ratum, non consummatum per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, A. S.“ (*Denzinger* l. c. 852). Ergo Matrimonium ratum existit ante consummationem. Porro Matrimonium ratum inter Christianos nihil aliud est nisi Sacramentum Matrimonii. Nam Innocentius III. docet: „Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum et ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit coniugii Sacramentum“ (Decr. Greg. l. 4, t. 19, c. 7). Ergo Matrimonium ratum est Matrimonium Sacramento ratificatum et consequenter ipsum Sacramentum. Itaque Sacramentum Matrimonii existit ante consummationem. Haec explicatio probatur etiam ex usu loquendi theologorum. Nam Concilium Trid. Matrimonium ratum sane non alio sensu voluit intellegi, quam quo omnes theologi intellegunt. Atqui eo tempore usus loquendi in hac re erat plane determinatus, ut ait e. g. Sanchez: Matrimonium „ratum dicitur, quando est Sacramentum, nondum tamen copula carnali consummatum . . . ut . . . docent omnes“ (De Matrim. l. 2, disp. 1, n. 9). Pallavicinus diserte testatur hoc sensu Patres Tridentinos intellexisse Matrimonium ratum (Hist. Conc. Trid. l. 22, c. 4). Ergo secundum Conc. Trid. existit Sacramentum Matrimonii ante consummationem.

Idem efficitur ex thesi praecedenti, qua probavimus inter Christianos nullum existere Matrimonium, quod non sit Sacramentum.

Atqui secundum Tridentinum ante consummationem existit Matrimonium. Ergo ante consummationem existit Sacramentum Matrimonii.

742. *Praeterea romani pontifices saepe declararunt ad Matrimonium sufficere solum consensum.* Ita Nicolaus I. in Resp. ad consulta Bulgar. c. 3, postquam descripsit, quo ritu in ecclesia latina Matrimonium celebrari consueverit, ait: „Peccatum autem esse, si haec cuncta in nuptiali foedere non interveniant, non dicimus . . . praesertim cum tanta soleat arctare quosdam rerum inopia, ut ad haec praeparanda nullum his suffragetur auxilium, ac per hoc sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur. Qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, Ioanne Chrysostomo, magno doctore, testante, qui ait: „Matrimonium non facit coitus sed voluntas“ (*Mansi* t. 15, col. 403). Ergo ad Matrimonium solus consensus sufficit et requiritur.

743. Alexander III. (antea magister Rolandus): „Si inter virum et mulierem legitimus consensus interveniat de praesenti, ita quidem ut unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expresse recipiat, utroque dicente: Ego te accipio in meam, et ego te accipio in meum, sive sit iuramentum interpositum sive non, non licet mulieri alii nubere. Et si nupserit, etiamsi carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet et, ut ad primum redeat, ecclesiastica districtione compelli“ (Decr. Greg. l. 4, t. 4, c. 3). Ergo consensus de praesenti, etiam clandestinus (l. c. t. 3, c. 2), inducit impedimentum ligaminis. Atqui mera sponsalia non inducunt hoc impedimentum (l. c. t. 1, c. 31). Ergo consensus de praesenti efficit verum Matrimonium (cf. l. 4, t. 1, c. 9. 22. 25). De Alexandro III. cf. *Gietl* (Die Sentenzen Rolands p. LXII sqq. et 270 sqq.). Alia apud *Friedberg*, *Quinque compilationes antiquae* (Lipsiae 1882) p. 47.

744. Idem concludi debet ex verbis Concilii Trid. (l. 24, De reform. Matrim. c. 1): „Dubitandum non est clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse Matrimonia.“ Ergo ad Matrimonium ratum et verum solus consensus liber requiritur, secus debuit Concilium addere: „et copula secuta“, praesertim cum ea aetate omnes theologi negarent copulam requiri.

Eugenius IV. docet omnia septem Sacramenta perfici verbis tamquam forma (*Denzinger* l. c. 590). De Matrimonio vero in specie ait: „Causa efficiens Matrimonium regulariter [extraordinarie alia signa] est mutuus consensus per verba de praesenti expressus“ (*Denzinger* l. c. 597).

Catechismus Romanus docet: „Praeter consensum, eo, quo dictum est, modo expressum [scilicet per verba de praesenti], ut verum

Matrimonium existat, concubitus necessario non requiri; nam et primos parentes ante peccatum, quo tempore nulla inter eos carnis copula intercesserat, ut Patres testantur, vero Matrimonio iunctos fuisse plane constat. Quare a Sanctis Patribus dictum est Matrimonium non concubitu, sed consensu existere" (P. II, c. 8, n. 8). Rituale Romanum (tit. 1, c. 2) modum contrahendi coram parcho et testibus vocat „ritum celebrandi Matrimonii Sacramentum". Ergo post illum ritum existit Sacramentum.

745. *Arg. 4. Ex auctoritate theologorum.*

Theologi thesin nostram unanimiter proponunt ut plane certam. Petrus Lombardus vocat „errorem", si quis dicat „sine carnali copula non posse contrahi Matrimonium, et inter Mariam et Ioseph non fuisse coniugium vel non fuisse perfectum; quod nefas est sentire" (4, d. 26. Cf. d. 27). Idem omnes theologi in has distinctiones. *S. Thomas* 3, q. 29, a. 2 et Suppl. q. 42, a. 4 et q. 48, a. 1.

Bellarminus: „Omnes [Catholici] in eo conveniunt, quod copula non sit pars essentialis, et propterea Matrimonium totum ac plenum quantum ad partes essentielles inveniatur in contractu per verba de praesenti" (De Matr. c. 5). *Suarez* (In 3, q. 29, disp. 7, sect. 1, n. 5), *Vasquez* (In 3, disp. 125, c. 3 et De Matrim. disp. 2, c. 8, n. 93 sqq., ubi n. 100 dicit: „contrarium sine errore defendi non posse"). Canonistae iam per multa saecula idem docent. Ita *Navarrus* (Manual. c. 22, n. 20), *Covarruvias* (De Matr. P. 2, c. 1, § 1, n. 1), *Schmalzgrueber* (De Sponsal. et Matrim. n. 227. 290). Moralistae item omnes, ut *Lacroix* (l. 6, p. 3, c. 2, n. 225) et *S. Alphonsus* (l. 6, n. 879).

746. Notanda est *practica consequentia huius doctrinae*; nam per multa saecula omnes theologi, nullo contradicente, docuerunt esse peccatum mortale inire contractum matrimonialem in statu peccati, cum in ipso contractu suscipiatur Sacramentum (*S. Alphonsus* l. 6, n. 884). Contra nemo umquam dixit graviter peccare eum, qui in statu peccati primam copulam habeat. Ergo si adversariorum sententia esset vera, per multa saecula tota ecclesia fuisset in practico et gravissimo errore.

Quibus omnibus abundanter probatum videtur per consensum de praesenti perfici contractum et Sacramentum Matrimonii. Pauca tantum dicenda sunt ad argumenta, quae proferuntur pro opposita sententia.

747. *Arg. 5. Ex eo, quod solida argumenta pro contraria opinione afferri non possunt.*

a) SS. Patres eam docuisse falsum est, et contrarium supra probatum.

b) *Hincmarum Rhemensem* docuisse necessitatem copulae ad constituendum perfectum Matrimonium verum est: „Nec habent nuptiae in se Christi et ecclesiae Sacramentum . . . si eas non subsequitur commixtio sexuum" (Epist. 32 ad Rodulf. Bitur.; *M* 126, 137). Ex altera parte docet fuisse verum coniugium inter Mariam et Ioseph. „Propterea consilium Ioseph repente consilio meliore mutatur, ut videlicet ad conservandam Mariae famam ipse eam celebrato nuptiarum coniugio coniugem acciperet, sed castus castam perpetuo custodiret" (l. c. col. 149). Ceterum haec facile componi possunt. Per Christi enim et ecclesiae Sacramentum intellegit perfectam indissolubilitatem, quae non adest ante Matrimonii consummationem. Ex altera parte docet ne copulam quidem sufficere, nisi antea nuptiae fuerint legaliter celebratae. „Quia tunc est vera legitimi coniugii copula, quando inter ingenuos et inter aequales fit, et paterno arbitrio viro mulier iuncta, legitime dotata et publicis nuptiis honestata sexuum commixtione coniungitur. Et tunc habent nuptiae in se Christi et ecclesiae Sacramentum, et tunc pertinere noscitur mulier illa ad Matrimonium, in qua et sexuum commixtio et nuptiale fuisse docetur mysterium" (l. c. col. 137). „Sic et vinculum coniugale, legaliter et nuptialiter celebratum, indissolubiler manet conexum" (l. c. col. 147). Neque vero negat esse verum Matrimonium, quod legaliter tantum est celebratum. Postquam enim citavit verba Augustini: „Quibus vero placuerit, ex consensu ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum abstinere, absit, ut vinculum inter eos coniugale abrumpatur", ait: „Qua de re his edocti testimoniis sacrae auctoritatis, quicumque desponsatas, dotatas, publicis nuptiis honoratas uxores ingenuas vel ob hoc factas ingenuas duxerint, aut in perpetua continentia maneant, aut . . . nuptialiter nubant, si ex consensu continere non poterunt" (l. c. col. 150). Et licet copula secuta non fuerit, sunt tamen Matrimonia legaliter celebrata intrinsecus inseparabilia. „Quoniam, etsi communi consensu continentiam voverint coniuges, tanto obnoxius, quanto spiritualius in Domino iuncti manebunt; quorum coniunctioni ac indivisae separationi nulla simulatio in oculis eius intervenire valebit, qui cordium ac renum scrutator esse dignoscitur" (l. c. col. 151).

Omnino igitur accurate, licet aliis atque hodiernis terminis usus, tradit doctrinam catholicam de dissolubilitate et indissolubilitate Matrimonii rati et Matrimonii consummati. Cf. eiusdem De divortio Lotharii et Tetbergae interrogatio 4 (*M* 125, 648).

748. c) Gratianus docet utrumque et consensum et copulam efficere perfectum coniugium: „Coitus sine voluntate contrahendi Matrimonium et defloratio virginitatis sine pactione coniugali non facit Matrimonium, sed praecedens voluntas contrahendi Matrimonium et coniugalis pactione facit, ut mulier in defloratione suae virginitatis vel in coitu dicatur

nubere viro vel nuptias celebrare" (Dictum in C. 27, q. 2, c. 45). „Sciendum est, quod coniugium in desponsatione initiatur, commixtione perficitur. Unde inter sponsum et sponsam coniugium est, sed initiatum, inter copulatos est coniugium ratum" (l. c. Dictum ad c. 34). Hoc loco Gratianus vocat coniugium ratum illud, quod omnino dissolvi nequit; ergo non eodem modo loquitur, quo postea Conc. Trid., quod docet Matrimonium ratum per professionem religiosam dissolvi posse. Secundum Trid. dicitur ratum illud Matrimonium, quod Gratianus et alii vocant initiatum. Si haec advertas, in illis dictis Gratiani nihil falsi est; solum debuit exactius distinguere inter sponsalia de praesenti et de futuro. Nam si haec distinctio omittitur, necessario confusio oritur, unde Lombardus eam prudenter addidit (4, d. 27), quem posteriores theologi et canonistae secuti sunt (cf. Schmalzgrueber, De Sponsal. et Matrim. n. 3 sqq.). Quando autem gratia infundatur per Sacramentum Matrimonii, Gratianus non dicit diserte. Sed si universaliter verum est, quod docet: „Non datur praesentia Sancti Spiritus tempore, quo coniugales actus geruntur" (Dictum Grat. in C. 32, q. 2, ante c. 4), necessario debet concludere Spiritus Sancti gratiam dari, quando Matrimonium initietur, non quando consummetur.

Cum igitur Gratianus non distinxerit inter verba de praesenti et de futuro, mirum non est, quod quidam ex eius discipulis in errorem inducti sunt, ut putarent etiam per verba de praesenti nondum constitui Matrimonium verum et in ratione efficacis signi gratiae perfectum. Attamen semper bene contextus est inspiciendus, ut diiudicari possit, utrum veteres canonistae loquantur de sponsis, qui postea in iuri erant Matrimonium, an de sponsis, qui Matrimonium iam inierant. Cum enim utrique ante consummationem Matrimonii solerent vocari sponsi, ex hoc nomine solo nihil potest diiudicari. Ita e. g. credendum non est magistrum Rolandum negasse per solum consensum matrimonialem verum perfici Matrimonium, quamvis interdum videatur ita loqui, cum postea Alexander III. factus clare docuerit solo consensu effici verum Matrimonium. Ceterum licet quidam veteres canonistae putaverint ad Matrimonii essentiam requiri copulam, nihil inde efficitur, cum theologi statim contradixerint iisque communis omnium consensus postea accesserit. Illi canonistae errare potuerunt; sed omnes theologos et moralistas per multa saecula errore fuisse deceptos admitti nequit.

749. d) *Rationes internae*, quae adducuntur pro opposita sententia, sunt satis leves.

a) *Dicunt*: Ecclesia semper docuit omne Matrimonium esse absolute indissolubile. Atqui desponsatio per verba de praesenti est dissolubilis. Ergo haec desponsatio non est Matrimonium.

Resp.: *Dist. mai.*: Omne Matrimonium esse intrinsecus indissolubile, *conc. mai.*; esse extrinsecus indissolubile, *nego min.* — *Contra-*

dist. min.: Desponsatio per verba de praesenti facta est dissolubilis intrinsecus, *nego min.*; extrinsecus, *conc. min.* — De hac re postea.

750. β) *Dicunt*: Matrimonium imperfectum est contradictio in adiecto. Atqui solus consensus de praesenti posset matrimonium imperfectum tantum constituere. Ergo consensus solus omnino nullum matrimonium constituit.

Resp.: *Dist. mai.*: Matrimonium imperfectum, i. e. quo non verum ius matrimoniale seu potestas in corpus alterius tradatur, est contradictio in adiecto, *trans. mai.*; matrimonium imperfectum hoc sensu, quod saltem per externam auctoritatem dissolvi possit, est contradictio in adiecto, *nego mai.*; secus matrimonium gentilium etiam consummatum non esset Matrimonium, quia per conversionem unius coniugis ex auctoritate divina solvi potest. — Et *contradist. min.*

751. γ) *Dicunt*: Matrimonium in eo consistit, quod per consensum promittitur. Atqui per consensum promittitur copula. Ergo Matrimonium consistit in copula.

Resp.: *Trans. mai.*, *nego min.*; nam potest consensus matrimonialis esse inter duos, qui sibi promittunt se numquam habituros esse copulam. Consensu enim sibi dant solam permanentem potestatem mutuam in corpora, ita ut, si copulam habeant, haec non sit fornicatio. Sed usus potestatis permanentis essentialiter ab ipsa potestate distinguitur et plane separari potest. Sicut igitur aliquis potest accipere potestatem Ordinis et ea numquam uti, ita potest etiam accipere potestatem in corpus alterius et ea numquam uti. Hoc docent Scholastici, quando dicunt consensum matrimonialem esse in copulam implicite, non explicite. „Non enim debet intellegi, nisi sicut implicite continetur effectus in sua causa, quia potestas carnalis copulae, in quam consentitur, est causa carnalis copulae, sicut potestas utendi re sua est causa usus" (S. Thomas, Suppl. q. 48, a. 1). Idem docent canonistae, ut Covarruvias (De Matrim. c. 3, n. 1).

752. Quod *propositum servandae virginitatis non repugnat contractui matrimoniali*, docet Alexander III., qui interrogatus, quid debeat facere, qui iuravit se cum aliqua contracturum, nunc autem vult religionem ingredi, respondet: „Tutius est ei religione iuramenti servandam prius contrahere et postea, si elegerit, ad religionem migrare, si tamen post desponsationem copula non dignoscitur intervenisse carnalis" (Decret. Greg. I. 4, t. 1, c. 16).

Immo multi theologi censent *votum praeivum et obligationem mutuam continentiae non obesse valori contractus matrimonialis*, quia non obstante hoc voto et hac potestate datur vera potestas ad copulam; et si copula habetur, est quidem peccatum sacrilegii, non vero fornicationis; et proles inde suscepta est legitima. Ergo contractus

habet suum effectum essentialem, et praeterea alia bona Matrimonii non excluduntur; unde dicendum est obligationem servandi castitatem non pugnare cum contractu matrimoniali. Ita docet *Gury-Ballerini* (De Matrim. n. 752, not.), *Palmieri* (De Matrim. th. 3), *Lehmkuhl* (II, 690) cum multis veteribus. Sunt nihilominus, qui contrarium censeant, ut *Sanchez* (l. 5, disp. 10) et alii. Certum est ab ecclesia laudari *S. Pulcheriam*, quae salva, quam Deo voverat, virginitate, conjugem sibi delegit (cf. *Breviar. d. 7. Iulii*).

Nunc autem lege ecclesiastica votum sollemne castitatis impedimentum dirimens Matrimonii est. Ergo cum hoc voto contractus matrimonialis simul stare non potest.

753. *Coroll.* Ergo essentia metaphysica Matrimonii in eo est, quod Matrimonium est Sacramentum efficiens et sanctificans maritalem viri et mulieris coniunctionem, seu breviter: est Sacramentum maritalis coniunctionis, ubi maritalis coniunctio significat aut contractum aut vinculum coniugale, ut supra explicatum est.

SECTIO II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI MATRIMONII.

Prop. LVI. Materia et forma Sacramenti Matrimonii sunt ipsa verba (vel alia signa), quibus consensus exprimitur.

754. 1. *Quidam dixerunt materiam Sacramenti Matrimonii esse verba consensus, formam esse benedictionem sacerdotis.* Ita omnes, qui sequuntur *Cani* doctrinam, prout in secunda Propositione exposita est. Sed hanc doctrinam iam reiecit, ostendendo benedictionem sacerdotalem omnino non esse de essentia Matrimonii. Sacerdos est quidem minister sollemnitatis Matrimonii, sed ipsum contractum, qui est Sacramentum, efficere nequit.

Conc. Trid. (sess. 24, c. 1 de ref. Matr.) docet: „Tametsi dubitandum non est clandestina Matrimonia, contrahentium consensu facta, rata et vera esse Matrimonia, quamdiu ecclesia ea irrita non fecit; et proinde iure damnandi sunt illi, qui ea vera et rata esse negant. . . .“ Matrimonia autem dicuntur clandestina, quae non fiunt coram testibus et sacerdote. Ergo quia Matrimonia per se sunt vera et rata sine sacerdotali benedictione, haec benedictio non est forma.

Quare Concilium eodem loco porro ait: „Parochus, viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium coniungo in nomine Patris . . . vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum.“ Atqui Concilia non solent tali modo formas Sacramentorum arbitrio relinquere. Ergo

haec verba non sunt forma. A fortiori non potest considerari ut forma illa benedictio nuptialis, quae in Matrimoniis viduarum omitenda est. Ideo Concilium non requirit ad valorem Matrimonii haec verba, sed solam praesentiam parochi. „Qui aliter quam praesente parochi . . . contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit“ (cf. *S. Thomas*, Suppl. q. 45, a. 5).

Martène de veteribus Ritualibus ait: „Inaudita quippe apud eos [antiquos] erant illa verba parochi: Ego vos coniungo in nomine Patris etc., in quibus aliqui ex recentioribus Scholasticis formam huius Sacramenti constituunt“ (De antiqu. eccl. rit. l. 1, c. 9, a. 3, n. 6).

755. 2. *Alii docent: „materiam huius Sacramenti esse corpora ipsorum contrahentium non impedita sed legitima, quae per Matrimonium mutuo tradantur, formam autem esse consensum, per verba vel alia signa legitime expressum“* (*Vasquez*, De Matrim. disp. 3, c. 5, n. 53). Hoc probant ex analogia aliorum contractuum, in quibus res, de quibus contrahitur, constituunt materiam, verba vero contractus formam. — Sed haec vera sunt solum, in quantum agitur de materia circa quam, non de materia ex qua. In nullo enim contractu res externa, de qua contrahitur, ipsum contractum intrinsecus constituit, sicut e. g. ager non constituit intrinsecus contractum venditionis.

Itaque dicere licet materiam remotam Matrimonii esse corpora contrahentium vel ius in corpus alterius. Ita *S. Alphonsus* (l. 6, n. 880). Attamen hoc vix intellegendum erit ita, ut corpora contrahentium sint signum efficax gratiae. Neque enim corpora, sed actiones contrahentium gratiam significant et efficiunt.

756. 3. *Alia sententia est consensum esse materiam, formam autem esse verbum Dei sanctificans materiam:* „Propter hoc relinquet homo patrem . . .“, quod verbum semel dictum ita perseverat, ut quodammodo in quolibet Matrimonio rursus dicatur. Ita *Catharinus* in opusc. De Matrim. q. 1. Sufficit hanc sententiam commemorasse, neque enim refutatione indiget, quia Deus quidem Matrimonium instituit, at non ipse administrat; forma autem est signum sensibile positum a ministro humano. Haec sententia nullos asseclas habuit.

757. 4. Itaque his sententiis exclusis nihil remanet, nisi ut ipse consensus contrahentium verbis expressus constituat integrum signum sacramentale. Sed quaeritur, quid in hoc consensu habeat rationem materiae, quid rationem formae. Itaque quarta sententia est consensus internum esse materiam, verba vero, quibus consensus exprimitur, esse formam. Ita *Navarrus* (Manuale c. 22, n. 20). Sed imprimis internus consensus per se est aliquid totum quantum insensibile; materia autem Sacramenti debet esse aliquo modo sensibilis. Deinde

consensus per verba non determinatur ut materia per formam, sed solummodo extrinsecus manifestatur. Ergo *consensus internus non potest rationabiliter dici materia Sacramenti Matrimonii*. Item admitti nequit verba esse materiam, consensum internum esse formam, quia Sacramentum constitui nequit forma plane insensibili.

758. 5. *Quinta et communior sententia docet verba, quibus consensus exprimitur, simul esse materiam et formam sub diverso respectu*. Materia sunt, quatenus expriment traditionem corporum; forma sunt, quatenus expriment acceptationem huius traditionis. Non igitur, ut quidam hanc sententiam explicarunt, verba, quae sunt tempore priora, constituunt materiam, quae vero sunt posteriora, constituunt formam; nam absolute fieri potest, ut vir et mulier simul eodem tempore consensum expriment. Ergo non temporis, sed significationis differentia respicienda est (cf. *Sanchez*, De Matrim. l. 2, disp. 5, n. 5). Hanc sententiam defendunt *Dom. Sotus* (4, d. 25, q. 2, a. 3), *Bellarminus* (De Matrim. c. 6), *Suarez* (De Sacram. in gen. disp. 2, sect. 1), *Tanner* (De Matrim. disp. 8, q. 2, dub. 2, n. 37), multi alii apud *Sanchez* (l. c. n. 6), recentes communiter.

759. *Ratio est, quia, sicut in omni alio contractu, ita in Matrimonio oblatio seu traditio rei est pars determinabilis, acceptio pars determinans; illa est inchoatio contractus, haec consummatio*. Verba: *Accipio te in meum vel in meam* sunt simul et oblatio et acceptatio ex una parte, cui oblatio et acceptatio iisdem verbis expressa ex altera parte respondet respective ut forma et materia. Ita docet *Benedictus XIV.* in Brevi „*Paucis abhinc hebdomadis*“ d. 19. Mart. 1758: „*Legitimus contractus materia insimul et forma est Sacramenti Matrimonii, mutua nempe ac legitima corporum traditio verbis ac nutibus interiorem animi assensum exprimentibus materia, et mutua pariter ac legitima corporum acceptatio forma.*“

760. *Neve dicas verba: Accipio te in meum vel meam, non significare gratiam, ergo non posse efficere gratiam*. Nam *respondetur* non debere materiam et formam naturali vi significare gratiam, sed ex institutione. Sicut autem ex institutione Matrimonium significat unionem Christi cum ecclesia, ita verba, quae Matrimonium efficiunt, significant causam formalem unionis Christi cum ecclesia, i. e. gratiam. Quia autem haec verba proxime et naturaliter significant coniunctionem viri et mulieris et mediante hac gratiam, ideo loco verborum assumi possunt alia signa, quae habent vim idem significandi, ut nutus, lacrimae, ipsum quoque silentium sub certis condicionibus, quamvis per se et ad liceitatem requirantur verba. Similiter copula, maritali affectu habita, potest esse tale signum, ubi Matrimonia clandestina valida sunt; quo in casu copula est verum signum sacramentale, non prae-

cise in quantum est copula, sed in quantum est signum exprimens consensum. Unde *Eugenius IV.* dicit: „*Causa efficiens Matrimonii regulariter est consensus per verba de praesenti expressus*“ (cf. *Palmieri*, De Matrim. p. 89 sqq.).

SECTIO III.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI MATRIMONII.

ART. I.

DE VINCULO INDISSOLUBILI MATRIMONII.

§ 1.

DE INTERNA INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

Prop. LVII. Sacramentum Matrimonii efficit vinculum inter virum et mulierem intrinsecus plane indissolubile.

761. *Nota.* Sacramentum Matrimonii, ut iam dictum est, intelligimus transeuntem actum consensus matrimonialis et quaerimus, quid hic consensus efficiat. Quaedam, quae consensus efficit, postea permanent cum ipso Matrimonio in facto esse eiusque *proprietates* constituunt. Quare haec pars tractatus inscribi potest „*De proprietatibus Matrimonii*“; qua in locutione intellegitur Matrimonium passive sump-tum. Sed cum hic de Sacramento Matrimonii agamus, potius actio illa transiens proxime consideranda est, et ad analogiam aliorum Sacramentorum eius effectus assignandi sunt.

Sunt quidam effectus, qui Matrimonio conveniunt, ut est generatim Sacramentum, i. e. augmentum gratiae sanctificantis et gratiae sacramentales. Nulla potest quoad hos effectus specialis esse difficultas.

762. *Gratia sanctificans infunditur, quando consensus perfectus est, dummodo obex ne adsit*. Sin obex adest, Sacramentum reviviscit, quando obex removetur, quia Sacramentum repeti non potest, et Deus certe non vult coniuges bene dispositos gratis sacramentalibus privare. Quaestio, num hoc Sacramentum per accidens primam gratiam dare possit, eo modo solvenda est, quo supra dictum est in Tractatibus de Confirmatione et de Ordine.

Gratia sacramentalis Matrimonii, ut *S. Bonaventura* bene exponit, opem fert contra triplicem concupiscentiae perversitatem. Concupiscentia enim nec numerum personarum moderatur, quia impudicas mulieres promiscue optat; neque utilitatem, quam natura intendit, sed solam delectationem procurat; ac demum satiata feminas fastidit. Gratia vero sacramentalis adminiculatur, ut vir sua sit contentus et

uxor suo, ut ad debitum finem coniugio utantur, ut ob satietatem et ad fugienda onera a debito coniugali non abhorreant.

763. His igitur suppositis *quaerimus de effectibus Matrimonii quantum ad vinculum coniugale*. Quoad hoc autem vinculum Sacramentum duos effectus habet: prius efficit, ut vir et mulier sint indissolubiliter uniti; secundo, ut uterque coniux manente hoc vinculo ineptus sit ad aliud Matrimonium contrahendum. Itaque prius agemus de indissolubilitate Matrimonii, dein de unitate.

Indissolubilitas duplex est: altera interna, altera externa. Intrinsecus solubilis est contractus, si per eandem causam efficientem, per quam factus est, solvi potest. Matrimonii contractus fit per liberum consensum. Itaque si coniuges libero consensu Matrimonium solvere possent, Matrimonium esset intrinsecus dissolubile. *Extrinsecus* solubilis est contractus, si per causam externam solvi potest, id quod praecipue fit per sententiam eius, qui habet potestatem iudicalem in Matrimonium, sive sententia fertur a lege sive ab homine. Itaque Matrimonium est extrinsecus dissolubile, si Deus lege universali statuit, ut in quibusdam condicionibus Matrimonium sit solutum, vel si ecclesia accepit potestatem in certis condicionibus Matrimonium solvendi.

Itaque imprimis dicimus Matrimonium esse intrinsecus plane indissolubile, ut nullo pacto per solum consensum contrahentium vel per retractationem consensus ex parte alterutrius coniugis solvi possit.

764. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

Dicit apostolus: „Iis, qui Matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus: uxorem a viro non discedere; quodsi discesserit, manere inuuptam aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat“ (1 Cor. 7, 10). „Nam quae sub viro est mulier vivente viro, alligata est legi... Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro“ (Rom. 7, 2. 3). Quod autem valet de muliere, valet etiam de viro. Porro apostolus loquitur de omni Matrimonio Christianorum, nam nullam exceptionem addit.

Praeceptum autem Domini, ad quod provocat, in eo est, quod Christus in suo regno facultatem dimittendi uxorem, quae erat in Lege Vetere, abrogavit et principium posuit: „Quod Deus coniunxit, homo non separet“ (Matth. 19, 6). Atqui Deus coniunxit coniuges christianos; ergo ipsi sua voluntate separationem vinculi facere nequeunt.

765. *Arg. 2. Ex legislatione ecclesiastica.*

Nicolaus I. (Ep. ad Adon. Vien. n. 1): „Requiritis, si dimissa uxore, quam legitime sponsatam quis duxerit, quia nomen malum postmodum ei imposuit, absque decreto generalis synodi, liceat ei aut

aliam accipere contra auctoritatem evangelicam aut illa superstite pro uxore concubinam habere. Quibus nos apostolica auctoritate fulti secundum evangelicam sanctionem omnino resistimus, et nec alius uxoris copulam iis, qui talia agunt, dimissa superstite, habere concedimus, neque concubinam habendi licentiam tribuimus“ (Mansi t. 15, col. 343). Concubina hic intellegitur mulier non aequalis condicionis nec omnibus iuribus uxoris praedita, de qua re postea.

Alexander III.: „Si inter virum...“ (ut supra Prop. LV., Arg. 3). Idem archiepiscopo Senonensi: „Si qui vir et mulier pari consensu contraxerunt Matrimonium, et vir ea incognita aliam duxerit et eam cognoverit, cogendus est secundam dimittere et ad primam redire... cum a prima sine iudicio ecclesiae separari non debeat, postquam cum ea pari voto et consensu Matrimonium contraxit. Sane quamquam mulieri desponsatae et a viro nondum cognitae liceat ad religionem transire, aliam tamen non potest ducere in uxorem.“ Idem: „Si primus vir et mulier ipsa pari consensu de praesenti sese receperint... etiamsi non intercesserit illa [usitata] sollemnitas, nec vir mulierem carnaliter cognoverit, mulier ipsa [quae alii nupserat] primo debet restitui, cum nec potuerit nec debuerit post talem consensum alii nubere“ (Apud Friedberg, Quinque compilationes p. 47).

Innocentius III.: „Sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit coniugii Sacramentum, ut ipsum in coniugibus, illo durante, perduret... Per hanc responsionem quorundam malitiae obviatur, qui in odium coniugum, vel quando sibi invicem displicerent, simularent haeresim, ut ab ipsa, nubentibus coniugibus, resilirent“ (Decret. Gregor. l. 4, t. 19, c. 7).

Ex his apparet Matrimonium Christianorum, quod Sacramento ratificatum est, intrinsecus prorsus indissolubile esse.

766. *Arg. 3. Ex doctrina ecclesiae.*

Conc. Trid. (sess. 24, can. 5—7) docet neque propter haeresim neque propter molestam cohabitationem neque propter affectatam absentiam a coniuge neque propter adulterium solvi posse vinculum Matrimonii (Denzinger l. c. 851 sqq.). Ergo Matrimonium ratum est prorsus indissolubile excepto casu religiosae professionis, quem Concilium ipsum eximit, et pontificiae dispensationis, de qua postea, qui casus pertinent ad dissolubilitatem externam.

Ceterum haec est doctrina catholicis theologis omnino indubitata Matrimonium ratum neque ex parte alterutrius coniugis neque ex mutuo consensu quoad vinculum solvi posse. Audiatur e. g. S. Alphonsus: „Certum est, quod inter Catholicos Matrimonium est indissolubile, ut declaravit Trid. Et hoc per se verum est non solum de Matrimonio consummato, sed etiam de tantum rato“ (l. 6, n. 956). Ideo omnes theologii docent Matrimonium ratum iure divino constituere impedimentum ligaminis, vi cuius coniux altero coniuge vivente

novum Matrimonium valide inire non possit. Hoc autem verum non esset, si coniuges sua voluntate possent solvere vinculum matrimoniale; nam ligamine sublato etiam impedimentum ligaminis aufertur (cf. *Palmieri*, De Matrim. p. 166 sqq.).

767. *Schol. 1.* Utrum interna indissolubilitas Matrimonii rati oriatur ex Sacramento tantum an etiam ex ipso contractu naturali.

Pius IX. damnavit in Syllabo hanc Prop. (LXVII.): „Iure naturae Matrimonii vinculum non est indissolubile“, quae propositio non restringitur ad sola Matrimonia consummata. Ergo omne Matrimonium est naturaliter indissolubile. Eandem doctrinam insinuant verba Christi (Matth. 19, 8) et verba Conc. Trid. (*Denzinger* l. c. 846.) Catechismus Romanus haec docet: „Neque vero Deus Matrimonium tantummodo instituit, verum, ut sancta Trid. Synodus declarat, perpetuum etiam et indissolubilem nodum ei addidit; siquidem Salvator ait: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Quamvis enim Matrimonio, quatenus naturae est officium, conveniat, ut dissolvi non possit, tamen id maxime fit, quatenus est Sacramentum“ (P. 2, c. 8, n. 11).

Ergo aliqua indissolubilitas oritur ex contractu matrimoniali, ut est institutum naturale. Licet enim liberum sit talem contractum inire vel non inire, nihilominus, si quis eum inire vult, nulla relinquitur libertas specificationis quoad essentialia huius contractus; sed necessario ea ratione contractus fieri debet, quam natura intendit; natura autem intendit contractum, vi cuius vir et mulier fiant principium aptum non solum ad generandam, sed etiam ad educandam prolem et constituendam familiam. Atqui talis contractus ex natura sua postulat indissolubilitatem eam, ut non liceat contrahentibus pro arbitrio a contractu resilire. Ergo ut quis accipiat potestatem in corpus alterius, ex lege naturali debet prius de hac re fieri contractus indissolubilis. In ordine enim naturali non copula facit Matrimonium indissolubile, sed contractus; vis autem copulae reddendi Matrimonium plane indissolubile est ordinis supernaturalis et competit copulae propter specialem significationem, quam Deus ei indidit. In ordine vero naturali copula, ut licite fiat, supponit iam totam indissolubilitatem, quae Matrimonio propria est, quamvis post copulam ob rationem prolis susceptae vel alias rationes naturales aequitas postulet, ut eo minus uxor dimittatur; sed hoc non est ratione copulae qua talis.

768. Est autem bene notandum nos eam tantum indissolubilitatem naturali contractui matrimoniali asserere, ut non pro arbitrio contrahentium solvi possit, sicut multi alii contractus solvi possunt. Alia autem quaestio est, num ipsa lex naturalis quasdam rationes assignaverit, ob quas licite solvi possit contractus matrimonialis. Hoc enim magni theologi affirmant. Ita Bellarminus: „Si consideres Matrimonium ut officium naturae ad propagandam sobolem, aegre potest

reddi ratio, cur ob sterilitatem coniugis non liceat eam dimittere aut aliam ducere. Si consideres, ut est in remedium contra fornicationem institutum, cur non poterit uxor perpetuo morbo laborans dimitti? aut cur non poterit alia duci? Quare habet quidem Matrimonium ex iure naturae quandam indissolubilitatem, ut S. Thomas docet in 4, d. 33, q. 2, a. 1, non tamen tantam, quin aliquando ratio dictet expedire, ut solvatur, accedente praesertim dispensatione divina“ (De Matrim. c. 4). Idem docent *Sanchez* (De Matrim. l. 2, disp. 13, n. 4) et alii. Hi igitur theologi concedunt ex iure naturali numquam posse Matrimonium solo contrahentium placito solvi; sed simul docent naturale rationis lumen assignare quasdam speciales rationes, ob quas Matrimonium solvere liceat.

769. At potius placet sententia S. Thomae nullas tales rationes existere. Nam „Matrimonium principaliter ordinatur ad bonum commune ratione principalis finis, qui est bonum prolis; quamvis etiam ratione finis secundarii ordinatur ad bonum personae Matrimonium contrahentis, prout est in remedium concupiscentiae. Et ideo in legibus Matrimonii magis attenditur, quid omnibus expediat, quam quid uni competere possit. Quamvis ergo Matrimonii inseparabilitas impediatur bonum prolis in aliquo homine [propter sterilitatem], tamen est conveniens ad bonum prolis simpliciter“ (Suppl. q. 67, a. 1). Nam si in hac re hominum libidini aliqualis libertas permissa esset, gravissima inde mala orirentur, quia sagacitati libidinosae non deforent viae detegendi vel adducendi eas circumstantias, in quibus Matrimonii solutio rationabilis esse videretur. Quia autem in ordine naturali consummatio Matrimonii per se non auget indissolubilitatem eius, haec indissolubilitas in contractu ipso matrimoniali iam perfecta esse debet. Hanc doctrinam cum S. Thoma (cf. *Contra gent.* 3, 123) communis sententia theologorum defendit, e. g. *Dom. Sotus* (In 4, d. 33, q. 2, a. 1), *Tanner* (De Matrim. disp. 8, q. 5, dub. 1, n. 1), *S. Alphonsus* (l. 6, n. 956).

770. Consequens est, ut Matrimonium legitimum nullo iure mere humano solvi possit, ne per ipsam quidem auctoritatem publicam. Haec enim nullum titulum exhibere potest, quo sibi eiusmodi dissolutionem efficiendi facultas concessa sit. Immo quia auctoritas publica ad hoc instituta est, ut bono publico provideat, bono autem publico magis provisum sit per omnimodam indissolubilitatem Matrimonii, auctoritas mere humana Matrimonium solvere nequit. Ideo damnata est Prop. LXVII. Syllabi: „In variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.“ Pius VI. in Ep. ad episc. Agriens. 11. Iuli 1789: „Manifeste patet Matrimonium in ipso statu naturae ac sane ante multo, quam ad proprie dicti Sacramenti dignitatem proveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum indissolubilemque nexum, qui proinde nulla lege civili solvi queat“ (*Roskovány*, De

Matrim. t. 1, p. 291). Rerum quoque eventus saepe ostendit, quanto opere leges humanae divortii faventes naturali legi et rectae rationi repugnent, ut ait Leo XIII. in Encycl. „Arcanum div. sap.“ d. 10. Febr. 1880: „Simulac iter divortii tutum lege praestari coepit, dissidia, similitates, secessiones plurimum crevere; et tanta est vivendi turpitudine consecuta, ut eos ipsos, qui fuerant talium discessionum defensores, facti paenituerit, qui nisi contraria lege remedium mature quaesissent, timendum erat, ne praeceptum in suam ipsa perniciem respublica dilaberetur. . . . Apud Protestantes principio quidem lege sanxerunt, ut divortia fieri liceret certis de causis, iisque non sane multis; ista tamen propter rerum similitudinem affinitatem compertum est in tantam multitudinem excrevisse apud Germanos, Americanos aliosque, ut, qui non stulte sapuissent, magnopere defendendam putarint infinitam morum depravationem atque temeritatem. . . . Nam scelus plurimorum fuit, ad omnem malitiam fraudemque versare mentem, ac per saevitiam adhibitam, per iniurias, per adulteria fingere causas ad illud impune dissolvendum, cuius pertaesum esset, coniunctionis maritalis vinculum, idque cum tanto publicae honestatis detrimento, ut operam emendandis legibus quam primum dari omnes iudicaverint oportere“ (*Katholik* [1880] I, 239 sqq.). Quia igitur hac in re aut nihil concedendum aut omnia periculo exponenda sunt, nullae apparent probabiles rationes, ob quas auctoritati mere humanae ulla umquam Matrimonia dissolvendi potestas concedenda videatur. Itaque etiam hic tenendum est illud principium auctoritatem publicam mere humanam non posse dispensare in praeceptis legis naturalis.

771. Quaeritur autem, *possitne Deus sua auctoritate Matrimonium solvere*. Quae quaestio dirimenda est ex illo axioma Deum non posse dispensare in praeceptis primariis legis naturalis, posse vero in secundariis. *Primaria praecepta* legis sunt ea, quorum contrarium habet innatam turpitudinem. Tale praeceptum est amor Dei et proximi, ideoque Deus non potest permittere, ut quis odio habeat Deum et proximum. *Secundaria praecepta* sunt, quorum contrarium est ita inhonestum, ut haec inhonestas per auctoritatem Dei tolli possit. Ita inhonestum est aliena auferre; sed si Deus hoc alicui permittit, non est inhonestum, quia Deus, omnium rerum supremus Dominus, potest de suis libere disponere. Quae duae classes praeceptorum sic distingui possunt: Praecepta, quae continent ipsam conservationem boni communis, sunt primaria; praecepta autem, quae continent speciales tantum modos non absolute necessarios conservandi bonum commune, sunt secundaria. Ita primum praeceptum est non licere sine speciali ratione ex solo consensu Matrimonium solvere, quia talis licentia destrueret bonum commune nec quicquam esset nisi permissio vagi concubitus (*Palmieri*, De Matrim. p. 126). Unde Deus numquam dare potest hanc generalem licentiam.

Sed secundarium praeceptum est, quo interdicitur, ne in certis quidem casibus, ubi adsunt speciales rationes, Matrimonium solvatur. Si enim ob speciales rationes Deus dispensaret, non fieret praeiudicium bono communi, quia ipse pro sua sapientia potest providere, ne ex hac dispensatione bonum commune detrimentum capiat. Ergo hac in re plus potest auctoritas divina quam auctoritas humana, quia haec utpote ministerialis servare debet leges naturales, quibus Deus suam supremam voluntatem manifestavit, Deus vero ipse eatenus dispensare potest, quatenus dispensatio non est contra ipsam conservationem boni communis (cf. *S. Thom.* 1, 2, q. 100, a. 8, ubi correxit doctrinam traditam in 4, d. 33, q. 2, a. 7).

772. *Reapse Deus concessit talem dispensationem in Vetere Testamento, permittendo libellum repudii*: „Si acceperit homo uxorem et habuerit eam et non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii et dabit in manu illius et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam dederitque ei libellum repudii et dimiserit de domo sua vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino“ (*Deuter.* 24, 1 sqq.).

Sunt quidem theologi, qui censeant libello repudii non fuisse solum vinculum coniugale. Ita *S. Bonaventura, Sotus, Estius, Sylvius*, alii. Immo nonnulli putant in illa lege nullam contineri licentiam dimittendi uxorem, sed hanc praxim solum civiliter toleratam et a poena immunem fuisse; et ita, qui dimittebant uxores, excusabantur a poena, non a peccato. Hanc sententiam dicit *S. Thomas* sua aetate fuisse communiorem (*Suppl.* q. 67, a. 3).

Verum haec sententia non videtur admittenda, nam Christus expresse dicit: „Moses permisit (*ἐπέτρεψεν*) dimittere uxores“ (*Matth.* 19, 8). Porro si dimittere uxores cum libello repudii fuisset peccatum, hoc debuit Iudaeis indicari, ut recte docet *S. Thomas* (l. c.), „alias viderentur nimis neglecti, si ea, quae necessaria sunt ad salutem, quae non cognoscebant, numquam iis nuntiata fuissent“. Immo Moyses suo loquendi modo evidenter induxit Iudaeos ad opinandum libellum repudii esse licitum. *Si quis obicere vellet*, quod Dominus ipse dixit: „Ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores suas“ (*Matth.* 19, 8); ergo dimissio uxoris erat actus duritiae cordis seu peccatum: *respondendum est* ipsam quidem duritiam cordis non excusare a peccato, sed dispensationem, quam Deus dedit propter duritiam cordis, excusare a peccato. Si enim Deus lege data aliquam actionem permittit, haec actio saltem ex hac positiva permissione Dei debet esse licita. Attamen quod Deus dicitur hanc licentiam dedisse ad „duritiam cordis Iudaeorum“, satis ostendit per se hanc rem Deo non placuisse, id quod etiam propheta indicat: „Cum odio habu-

eris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel; operiet autem iniquitas vestimentum eius, dicit Dominus exercituum" (Malach. 2, 16), sed cum Iudaei iam induxissent morem uxores dimittendi, Deus, ne haec agendi ratio in effrenatam licentiam et levitatem excresceret, lege modum apposuit et rem difficiliorem reddidit. Debebant enim, qui uxores dimittere volebant, varias condiciones implere et formalitates observare, quo fiebat, ut iam ipsa mora intercedente haberent tempus resipiscendi, si forte caeca passione abducebantur. Moyses proxime dedit praeceptum dandi libellum repudii, si quis vellet uxorem dimittere (Marc. 10, 3. 5; cf. Matth. 5, 31); eo ipso vero etiam dedit licentiam servatis condicionibus praescriptis dimittendi uxorem. Quae autem fuerint hae condiciones, Moyses non indicat, sed potius Iudaeis notas supponit. Si posterioribus Iudaeis credimus, erant satis molestae et implicatae (cf. *Calmet*, In Deuter. 24, 3).

773. *Rationem, ob quam uxorem dimittere licebat*, Moyses valde indeterminate significat. „Quia invenit in ea aliquam foeditatem“ קָרַח, חֲרָהּ, ἄσκησον παράνα. Hic quoque supponendum est rem Iudaeis fuisse notam. Posterioribus temporibus de sensu huius termini multum disputabatur. Schola Hillel dicebat esse quamlibet rem marito displicentem, ut si uxor dapes negligenter praeparasset; schola Shammai volebat esse rem impudicam, lascivam. Certum est Moysen non dedisse licentiam dimittendi uxorem ob quamlibet causam, quia hoc est contra essentiam Matrimonii; probabile est illam „foeditatem“ intellegendam esse actionem inhonestam contra fidem Matrimonii (cf. *Palmieri*, De Matrim. p. 163 sq.). Accuratius haec res definiri non potest.

774. His suppositis dicimus cum sententia hodie communi *per libellum repudii vere solutum fuisse vinculum coniugale*. Nam: a) Scriptura supponit posse dimissam ab alio duci, quod impossibile fuisset, non soluto priore vinculo. b) Non possumus admittere mulierem adeo fuisse peioris condicionis quam virum, ut ipsa dimissa ad perpetuum caelibatum obligata fuerit. c) Mulier, si alii nupserit, post eius mortem vetatur ad priorem virum redire, id quod non intellegeretur, si etiam-tum eius coniux fuisset. Poterat autem alii tertio nubere, sed certe lex noluit permittere nova adulteria. Dicitur quidem polluta talis mulier; attamen ita vocatur maxime per respectum ad primum virum, a quo reiecta erat et ad quem redire non debebat, ne scil. simplex permutatio mulierum fieret; dein vero aliqua inhonestas in eo est, quod receditur a primitiva puritate Matrimonii (cf. *Palmieri* p. 131 sq.). Probabile autem est, ex quo tempore Iudaei habebant licentiam uxores dimittendi, eandem licentiam etiam gentilibus concessam fuisse; vix enim credibile videtur hos, non obstante exemplo Iudaeorum, fuisse obligatos ad maiorem sanctitatem quam ipsum populum electum.

Porro Christus, cum institueret Sacramentum Matrimonii, omnem internam dissolubilitatem Matrimonii plane abstulit, idque quia vinculum gratiae debet fortius esse quam solum vinculum naturae. Praeterea voluit, ut Sacramentum simul cum consummatione redderet Matrimonium etiam extrinsecus indissolubile, ut mox videbimus.

775. *Schol. 2. De obligationibus, quae ex vinculo coniugali oriuntur.*

Quia per Matrimonium sibi ius tradunt in corpora, ideo, ne hoc ius effectum frustretur, obligantur coniuges ad cohabitandum et ad debitum matrimoniale reddendum, ex quo fit, ut mulier virum sequi, vir autem uxorem secum ducere teneatur, si agitur de longiore itinere, et si res sine nimio incommodo fieri potest.

His obligationibus opponitur separatio a toro et a mensa seu cohabitatione, quam separationem, secluso periculo peccandi et scandalo, coniuges mutuo consensu efficere possunt. Ut vero unus coniux contra alterum habeat ius separationis perpetuae, debet altera pars aut commisisse adulterium aut incidisse in haeresim sententia iudicis probatam. Possunt esse aliae quoque causae, quae vel ius tribuunt separationis ad tempus, vel a iudice ecclesiastico admittuntur ut rationes decernendae separationis perpetuae.

Sed de his rebus et de aliis effectibus Matrimonii ut de legitimitate prolis, de communionem bonorum etc. alibi agitur.

Prop. LVIII. Ne ob adulterium quidem alterius coniugis coniux vinculum matrimoniale solvere potest.

776. *Nota.* Haec thesis est specialis tantum applicatio thesisi praecedentis, qua probavimus omne Matrimonium Christianorum intrinsecus simpliciter esse indissolubile. Quia autem multi putant ab hac generali regula eximendam esse causam adulterii, haec res in specie consideranda est. Non quaerimus, num per adulterium eo ipso solvatur Matrimonium; hoc enim nemo docet, sed quaerimus, num coniux partem adulteram ita dimittere possit, ut solvatur a vinculo et novum Matrimonium contrahendi facultatem habeat.

Protestantes omnes docent ob adulterium Matrimonium solvi posse. Ita Lutherus saepe¹. Immo Calvinus inter leges, quibus pontifices „tyrannidem suam firmarunt“, enumerat hanc: „Ne viro, qui adulteram repudiaverit, alteram inducere liceat“ (Inst. l. 4, c. 19, n. 37). Praeter adulterium Protestantes alias quoque rationes excogitarunt, ob quas Matrimonium solvere liceat (cf. *Bellarm.*, De Matrim. c. 15).

¹ „Ich kann und mag nicht wehren, wo ein gemahl die Ehe bricht und kann beweiset werden öffentlich, dass das ander theil frey sei und sich scheiden müge und mit einem andern verhelichen“ (Von Ehesachen a. 1530. „Das ander theil“ mox ab initio).

Graeci non solum schismatici, sed partim etiam catholici (cf. *Sardagna*, De Matrim. n. 395) ob adulterium vinculum Matrimonii solvi posse docent. Idem plurimi alii Orientales (*Denzinger*, Rit. Orient. I, 165).

E theologis catholicis Caietanus, Catharinus, Launoy, alii in hac re errarunt, qui putarunt ab indissolubilitate Matrimonii a Christo excipi causam fornicationis.

777. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

Christus Dominus apud Marc. 10, 11 et apud Luc. 16, 18 nulla addita exceptione docet Matrimonium Christianorum non posse per dimissionem uxoris solvi, sed omnem hac in re potestatem antea concessam plane sublatam esse. Idem docet S. Paulus 1 Cor. 7, 10 et Rom. 7, 2. 3, qui etiam diserte addit mulierem debere manere in nuptam, etiamsi ex iusta causa a viro discesserit. Atqui haec doctrina non esset vera, si excipiendus esset casus adulterii. Ergo hic casus non excipitur.

Quia nihilominus coniux a coniuge adultero quoad torum et mensam separari potest et interdum debet, propterea Christus apud Matth. 19, 9 addit: „nisi ob fornicationem, *μη ἐπὶ πορνείᾳ, παρ' ἐξὸς λόγου πορνείας*“. Ex his verbis concluderunt Graeci et alii in casu adulterii non solum dimitti posse uxorem, id quod est verissimum, sed per dimissionem etiam solvi vinculum coniugale, ita ut novum Matrimonium iniri possit. — At hoc admitti nequit. Nam:

778. a) Alii evangelistae et apostolus Paulus simpliciter dicunt: „Omnis, qui dimittit uxorem et alteram ducit, moechatur.“ Sed si esset exceptio addenda: nisi in casu adulterii, per omissionem huius commatis sacri scriptores lectores in errorem induxissent. Ergo illud membrum „nisi ob fornicationem“ apud Matth. indicat rationem separationis a toro et cohabitatione, non vero solutionis vinculi coniugalis. Ita S. Hieronymus in h. l. (*M* 29, 556): „Sic priorem dimittere iubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat.“¹

¹ „Der Zusatz *μη ἐπὶ πορνείᾳ* ist wegen der vielen Varianten verdächtig und von Berlepsch und Keim geradezu weggelassen worden, ist aber doch zu gut bezeugt. . . . Fast alle Väter sind dafür, dass in diesem Fall die Frau entlassen werden dürfe, aber auch ebenso dafür, dass eine Wiederverheiratung dem Ehebruch gleichkomme. Ausserdem aber ist dies eine so nothwendige Folge aus der ganzen Beweisführung, dass Keim deshalb *μη ἐπὶ πορνείᾳ* verwirft, auch sogar einen Widerspruch zwischen Jesus und Moses annimmt. Da aber die Textgestalt nicht bestritten werden kann, so folgt eben daraus, dass *μη ἐπὶ πορνείᾳ* anders zu interpretiren ist“ (Schanz). Illud incisum *μη ἐπὶ πορνείᾳ* ut genuinum defendit Palmieri (De Matr. p. 170 sqq.) et ante eum Perrone (De Matr. l. 3, p. 162). Recentiores critici eam lectionem omnes ut genuinam admittunt.

779. b) Ipse contextus apud Matthaeum postulat, ut istud incisum *μη ἐπὶ πορνείᾳ* intellegatur de sola dimissione sine solutione vinculi. Nam Pharisei „tentantes“ interrogaverunt Christum de solutione Matrimonii. Cum enim disputatio inter eos esset, num liceret vinculum Matrimonii solvere ob omnem causam an ob adulterium tantum, putabant Christum responso suo necessario offensurum esse aut unam aut alteram partem. Christus autem negat ob ullam causam in futurum licitum esse uxorem dimittere, et docet potius abrogandam esse omnem licentiam a Moyse datam. Cum autem a Moyse data esset licentia ob impudicitiam dimittendi uxorem, necessario verba Christi ita intellegenda sunt, ut haec licentia in posterum sublata et indissolubilitas Matrimonii ad paradisiacum statum reducta sit.

780. c) Cum in Vetere Testamento adulterium morte puniretur (Lev. 20, 10), in Novo vero Testamento haec poena sublata sit, si Christus permisisset ob adulterium solvere Matrimonium et aliud inire, non solum in Novo Testamento sanctitas Matrimonii minus servata esset quam in Vetere, sed etiam magnum motivum datum fuisset committendi adulterium iis coniugibus, qui cuperent ad aliud Matrimonium transire. Immo cum uxor ob aliam causam a viro separata fuisset peioris condicionis quam adultera, simplicissimum remedium huius incommoditatis multis visum esset adulterium, et ita haec causa solutionis fuisset instar multorum, immo omnium, quia sufficeret cuilibet alii causae addere adulterium. Sed talis lex sapientissimo et sanctissimo legislatori tribuenda non est.

781. d) Christum intellexisse hanc perfectam indissolubilitatem Matrimonii ostendit etiam magna admiratio apostolorum: „Si ita est causa hominis cum uxore [ut in nullo omnino casu eam possit dimittere], non expedit nubere“ (Matth. 19, 10).

Ergo Christus docet: Qui eicit uxorem iniuste, facit eam moechari (Matth. 5, 32), quia inducit eam in periculum adulterii; excipitur autem causa adulterii, quia uxor, si adulterium commisit, iuste dimittitur; si vero occasione huius dimissionis moechari incipit, non imputatur coniugi dimittenti, quippe qui usus sit iure suo. Apud Matth. vero 19, 9 illa verba „nisi ob fornicationem“ referuntur quidem ad illud incisum „qui dimiserit uxorem“, non vero ad illud „qui alteram duxerit“. Quod autem Christus solam fornicationem causam esse dicit separationis a toro et cohabitatione, hoc ideo est, quia haec est unica causa interna et absoluta huius separationis, aliae autem causae cessare possunt et ideo non dant ius absolutum et perpetuum separationis neque sunt Matrimonio internae et propriae.

Alias explicationes huius textus vide apud Bellarm. (De Matrim. c. 16), Patrizi (De interpret. Script. l. 1, c. 7), Perrone (De Matrim. III, 178), Dollinger (Christenthum und Kirche p. 392. 458), „Katholik“

(1871, p. 578). Sunt eae fere explicationes, quas reicit *Palmieri* (De Matrim. p. 178 sqq.). Cf. *Knabenbauer* in Matth. II, 139 sqq.

782. Arg. 2. Ex SS. Patribus.

De dimittenda uxore adultera *Hermas* haec docet: „Quid ... si uxor permanserit in hac libidine? Dimittat illam, inquit, et vir maneat secum, sin vero uxore dimissa aliam duxerit, et ipse adulterium committit“ (Mand. IV, 6; *F* 1, 395).

Justinus M.: „Qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur. Quemadmodum etiam ii, qui ex lege humana duplex matrimonium ineunt, ita et qui mulierem adspiciunt ad concupiscendam eam, peccatores sunt apud Magistrum nostrum“ (Apol. c. 1, n. 15; *M* 6, 350).

Tertullianus volens contra Catholicos ostendere mortuo coniuge non licere alii nubere, ex eorum principio procedit repudiatam manere vinculo ligatam. „Itaque sine causa dices Deum vivo marito nolle repudiatam alii viro iungi, quasi mortuo velit.“ Et in fine capituli ait: „Ethnici etiam non repudiantes adulteria commiscunt, nobis, etsi repudiemus, ne nubere quidem licet“ (De Monog. c. 9; *M* 2, 740. Cf. De patient. c. 12; *M* 1, 1267. Contra Marc. c. 4, n. 34; *M* 2, 441).

Clemens Alex.: „Quod autem consulit Scriptura uxorem ducere, et nec a coniugio umquam permittit discedere, legem aperte statuit: Non dimittes uxorem praeterquam propter fornicationem. Adulterium autem existimat coniungi Matrimonio, vivo altero ex separatis. . . . Qui autem dimissam accipit uxorem, moechatur, inquit“ (Strom. I. 2, c. 23; *M* 8, 1095).

Origenes: „Contra Scripturae legem, vivente viro, nubere quidam ecclesiae rectores permiserunt, agentes contra id, quod scriptum est: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; et contra illud: Igitur vivente viro mulier vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; non omnino tamen permiserunt sine ratione; haec enim contra legem ab initio latam et scriptam ad vitanda peiora, alieno arbitrio morem gerentes eos permisisse verisimile est.“ Vituperat igitur episcopos, qui ob maiora mala vitanda legi civili divortium permittenti morem gerendum putaverant. Dein proponit obiectionem: „Dicit fortasse iudaicus quispiam vir Iesum ipsum, cum dixit: omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, repudiandae uxoris potestatem fecisse haud secus ac Moysen.“ Occasione huius obiectionis prius affert varias rationes, ob quas liceat uxorem dimittere; dein in fine addit: „Quemadmodum autem adultera est uxor [dimissa], etiamsi viro alteri nupta videatur, priore etiamnum vivo, etiam et virum repudiatam duxisse visum, non tam ipsius maritum quam adulterum esse a Servatore nostro demonstratum est“ (t. 14 in Matth. n. 23; *M* 13, 1246). Mirum est, quomodo hi textus pro contraria sententia afferri potuerint.

S. Basilius: „Quod non licet viro, uxore dimissa, aliam ducere; nec fas est repudiatam a marito ab alio duci uxorem“ (Reg. 73, c. 2; *M* 31, 851). „Quae a marito relicta est, in ea quidem sententia manere debet. Si enim Dominus dixit: Si quis relinquat uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, ex eo quod eam adulteram vocet, praecluserit ei coniunctionem cum alio. Quomodo enim posset vir quidem esse reus ut adulterii causa, mulier vero inculcata, quae adultera a Domino ob coniunctionem cum alio appellata est?“ (Epist. can. 2 ad Amphilocho. 199, can. 48; *M* 32, 731). In Epistula quidem can. 1, can. 9 (Ep. 188; *M* 32, 678) dicit, cum leges civiles marito permittant, uxore dimissa, alteram ducere, eum, qui ita agat, ex consuetudine non appellari adulterum et venia dignum neque poenis adulterii subiciendum esse. Per haec autem *S. Doctor* nequaquam approbat consuetudinem legi Christi contrariam.

S. Ioan. Chrysostomus de libello repudii specialem sermonem (*M* 51, 218) habuit, in quo mox post initium ait: „Igitur quaenam est illa lex, quam nobis Paulus posuit? Mulier, inquit, alligata est legi. Oportet igitur, ut minime separetur vivente viro neque alium superinducat maritum neque secundas nuptias adeat. Et vide, quanta cum diligentia verborum usus sit proprietate. Non enim dixit: cohabitare viro, quoad vixerit, sed: mulier alligata est legi, quanto tempore vixerit vir illius; atque adeo etiamsi libellum repudii det, etiamsi domum relinquat, etiamsi ad alium abeat, legi adstricta adulteraque est. . . . Ne mihi leges ab exteris [a potestate civili] conditas legas, praecipientes dari libellum repudii et divelli. Neque enim iuxta illas iudicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit.“

S. Hieronymus (Ep. 55 ad Amand. n. 3; *M* 22, 562): „Omnes causationes apostolus amputans apertissime definivit, vivente viro, adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. . . . Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus eius reputatur, cui alterum virum accipere non licet“ (cf. Ep. 77 ad Ocean. I. c. 690).

S. Ambrosius: „Audi, quid dixerit Dominus: Qui dimittit mulierem, facit eam moechari. Etenim, cui non licet, vivente viro, mutare coniugium, potest obrepere libido peccandi. . . . Dimittis ergo uxorem quasi iure, sine crimine, et putas tibi id licere, quia lex humana non prohibet; sed divina prohibet. Qui hominibus obsequeris, Deum verere. . . . Sed fortasse dicit aliquis: Quomodo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere uxorem? Qui hoc dicit, Iudaus est. Qui hoc dicit, Christianus non est. . . .“ (In Luc. I. 8, c. 5, n. 2 sqq.; *M* 15, 1765. Cf. De Abraham I. 1, c. 4. 7; *M* 14, 428. 442).

S. Augustinus: „Quemadmodum igitur, si dixerimus: Qui cumque mulierem a marito praeter causam fornicationis dimissam

duxerit, moechatur: procul dubio verum dicimus; nec tamen ideo illum, qui propter causam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque moechos esse minime dubitamus; ita eum, qui praeter causam fornicationis uxorem dimiserit et aliam duxerit, moechum pronuntiamus; nec ideo tamen eum, qui propter causam fornicationis dimiserit et aliam duxerit, ab huius peccati labe defendimus. Ambos enim, licet alterum altero gravius, moechos tamen esse cognoscimus. . . . Sed si hoc evangelista Matthaeus, quia expressa una specie, alteram tacuit, facit ad intellegendum difficile, numquid non alii generaliter id ipsum ita complexi sunt, ut de utroque posset intellegi. . . . Qui ergo nos sumus, ut dicamus, est, qui moechatur uxore sua dimissa alteram ducens, et est, qui hoc faciens non moechatur, cum evangelium dicat omnem moechari, qui hoc facit! (De adult. coni. l. 1, c. 9; *M* 40, 455 et saepe in eodem libro.)

Plura apud *Perrone*, qui dicta SS. Patrum de hac re diligenter collegit (De Matrim. III, 243 sqq.).

783. *Arg. 3.* Ex definitionibus ecclesiae.

Multa Concilia inde a primis saeculis doctrinam nostram sanxerunt:

Conc. Eliberitanum (a. 313) can. 9: „Fidelis femina, quae adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur, ne ducat; si autem duxerit, non prius accipiat Communionem, nisi, quem reliquerit, prius de saeculo exierit, nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit.“

Conc. Milevitanum II. (a. 418) c. 17: „Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore neque dimissa a marito alteri coniungantur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quodsi contempserint, ad paenitentiam redigantur.“ Idem Conc. Arelat. I. (a. 349) c. 10, Conc. Herford. (a. 672) c. 10, Foroiuliense (a. 791), Parisiense VI. (a. 829) l. 3, c. 2, Nannetense (a. 895) c. 12, Bituricense (a. 1001) c. 16.

Eugenius IV. in Decr. pro Arm.: „Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum sit“ (Denzinger l. c. 597).

Eadem est doctrina iuris canonici l. 4, t. 19. Cf. Decret. Grat. causa 32, q. 7. Quodsi interdum ecclesiastici scriptores vel etiam Concilia mitius de viro quam de muliere loquuntur, hoc ideo est, quia leges civiles permittebant viro, dimissa uxore, alteram ducere; quodsi fiebat, ecclesiae vix quicquam reliquum erat, nisi ut fideles a tali flagitio monitis et consiliis abducere conaretur.

784. Conc. Trid. sess. 24, can. 7 docet: „S. q. d. ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum Matrimonii vinculum non

posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud Matrimonium contrahere moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit; A. S.“ (Denzinger l. c. 853).

Quo canone directe solum damnatur, qui docet ecclesiam in sua de Matrimonii indissolubilitate doctrina errasse, indirecte autem declaratur dogma fidei: Matrimonium ne in casu quidem adulterii solvi posse. Voluit quidem Concilium antea hanc alteram rem directe definire. At resistebant oratores reipublicae Venetae, quod ita anathemate afficerentur Graeci, qui contrariam praxim sequerentur, sed nequaquam oppositam doctrinam ecclesiae romanae damnarent. Ne igitur Graeci nimis irritarentur, canon in praesentem formam mutatus est. Quod autem *Launoy* dicit hunc canonem non esse dogmaticum, sed pertinere ad mutabilem disciplinam, refutatione non indiget. Porro ecclesia quoad formam proponendi doctrinam pepercit quidem Graecis, sed eorum praxim erroneam numquam permisit. Nam Conc. Lugdunense II. unicam causam solutionis vinculi Matrimonialis assignavit mortem coniugis (Denzinger l. c. 388).

Clemens VIII. in Instructione de ritibus Graecorum praecepit episcopis latinis, in quorum dioecesibus essent Graeci, ne ullo modo permetterent, ut divortia quoad vinculum a Graecis attentarentur. In professione fidei Orientalibus ab Urbano VIII. et a Benedicto XIV. praescripta haec habentur: „Item Sacramenti Matrimonii vinculum indissolubile esse et, quamvis propter adulterium, haeresim aut alias causas possit inter coniuges tori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud Matrimonium contrahere fas esse“ (Denzinger l. c. 878).

De ortu erroneae praxis Graecorum cf. *Perrone*, De Matrim. III, 389 sqq.

§ 2.

DE EXTERNA INDISSOLUBILITATE ET DISSOLUBILITATE MATRIMONII.

Prop. LIX. Matrimonium infidelium, etiam consummatum, solvi potest quoad vinculum, quando, altero coniuge manente in infidelitate, alter ad fidem convertitur.

785. Postquam de indissolubilitate interna Matrimonii diximus, videndum est, num et quando Matrimonium sit extrinsecus dissolubile aut indissolubile. Hic igitur non iam quaerimus, num coniuges sua voluntate possint Matrimonium solvere, sed num Deus vel legem tulerit, qua in tali vel tali casu Matrimonium ipso facto dissolvatur, vel auctoritati ecclesiasticae dederit potestatem, Matrimonium in certis condicionibus solvendi.

Incipiemus ab iis Matrimoniis, quae magis sunt dissolubilia, et procedemus ad ea, quae minus sunt dissolubilia.

Imprimis agendum est de matrimonio infidelium. Quamvis enim infideles directe non subsint legibus regni Christi, fieri tamen potest, ut etiam infidelis indirecte his legibus afficiatur, quando scilicet coniux eius ad fidem convertitur. Huic enim converso concessum est privilegium, ut vinculum, quo cum infideli ligatur, positis certis condicionibus, solvatur, non quasi solutio pendeat ab eius voluntate, sed quatenus, si novum Matrimonium post Baptismum init, prius matrimonium eo ipso solvitur. Ergo a) *matrimonium in hoc casu non solvitur ipso Baptismo, cum per Sacramentum Baptismi non solvantur coniugia, sed crimina dimittantur*, ut ait Innocentius III. (*Denzinger* l. c. 352). b) *Non sufficit, ut conversus maneat caelebs, sed debet alterum Matrimonium inire*; quod nisi fecerit, priusquam coniux infidelis etiam convertatur, stat prius matrimonium et coniuges ad se redire debent. c) Ideo quamdiu coniux ad fidem conversus non duxit alteram uxorem, coniux infidelis non magis novum matrimonium valide contrahere potest; potest vero, illa condicione impleta. — Alia, quae de hac re notanda sunt, ex ipsis argumentis patebunt.

786. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

Scribit S. Paulus (1 Cor. 7, 10 sqq.): „Iis autem, qui Matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quodsi discesserit, manere in nuptam aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam ceteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quodsi infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.“

Hoc igitur loco apostolus, postquam dixit fideles coniuges ex praecepto Domini non posse Matrimonium suum solvere, transit ad „ceteros“, i. e. ad coniuges, quorum pars altera est infidelis. His autem imprimis non dat praeceptum divinum, sed suam monitionem. Cuius monitionis res est, ne recedant, si altera pars consentit cohabitare. Itaque imprimis apparet non ipso Baptismo matrimonium eorum fuisse solutum; secus enim simpliciter separandi essent. Quamvis autem ex contextu distingui non possit, utrum apostolus loquatur de iis, qui ante Baptismum fuerant coniugati, an de iis, qui post Baptismum Matrimonium inierant cum infideli, tamen prius illud admittendum est, quia incredibile est apostolum voluisse permittere Christianis, ut quasi periculi gratia prius Matrimonium inirent cum gentili; dein vero, si res non bene procederet, resilirent. Porro de iis tantum, qui ante Baptismum iuncti erant, textum semper intellexerunt doctores

catholici, neque unquam ecclesia permisit, ut Matrimonium post Baptismum cum infideli legitime initum separaretur et aliud iniretur, sed diserte prohibuit, ut constat ex declaratione S. Inquisit. 1. Aug. 1759 (*Perrone*, De Matrim. II, 323, in nota).

787. Cum autem apostolus dicat: „Ceteris ego dico, non Dominus“, quaeritur, *utrum monitio illa non recedendi a coniuge, quae vult cohabitare, sit praeceptum stricte dictum an quoddam consilium*, quod sua utique apostolica auctoritate non caret. De qua re diversae sunt sententiae. Nonnulli Patres et multi exegetae dicunt esse praeceptum. „Atqui ferme omnes theologi in scholis negant liberumque putant fuisse fidei ab infideli coniuge recedere.“ Ita Benedictus Iustinianus in h. l. et ipse sequitur hanc sententiam cum multis aliis exegetis. Iam S. Augustinus ita exponit: „Mihi visum est eum monendo dixisse. Quia enim coniux fidelis relinquere coniugem licite potuit infidelem, ideo fieri hoc non Dominus, sed apostolus prohibet“ (De adult. coni. l. 1, c. 13; M 40, 459). Ex contextu haec explicatio suadet, quia brevi ante (v. 8) eodem modo loquitur de non nuptis et viduis: „Dico autem“, postea vero (v. 25) explicat „praeceptum Domini non habeo, consilium autem do“. Praeceptum autem stricte dictum aliter inculcat (v. 10): „Praecipio non ego, sed Dominus.“ Ergo sensus est: Licet possint fideles relinquere coniuges infideles, suadeo tamen, ne fiat, quia spes est fore, ut pars infidelis convertatur.

788. Attamen iidem Patres et theologi, qui dicunt S. Paulum dare solum consilium, simul addunt, *si fidelis dimittat coniugem infidelem, quamvis cohabitare velit, fieri separationem cohabitationis tantum, non vero solutionem vinculi*. Ita S. Augustinus (l. c. c. 25, n. 31; M 40, 469). Ita theologi cum Petro Lombardo docti: „Distinguendum est aliud esse dimittere volentem cohabitare, aliud dimitti propter Deum ab illo, qui horret nomen Christi. Ibi enim lex benevolentiae non servatur, hic veritas custoditur; et ideo cum liceat dimittere volentem cohabitare, non tamen ea vivente aliam ducere licet“ (4, d. 39). Cf. S. Thomas (Suppl. q. 59, a. 5). Idem docent canonistae, ut *Schmalzgrueber* (De divortiiis n. 35). Sunt tamen qui doceant licere simpliciter infidelem, qui vult manere infidelis, dimittere et Matrimonium cum fidei inire, ut *Bellarminus* (De Matrim. c. 12) et alii, quos citat *Schmalzgrueber* (l. c. n. 34). Ex his autem plurimi videntur ideo ita sensisse, quia hodie in terris Christianorum non permittitur converso habitare cum parte infideli, nisi haec velit et ipsa converti (cf. S. Alphons. l. 6, n. 957). At hoc non est repetendum ex privilegio Paulino sed aliunde, ut mox dicetur. Ceterum prior explicatio (scilicet licere tantum tantum novum Matrimonium inire, cum infidelis nolit pacifice cohabitare) ideo vera videtur, quia magis consonat cum ratione privi-

legii, quam apostolus affert: „Non enim servituti subiectus est frater.“ Privilegium igitur concessum est in favorem fidei, scilicet ne respectu Matrimonii conversio ad fidem difficilior fiat. Fieret autem difficilior, si conversus aut obligaretur ad caelibem vitam agendam, quia coniux infidelis non vult cohabitare, aut si deberet contra suam voluntatem cohabitare cum uxore, quam propter infidelitatem detestatur; in utroque enim casu fidelis esset servituti subiectus. Priori difficultati Deus medetur concedendo privilegium novi Matrimonii; alteri difficultati concedendo separationem a cohabitatione ingrata cum muliere spiritualiter adultera; nam „pari passu currunt infidelitas et adulterium, quia utrumque est contra bonum prolis. Unde sicut se habet in potestate dimittendi adulteram vel commanendi cum ea, ita se habet in potestate dimittendi infidelem vel commanendi cum ea . . . et bene facit commanendo, tamen non tenetur“ (S. Thomas, Suppl. q. 59, a. 3).

789. *Ipsa igitur apostolus ab hoc consilio eximit casum, quando infidelis non vult cohabitare cum fidele,* quae cohabitatio non mere materialiter intellegenda est, sed ea cohabitatio, quaecumque possit fidelis consentire, et quae talis sit, ut aliquo modo sanctificetur pars infidelis per fidelem, seu ut, secundum ecclesiasticum loquendi modum, saltem cohabitet „sine iniuria creatoris.“ Ubi enim cohabitatio non cedit in laudem Dei, et ubi fidelis exponitur periculo perversionis, ibi certe pars infidelis non est sanctificata per partem fidelem, ut apostolus loquitur, sed tum potius separatio facienda est secundum illud: „In pace vocavit nos Deus.“ Eo ipso igitur, quod infidelis non vult pacifice cohabitare, moraliter discedit. Si vero pars infidelis discedit sive physice sive moraliter, dimitti potest a parte fidele. Consequens est, ut fidele potestas facta sit aliud Matrimonium cum fidele ineundi; secus enim frater servituti subiectus esset, neque ullum accepisset privilegium, quia separatio cohabitationis iam effecta est a parte infidele discedente; ergo hanc solam separationem non potuit apostolus velle concedere. Unde *Traditio catholica explicat verba apostoli de potestate solvendi vinculum coniugale.*

Itaque verba S. Pauli breviter videntur ita explicanda: Si pars infidelis vel facto vel iure discedit, simpliciter dimitti potest; sin vult pacifice cohabitare, per se consultius est non dimittere, quamvis dimittere liceat, integro tamen manente vinculo coniugali.

790. *Hoc autem privilegium concessum est iure divino.* Ita docet Congregatio S. Officii in decreto d. 11. Iulii 1886: „Supra scripta postulata intellegi de privilegio a Christo Domino in favorem fidei concesso et per apostolum Paulum 1 Cor. 7, 12 sqq. promulgato. Hoc divinum privilegium in eo consistere . . .“ (Archiv für kathol. Kirchenr. 67, 184). Idem docet Benedictus XIV.: „Certum est infidelium coniugium ex privilegio in favorem fidei a Christo Domino concesso

et per apostolum 1 Cor. 7 promulgato dissolvi“ (De Syn. dioec. l. 7, c. 4). Haec communior theologorum sententia tenenda est, utpote naturae rei magis congrua (cf. Cornely in 1 Cor. p. 179 sqq.).

791. *Arg. 2. Ex legislatione ecclesiastica.*

Innocentius III.: „Si alter infidelium coniugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intellegimus, quod ait apostolus: Si infidelis discedit, discedat; frater enim vel soror non est servituti subiectus in huiusmodi; et canonem etiam, in quo dicitur, quod contumelia creatoris solvit ius Matrimonii circa eum, qui relinquitur“ (Decr. Greg. l. 4, t. 19, c. 7). Idem in capite sequenti, ubi addit: „Qui autem secundum ritum suum [gentilem vel iudaicum] legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium veritas in evangelio reprobaverit, numquam, ea vivente, licite poterit aliam, etiam ad fidem conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso. Aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel cum pertrahat ad mortale peccatum. . . . Quodsi conversum ad fidem et illa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur“ (l. c. c. 8).

Ergo *si constat infidelem nolle pacifice et sine iniuria creatoris cohabitare parti fidele, licet ad alias nuptias transire,* quibus initis prius matrimonium solvitur, et non antea (cf. *Ballerini*, Opus mor. t. VI, n. 732). Hoc etiam valet, si pars infidelis cum parte conversa prius pacifice cohabitavit, dein vero non iam vult ita cohabitare, ut declaratum est a S. Inquis. 1. Aug. 1759 (*Perrone* II, 322 in nota).

792. Porro ecclesia vult non dimitti coniugem infidelem, nisi nolit pacifice cohabitare. Consequenter voluntas coniugis infidelis prius exquirenda est, seu *interpellanda est pars infidelis*, num velit pacifice cohabitare (cf. *Bened. XIV.*, De Syn. l. 6, c. 4, n. 3 et l. 13, c. 21, n. 1). Haec lex interpellationis deducitur *ex declaratione S. Congreg. de prop. fid. 5. Aug. 1806*: „Quodsi quis vir infidelis primam dimiserit uxorem, postea vero fiat Christianus, et celato priore coniugio ineat coram parochio Matrimonium cum altera muliere, eiusmodi secundum Matrimonium tamquam nullum et irritum habeatur, et secunda uxor sit libera et possit cum alio viro catholico nuptias iungere.“ Item *ex responso eiusdem Congregationis* d. 5. Martii 1816 dato ad dubia proposita pro vicariatu apostolico Tunchini. *Dub.*: „Utrum ad effectum matrimonii dissolvendi iuxta privilegium in favorem fidei a Christo Domino concessum et ab apostolo promulgatum interpellatio partis in infidelitate permanentis sit de iure divino atque adeo necessaria, ut ea neglecta nullus plane habeatur matrimonii dissolvendi

locus? An solum pertineat ad formam iudicalem nec requiratur, nisi ut dissolutio licite fiat, praesertim cum aliunde constet, iudiciis moraliter certis, alterum coniugum nec fidem amplecti nec sine contumelia creatoris velle cohabitare? *Resp.*: „Non esse locum dissolutioni matrimonii in infidelitate contracti in casu, de quo agitur, nisi interpellatione praemissa aut nisi obtenta legitimis ex causis super interpellatione apostolica dispensatione.“ Ex his evidens est ecclesiam in omni casu, ubi fieri potest, postulare, ut interpellatio fiat, et quidem per se postulatur interpellatio iudicialis, interveniente Ordinario.

793. *Num vero haec interpellatio ad valorem novi Matrimonii per se (i. e. abstrahendo a dispensatione) sit necessaria, disputant.* Patri Perrone interpellatio de pacifica cohabitatione necessaria esse videtur ad valorem secundi Matrimonii (l. c. p. 324), et idem alii sentiunt. *Ballerini* censet interpellationem solum necessariam esse ad cognoscendam voluntatem infidelis, ipsum autem valorem novi Matrimonii pendere unice ex obiectiva rei veritate, utrum scl. infidelis obiective velit an nolit pacifice cohabitare (*Gury-Ballerini* t. II, n. 759, 3° in nota; cf. *Ballerini*, Opus mor. t. 6, n. 691), sicut in alio casu non inquisitio de morte prioris coniugis reddit secundum Matrimonium validum, sed ipsa mors prioris coniugis, quae tempore secundi Matrimonii iam acciderat. Haec sententia est valde rationabilis. Tertia sententia esse potest secundum privilegium Paulinum etiam sine interpellatione secundum Matrimonium valere, dummodo constet infidelem nolle converti ad fidem, nam si infidelis converti vult, cessat tota ratio, ob quam Deus dissolutionem matrimonii permisit (cf. *Decret. Conc. Limani* approbatum a Sixto V. apud *Perrone* II, 323). Ita sentire debent ii, qui verba apostoli „non dimittat“ ut merum consilium interpretantur et putant matrimonium cum infideli obstinato semper valide et licite solvi posse. Haec theoretice; nam practice standum est praecepto ecclesiae de interpellatione faciendae; quae si fieri nequit, dispensatio impetranda est.

794. *Romanus pontifex dispensare potest ab interpellatione faciendae.* Talis dispensatio saepius facta est. Ita Gregorius XIII., cum proposita esset quaestio, *quid faciendum, si pars infidelis interpellari non posset*, quod locus commorationis ignoraretur, vel ob alias causas, per litteras „Populis et nationibus“ d. 25. Ian. 1585 episcopis, parochis et missionariis in Angola, Aethiopia et Brasilia degentibus facultatem concessit „dispensandi cum quibusque utriusque sexus Christi fidelibus incolis dictarum regionum et servis ad fidem conversis, qui ante Baptismum matrimonium contraxerant, ut eorum quilibet, etiam superstitibus coniuge infideli et eius consensu minime requisito aut responso non expectato, Matrimonium cum quovis fidei, alias tamen rite, contrahere et in facie ecclesiae solemnizare et in iis postea carnali copula

consummatis, quoad vixerint, remanere licite valeant; dummodo constet et summarie et extraiudicialiter coniugem, ut praefertur, absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse“. Dein vero quia fieri potuit, ut postea alter coniux appareret et affirmaret se voluisse pacifice cohabitare, immo se iam tempore, quo alter baptizabatur, etiam fuisse Christianum, pontifex haec addidit: „Quae quidem Matrimonia, etiamsi postea innotuerit coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse et ad fidem etiam tempore contracti secundi Matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi numquam debere, sed rata et firma prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus“ (*Archiv für kathol. Kirchenrecht* 51, 218 sqq.).

Concilium Baltimoreense III. (a. 1884) § 129 statuit: „Coniux, qui iam matrimonium in infidelitate cum infideli contraxit et conversus deinde ad fidem baptizatus fuit, nequit Matrimonium inire, quin prius interpellat coniugem infidelem. Quodsi coniux infidelis nequit legitime interpellari, recurrendum est ad S. Sedem pro dispensatione.“ Neque enim dispensatio, quae data est pro una regione, per se ad alias regiones extendi potest, sed pro singulis casibus impetranda est dispensatio, ubicumque universalis dispensatio data non est.

795. *Romanus pontifex non solum potest dispensationem dare ab interpellatione, sed potest etiam sua potestate solvere Matrimonium legitimum, quod existit inter fidelem conversum et infidelem.* Nam Gregorius XIII. declaravit Matrimonia nova sine interpellatione ex apostolica dispensatione inita valida esse, etiamsi altera pars tempore secundi Matrimonii iam conversa fuisset ad fidem. Hic autem casus omnino non pertinet ad privilegium Paulinum. Quare pontifex pro possibilitate dissolutionis in hoc casu non ad privilegium Paulinum, sed ad hoc principium provocat, quod matrimonia in infidelitate inita tam firma non sint, ut nullo modo solvi possint. Idem Urbanus VIII. in litteris die 20. Oct. 1626 et die 17. Sept. 1627 datis dicit: „huiusmodi infidelium matrimonia non ita firma censeantur, quin necessitate suadente dissolvi possint.“ Ergo romani pontifices censuerunt se habere potestatem solvendi matrimonia inter infidelem et conversum existentia. Hac autem potestate supposita omnes dispensationes concedi solitae facile intelleguntur.

796. *Immo ad hanc potestatem necessario esse recurrendum videtur ad explicandam dispensationem ab interpellatione faciendae, si cum sententia communi admittimus interpellationem praeceptam esse lege divina.* Nam si ita est, matrimonium primum stat ex iure naturali in sua indissolubilitate, quamdiu interpellatio facta non est, vel potius quam-

diu obiective pars infidelis non renuit pacifice cohabitare. Itaque si matrimonium in hoc casu solvitur, quamvis obiective coniux infidelis omnino velit pacifice cohabitare, haec solutio deduci nequit ex privilegio Paulino, sed ex potestate romani pontificis solvendi talia matrimonia. Benedictus XIV. quidem Pontium secutus putat omnia in hoc casu sicut etiam in facultate a Pio V. concessa explicari posse per privilegium Paulinum una cum dispensatione ab interpellatione (De Syn. l. 6, c. 4, n. 3 et l. 13, c. 21, n. 4). At hoc non videtur admittendum. Nam in utroque casu fieri potest, ut coniux serio velit pacifice cohabitare; unde ratio, ob quam apostolus solutionem permittit, non exstat. Quare multi theologi hunc explicandi modum reiciunt. Ita *Gury-Ballerini* (t. 2, n. 759, 3^o in nota), *Palmieri* (De Matrim. p. 220 sq.), *Lehmkuhl* (t. 2, n. 708, cum nota), *Biederlack* (Zeitschr. für kathol. Theologie [Innsbruck 1883] p. 304 sqq.), alii. Cum Benedicto vero XIV. sentiunt *Perrone* (De Matr. II, 318), *Hurter*, *Braun* (Archiv für Kirchenrecht 51, 209 sq.), alii. Late Pontii sententiam refutat *Ballerini* (Opus mor. t. 6, n. 706 sqq.).

797. Alium casum tractat Pius V. in litteris „Romani pontifices“ die 2. Augusti 1571. Scl. apud „Indos“, qui plures in infidelitate uxores habuerant, in more positum erat, ut, si quis ad fidem converteretur, eam ex uxoribus retineret, quae etiam vellet converti, licet non esset prima, quam in infidelitate duxerat. Hoc pontifex fieri posse concedit: „Ideo nos statui dictorum Indorum paterno affectu benigne consulere atque ipsos episcopos et ministros huiusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio et certa scientia ac de apostolica auctoritatis plenitudine, ut Indi, sicut praefertur, baptizati et in futurum baptizandi cum uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere valeant tamquam cum uxore legitima, aliis dimissis, apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus Matrimoniumque huiusmodi inter eos legitime consistere“ (Archiv für kathol. Kirchenrecht 51, 217).

Sed si haec uxor non fuit prima, post Baptismum renovandus est consensus, quia antea numquam fuerat validum matrimonium. Ita declaratum a S. Officio d. 1. Aug. 1759 pro Missione Coccinensi: „Si gentilis conversus ante susceptionem Baptismi habebat plures uxores, et prima recusat amplecti fidem, tunc legitime potest quamlibet ex illis retinere, dummodo fidelis fiat. Sed in hoc casu contrahentes mutuum consensum coram parcho et testibus renovare debent“ (cf. *Ballerini*, Opus mor. t. 6, n. 710 sqq.).

798. Tandem theologi multi et magni dicunt, cum hodie in regionibus Christianorum non liceat fidelibus cohabitare cum infidelibus, posse et debere relinquere coniugem infidelem, nisi velit ad fidem converti, et tunc fidelem posse novum Matrimonium cum fidele inire, licet coniux in-

fidelis velit pacifice et sine iniuria creatoris cohabitare. Ita *S. Thomas* (Suppl. q. 59, a. 3 ad 2) et *Sanchez*, qui multos alios pro hac sententia citat (De Matrim. l. 7, disp. 74, n. 9). *Gury-Ballerini* ait: „Inter nationes christianas praxis invaluit, ut cohabitatio non permittatur cum parte, quae obstinate sectae infideli, v. g. iudaicae, adhaereat, quamvis haec protestetur se pacifice velle cohabitare“ (t. 2, 759, 3^o in nota). Cf. *Ballerini*, Opus mor. t. 6, n. 689; *Wirceburg.*, De Matrim. n. 385; *Lehmkuhl* t. 2, n. 705; *Palmieri*, De Matrim. p. 218 sq. Ceterum haec praxis iam existebat temporibus Gratiani, qui canonem Conc. Toletani IV. ad eam confirmandam citat (causa 28, q. 1, c. 10).

799. *Schol. 1.* Num privilegium Paulinum etiam pro iis valeat, qui convertuntur ad sectam haereticam christianam.

Affirmandum videtur cum *Ballerini* (Opus mor. t. 6, n. 718 sqq.), *Palmieri* (De Matrim. th. 27), *Lehmkuhl* (t. 2, n. 705, in nota), aliis. Numquam enim ecclesia putavit hoc privilegium alia re acquiri nisi solo Baptismo. Quare negavit S. Congr. de prop. fide privilegium posse ad catechumenos extendi (*Perrone*, De Matrim. t. 2, p. 319). Non fides, sed professio fidei per Baptismum est id, quo privilegium confertur, ut explicat *S. Thomas*: „Qui moritur priori vitae, non tenetur ad illa, ad quae in priori vita tenebatur. . . . Ille autem, qui ad Baptismum accedit, regeneratur in Christo et priori vitae moritur, cum generatio unius sit corruptio alterius, et ideo liberatur ab obligatione, qua uxori tenebatur reddere debitum, et ei cohabitare non tenetur, quando converti non vult“ (Suppl. q. 59, a. 4). In sequenti autem articulo rationem solutionis prioris matrimonii per posterius hanc reddit, quod Matrimonium inter Christianos, utpote firmiter vinculum, rumpit vinculum infirmius in gentilitate nexum. Matrimonium autem Christianorum maiorem suam firmitatem habet ex Baptismo, ut diserte docet *Innocentius III.* in c. „Quanto“ De divort. (*Denzinger* l. c. 350). Ergo ubicumque est Baptismus, oritur firmiter vinculum; ubi autem oritur firmiter vinculum, tollitur contrarium vinculum infirmius; ergo infideles transeuntes ad haeresim christianam, dummodo vere baptizentur, in casu S. Pauli per subsequens Matrimonium cum altera christiana parte solvere possunt Matrimonium prius cum gentili contractum.

Deus quidem per se in favorem catholicae tantum fidei privilegium concessit; sed eam tantum condicionem postulavit, quae etiam a non-Catholicis verificari potest, et ita secundo privilegium etiam haereticis favet. Quod *Innocentius III.* in c. „Gaudemus“ De divort. loquitur de casu tantum, quo „alter infidelium ad fidem catholicam convertatur“, facile explicatur, quia de sola hac re interrogatus erat; unde historice loquitur neque sensu exclusivo intellegendus est, ut excludat sectas haereticas.

800. *Schol. 2.* Num matrimonium in infidelitate contractum solvatur etiam per professionem religiosam coniugis conversi.

Affirmandum videtur. Nam per professionem religiosam solvitur Matrimonium ratum Christianorum, ut mox dicetur. Atqui Matrimonium ratum Christianorum est vinculum firmiter quam matrimonium etiam consummatum infidelium, ut non solum *S. Thomas* et alii theologi, sed etiam *Innocentius III.*, *Gregorius XIII.*, *Urbanus VIII.* in litteris citatis docent, cum dicant matrimonia infidelium ideo solvi posse, quod non sint rata. Ergo si Matrimonium ratum, quod est firmiter, per professionem religiosam solvitur, a fortiore matrimonium legitimum tantum, quod est minus firmum, solvitur. Ita *Sanchez*, „et est commune theologorum placitum“ (De Matrim. l. 7, disp. 77, n. 9). Idem videtur dicendum, si uterque infidelis convertitur et post Baptismum, antequam Matrimonium rursus consummant, alteruter professionem religiosam emittit, quia tunc agitur quidem de Matrimonio Christianorum, sed nondum a Christianis consummato. Ceterum propter dubitationes, quae in talibus casibus possunt remanere, recurrendum erit ad *S. Sedem*.

801. *Non solvitur Matrimonium, si coniux conversus sacros ordines suscipit aut votum simplex castitatis emittit*, quia hac ratione neque Matrimonium ratum Christianorum solvitur. Si uxor infidelis postea ab obstinatione respicit et etiam convertitur, maritus, qui iure suo usus ordines suscepit aut votum castitatis emisit, ad eam redire non potest. Si vero uxori videtur difficillimum continentiam servare, nullum remedium restat, nisi ut summus pontifex aut maritum a suo voto simplici dispenset, aut, si hic non vult admittere dispensationem, Matrimonium ratum horum coniugum solvat et uxori permittat, ut aliud Matrimonium ineat (cf. *Gury-Ballerini* t. 2, n. 759, 3^o in nota 1).

802. *Schol. 3.* Potestne Matrimonium solvi, si ex coniugibus fidelibus alter incidit in infidelitatem?

Resp. *Innocentius III.* c. „Quanto“ De divort.: „Si vero alter fidelium coniugum vel labatur in haeresim vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare.“ Et rationem reddit, „quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit coniugii Sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret“ (*Denzinger* l. c. 351).

Prop. LX. Vinculum Matrimonii rati per professionem religiosam alterutrius coniugis solvitur.

803. Haec doctrina est dogma fidei definitum et ita intellegitur, ut Matrimonium Christianorum nondum consummatum statim solvatur,

si alteruter coniux valide vota sollemnia in religione nuncupat (non si novitiatum ingreditur), licet fortasse invito et repugnante altero coniuge. Haec doctrina per multa saecula practice tantum viguit in ecclesia, postea vero etiam definita est.

804. *Arg. 1.* Ex exemplis Sanctorum.

Existunt in historia ecclesiastica exempla Sanctorum, qui post celebratas nuptias, sed ante consummationem Matrimonii, coniugem dereliquerunt, ut se penitus Deo consecrarent, quae facta a Patribus et doctoribus laudantur et ab ecclesia comprobantur. Atqui si vinculum Matrimonii per religiosam professionem non solveretur, haec facta non essent laudanda, sed vituperanda, ut quae fuissent iniuria in coniugem.

S. Thecla (saec. I.), discipula *S. Pauli*, ab apostolo monita, cum iam nuptias iniisset, sponsum reliquit, ut virginitatem Deo servaret eique se totam voveret (cf. Act. SS. Sept. VI, 550). Quam propterea *S. Ambrosius* praedicat: „Thecla doceat immolari, quae copulam fugiens nuptialem et sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit“ (De virg. l. 2, c. 3, n. 19; *M* 16, 211). Eandem ob hoc factum laudat *Epiphanius* (*Haer.* 78, p. 16; *M* 42, 726).

Duos aulicos refert *S. Augustinus* (*Confess.* l. 8, c. 16, n. 15) lecta vita *S. Antonii* saeculum reliquisse, quo facto audito et ipsae sponsae eorum Deo virginitatem voverunt (*M* 32, 756).

S. Alexii factum notum est (cf. Acta SS. Iul. IV, 252).

Leobardus post foedus nuptiale invitis parentibus monachus factus est, testante *Gregorio Turonensi* (De vitis PP. c. ult.; *M* 71, 1092 sqq.).

Edildridae (saec. VI) historiam refert *Beda*: „Accepit rex Egfridus coniugem nomine Edildridam . . . cuius consortio cum uteretur duodecim annis, perpetuo tamen mansit virginitatis integritate gloriosa, sicut mihimet sciscitanti Wilfridus episcopus referebat, dicens se testem eius virginitatis esse certissimum, adeo ut Egfridus promiserit ei terras et pecunias multas esse donaturum, si reginae posset persuadere, eius uti conubio . . . quae multum diu regem postulans, ut saeculi curas relinquere atque in monasterio tantum vero regi Christo servire permetteretur. Quod ubi vix impetravit, intravit monasterium“ (*Hist. Angl.* l. 4, c. 19; *M* 95, 201). Rex vero, postquam in vanum eam recuperare studuit, Eboracum rediit et Ememburgam uxorem duxit.

Fatendum quidem est haec et alia exempla, quae narrantur, per se non formare strictum argumentum ad probandam thesim, quia saepe dubium esse potest, agaturne de Matrimonio rato soluto per professionem religiosam an de alia re. Attamen his et similibus factis semper in ecclesia servata est illa persuasio licere post initas nuptias studio altioris perfectionis coniugem relinquere et se Deo consecrare. Quae vero huius rei sint condiciones, qui effectus huius separationis, hoc ex

doctrina diserta posteriorum saeculorum discendum est (cf. *Suarez*, De relig. l. 9, c. 24, n. 3 sqq.).

805. *Arg. 2. Ex legislatione ecclesiastica.*

Alexander III. (a. 1180): „Post consensum legitimum de praesenti licitum est alteri, altero repugnante, eligere monasterium, sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt; dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos; et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire; quia, cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire et alter in saeculo remanere“ (Decret. Gregor. l. 3, t. 32, c. 2). Idem repetit in c. 7, ubi simul dicit mulieri cupienti intrare monasterium spatium duorum mensium esse statuendum, intra quod aut monasterium ingrediatur aut ad virum redeat.

Innocentius III. (a. 1204): „Etsi possit non inconsulte videri, quod, ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de praesenti contrahitur, illis viventibus in nullo casu possit dissolvi, ut, vivente reliquo, alter ad secunda vota transmigret . . . nos tamen nolentes a praedecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri coniugum, reliquo inconsulto, ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari, hoc ipsum tibi consulimus observandum“ (l. c. c. 14). Addit autem requiri omnino professionem religiosam neque sufficere votum simplex castitatis ad solvendum vinculum coniugale.

806. *Arg. 3. Ex Conc. Trid.*

Conc. Trid. sess. 24, c. 6 definit: „S. q. d. Matrimonium ratum, non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, A. S.“ (*Denzinger* l. c. 852).

Qui canon multos induxit ad dicendum iure divino solvi Matrimonium ratum per professionem religiosam. „Sane si id ex ecclesiae est auctoritate, eadem posset hanc legem abrogare, et sic, quod in eo canone proponitur credendum, illud idem falsum evaderet, quod fieri nequit; quod enim fide creditur, semper verum est in ecclesia.“ (*Palmieri*, De Matrim. p. 205.) Hanc sententiam cum multis aliis ut probabiliorem defendit *Sanchez* (De Matrimonio l. 2, disp. 19, n. 3).

Sed contra eam oritur haec difficultas: Ingressus status religiosi qua talis non dirimit Matrimonium, ut declaravit Gregorius XIII. in Bulla „Ascendente Domino“, sed requiritur ad hunc effectum votorum sollemnitas. Iamvero haec sollemnitas non a Deo sed ab ecclesia instituta est, ut ait *Gregorius XIII.* (l. c.) et *Bonifacius VIII.* (a. 1298): „Nos attendentes, quod voti sollemnitas ex sola constitutione ecclesiae est inventa . . . declarandum duximus oraculo sanctionis illud solum votum debere dici sollemne, . . . quod sollemnizatum fuerit . . . per

professionem expressam vel tacitam, factam alicui de religionibus per Sedem apostolicam approbatis“ (Sexti Decr. l. 3, t. 15). Immo quamvis in eodem capite Bonifacius declaraverit votum sollemnizatum per susceptionem ordinis sacri esse sollemne, nihilominus hoc votum non dirimit Matrimonium ratum antecedens. Ergo tota haec res pendet ex voluntate ecclesiae. Nulla enim forma votorum, nullus ritus adhiberi solitus in votorum emissionem indicari possunt, quibus necessario anexa sit sollemnitas votorum, sed suppositis votis substantialibus sollemnitas adest aut non adest, prout ecclesia vult acceptare vota ut sollemnia aut non vult. Videlicet ex acceptatione ecclesiae vota summam quandam stabilitatem et irrevocabilitatem nanciscuntur, ita ut tum demum status religionis secundum totam perfectionem adsit (cf. *Gasparri*, De Matrim. l. 1, n. 564 sqq.).

807. His suppositis facile distinguere possumus, quomodo effectus sollemnis professionis sit ex iure divino, quomodo ex iure ecclesiastico.

Deus voluit, ut in ecclesia semper esset professio religiosa seu status religiosus perfectus, et simul voluit, ut haec professio religiosa solveret Matrimonium ratum; et ideo semper verus manet canon Concilii Tridentini. Sed num certus status religiosus sit perfectus, et num votis in certa religione nuncupatis hic effectus anectatur, hoc Deus reliquit determinationi ecclesiae. Ergo quod professio quaedam in individuo solvat Matrimonium ratum, proxime est ex iure ecclesiastico, derivatur vero ultimo ex iure divino. Ita sentiunt *Suarez* (De relig. l. 9, c. 33, n. 20), *Lessius* (De iure et iust. l. 2, c. 41, dub. 8), alii multi, ut *Sardagna* (De Matrimonio n. 424). Haec sententia praefenda est eo magis, quod (ut sequenti thesi probabimus) summus pontifex habet potestatem ex causa sufficienti solvendi Matrimonium ratum. Quia igitur potestas summi pontificis sufficit ad effectum, de quo quaeritur, ad altiorem causam recurrere superfluum est. Idem inde probari potest, quod votum sollemne est impedimentum dirimens Matrimonii contrahendi ex iure ecclesiastico tantum (*Lehmkuhl* II, 750), quia pontifices interdum dispensarunt, ut quis post professionem sollemnem iniret Matrimonium. Sed Matrimonium iam contractum firmiter est quam contrahendum; unde si ex iure divino solveretur Matrimonium contractum per votum sollemne, a fortiori dirimeretur contrahendum.

808. *S. Thomas videtur innuere iure naturae solvi Matrimonium ratum per votum sollemne.* „Votum sollemne ex sui natura habet, quod dirimat Matrimonium contractum, in quantum scilicet per ipsum homo sui corporis amisit potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens. Et ideo non potest ipsum tradere in potestatem uxoris Matrimonium contrahendo. Et quia Matrimonium, quod sequitur tale votum, nullum est, ideo tale votum dirimere dicitur Matrimonium contractum“ (Suppl. q. 953, a. 2; q. 961, a. 2). Pro eadem sententia

citantur *Bellarminus, Sylvius, Habert*, alii. Iam si haec sententia ita intellegitur, ut solutio Matrimonii per professionem religiosam dicatur valde congrua naturae rei, vera est, quia status perfectior impediri non debet per statum imperfectiorem, quamdiu hic solvi potest sine iniuria tertii, ut res se habet in Matrimonio rato. Sed strictum argumentum non est, quia certum est non per quemlibet statum perfectiorem, e. g. per episcopatum, solvi Matrimonium ratum, sed per solam professionem. Deinde vero, quia potestas in corpus iam mulieri tradita est, potius naturaliter dicendum videtur talem hominem tradi non iam posse ordini religioso, ita ut non Matrimonium antecedens dirimatur, sed professio subsequens sit invalida. Haec enim est naturalis conclusio in argumento S. Thomae. Ergo non a priori ex natura rei haec doctrina probari potest, sed postquam aliunde constat rem ita esse, convenientia ostendi potest. Neque enim absolute cum professione religiosa pugnat vinculum coniugale, ut apparet, si quis post matrimonium consummatum coniuge consentiente religionem ingreditur.

809. *Schol.* Cur susceptio ordinis sacri vel vota simplicia non solvant vinculum Matrimonii rati.

Ratio est, quia neque Deus neque ecclesia ita statuerunt. Dein vero professio religiosa multo magis opponitur Matrimonio ex natura sua quam ordo; est enim professio religiosa formaliter professio perpetuae continentiae et ita excludit vitam matrimonialem. Contra vero cum ordine sacro vita coniugalis conciliari potest, licet minus convenienter.

810. Similiter quaeri potest, cur vota simplicia non solvant vinculum Matrimonii, seu potius, cur Deus vel ecclesia his votis hanc vim non anexuerint. *Resp.*: quia haec vota non habent tantam stabilitatem et immutabilitatem, cum desit perfecta illa acceptatio ex parte ecclesiae. Ecclesia autem quaedam vota non tam irrevocabiliter acceptat praecise ad hoc, ut facilius solvi possint, quia hoc interdum melius est. Potest autem ecclesia efficere, ut vota, licet per se simplicia, solvant Matrimonium ratum; et ita probabiliter factum est primis saeculis. Cum autem postea modus professionis religiosae plane determinatus esset, ecclesia soli perfectissimo modo professionis vim solvendi matrimonium inesse voluit. Veri igitur religiosi semper fuerunt in ecclesia, sed sollemnis approbatio Apostolicae Sedis posterioribus tantum saeculis introducta est et ad professionem religiosam requiritur (cf. *Suarez*, De relig. l. 9, c. 6).

Prop. LXI. Matrimonium ratum ex iusta causa auctoritate summi pontificis solvi potest.

811. *Nota.* Multi theologi hanc potestatem summi pontificis in dubium vocarunt. Ita *Taperus* (De Matrim. a. 18), *Dom. Sotus* (In

4, disp. 27, q. 1, a. 4), *Sylvius, Tournely, Berlage* (Kath. Dogmatik tom. 7, p. 803 in nota), alii (cf. *Perrone*, De Matrim. III, 504). Verum hodie thesis nostra tam communiter admissa est a theologis, ut sine magna temeritate non iam in dubium vocari possit. Cf. *Tanner* (De Matrim. disp. 8, q. 5, dub. 4, n. 61) et *Ballerini* (Opus morale t. 6, n. 163).

812. Habet quidem haec potestas *fundamentum scripturisticum* in illis verbis Domini (Matth. 16,18): „Quodcumque solveris . . .“ At non a priori deduci potest ex his verbis. Secus enim eodem modo ostenderetur summum pontificem posse solvere Matrimonium consummatum fidelium, id quod falsum est. Videlicet per illa verba imprimis data est omnis potestas ecclesiae necessaria et positive conveniens. Sed aliae potestates, quae ad esse vel bene esse ecclesiae non adeo necessariae apparent, a priori ex illis verbis deduci non possunt, sed ita solum, nisi ecclesia doctrina sua vel praxi ostendat se talem potestatem non habere. Valde quidem suadetur propositio nostra per textum illum Matthaei, si simul consideramus vinculum Matrimonii rati non esse prorsus indissolubile, ut ex praecedenti thesi constat. Cum enim ex una parte Matrimonium sit in certis casibus extrinsecus dissolubile, cum porro romanus pontifex ex verbis Christi omnem potestatem habeat, quae non aliunde probatur exclusa, cum tandem exsistere possint rationes, ob quas valde optanda sit dissolutio Matrimonii: sine dubio perquam probabile est posse in tali casu solutionem a summo pontifice effici. Nihilominus ut thesis fiat certa, facta afferenda sunt, quibus eius veritas ostendatur. Notandum est in casu, de quo agimus, *pontificem non sensu stricto dispensare a lege divina*; quod faceret, si permetteret, ut stante priori Matrimonio iniri posset secundum; sed potestate a Deo accepta solvere vinculum et ita legis materiam subtrahere.

813. *Arg.* Ex factis pontificum.

Pontifices romani saepe solverunt Matrimonium ratum. Atqui hoc factum explicari nequit, nisi revera habeant hanc potestatem. Ergo haec potestas iis asserenda est.

Prob. mai. *Martinus V.* et *Eugenius IV.* hac potestate usi sunt teste S. Antonino (Summa theol. p. 3, t. 1, c. 21). Item *Paulus III.* et *Pius IV.* teste Navarro (Enchir. c. 22). Item *Clemens VIII.*, *Urbanus VIII.*, *Gregorius XIII.*, ut refert *Benedictus XIV.*, qui hanc conclusionem facit: „Nullam de potestate summi pontificis moveri amplius posse quaestionem in eo, quod attinet ad dispensandum super Matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit communis inter theologos et canonistas et in praxi recepta, uti notorium est“ (Quaest. can. q. 479. Cf. q. 108 et q. 546, n. 36.)

P. Perrone ait: „Ego quoque certo novi plures eiusmodi dispensationes factas fuisse ab insequentibus pontificibus, Pio VII., Gre-

gorio XVI., Pio IX., ut omittam non paucas resolutiones Congregationum Concilii et SS. Inquisitionis de petenda a pontifice dispensatione illis in causis, in quibus casus iste agitatus est" (De Matrim. III, 509).

814. *Prob. min.*: Factum istud ostendit romanis pontificibus infuisse persuasionem se posse Matrimonium ratum necdum consummatum ex iusta causa solvere. Ergo aut revera possunt aut errarunt. Atqui non errarunt, quia errorem tam universalem tamque constantem in re gravi Spiritus Sanctus non potest permittere in ecclesia. Ergo possunt Matrimonium ratum ex iusta causa solvere.

815. *Hanc quidem conclusionem adversarii admittere nolunt.* Ita scribit Dom. Sotus (In. 4, p. 27, q. 1, a. 4): „Auctoritas Martini et Eugenii, si ita verum est, quod similem dispensationem fecerunt, nullatenus tamquam ecclesiae determinatio movet, quia factum pontificium non facit fidei articulum, sed opinionem canonistarum sunt secuti.“ *Resp.*: Unum quidem alterumve factum alicuius pontificis non facit fidei articulum, quia in hoc errare possunt. Sed praxis toties repetita et a tot pontificibus ut legitima agnita non potest dici erronea, quin dicatur Deus male providere puritati morum et sanctitati doctrinae in ecclesia catholica. Nam generalem disciplinam erroneam, maxime in re sacramentaria, admittere velle idem est atque admittere generalem errorem contra fidem et mores. Quoties enim pontifices permisissent Matrimonium novum, toties permisissent adulterium, nisi prius Matrimonium eorum potestate solutum fuisset. Neque hic iuvat „probabilis opinio canonistarum“; nam si haec opinio obiective esset falsa, Matrimonium secundum cum licentia pontificis initum fuisset merus concubinatus. Quare in hac re ipsi quoque pontifices tenentur lege non utendi opinione probabili tutiore relicta, ubi agitur de valore Sacramentorum. Ergo nihil restat, nisi ut dicamus romanos pontifices pollere potestate ex iustis causis solvendi Matrimonium ratum.

816. *Neque vero hoc est contra dictum Christi:* „Quod Deus coniunxit, homo non separet“, quia Christus ibi agit de libello repudii seu de dissolubilitate interna, quam ipsi contrahentes sua voluntate efficerent. Hic autem agitur de dissolubilitate externa. Dein romanus pontifex in hoc casu non agit ut homo, sed ut vicarius Christi, utens potestate divinitus sibi data. Neque haec res est contra sanam rationem; quod enim diximus dissolubilitatem internam esse contra sanam rationem, quia pessimis cupiditatibus viam aperiat, hic certe non potest applicari; et ex altera parte bonae rationes adesse possunt solvendi Matrimonium. *Sufficientes autem rationes*, i. e. eae, quae secundum aestimationem humanam tales sunt, ad validitatem actus pontificii requiruntur. Nequit enim vicarius sua potestate valide uti ultra limites a supremo domino constitutos. Ceterum practice, si pontifex Matrimonium solvit, standum

est decreto; quia ipsius pontificis, non aliorum est iudicare de sufficientia causarum. Mirum videri potest, *cur pontifices prioribus temporibus hac potestate usi non sint.* Sed praeter alia, quae responderi possunt, hoc unum meminisse iuvat: non omnia scripta esse, quae facta sunt. Ita quoad nostram rem habemus testimonium Alexandri III., cui propositus erat casus, quod quaedam mulier post Matrimonium ratum et non consummatum alteri nupserat et cum eo copulam habuerat. Respondet eam debere ad priorem virum redire, „quamvis a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliter iudicatum“ (Decret. Greg. I. 4, t. 4, c. 3). Ergo quidam eius praedecessores in eodem casu sententiam tulerunt mulierem posse manere cum secundo viro; certe non quasi coniuges ipsi potuissent solvere Matrimonium primum, hoc enim est impossibile; sed quia consideratis circumstantiis pontifices melius iudicarunt solvere prius Matrimonium et permittere secundum. Hoc autem ob alias circumstantias Alexander III. in casu sibi proposito noluit (paulo aliter *Gasparri*, De Matrim. I, 627). Cf. responsum *Gregorii III.* (a. 726) S. Bonifatio datum, citatum a Gratiano (C. 32, q. 7, c. 18), quod fortasse ad nostram rem refertur, nisi ibi agitur de impotentia antecedenti. Cf. etiam, quae de aliis pontificibus habet *Perrone* (De Matrimonio III, 520 sqq.).

Prop. LXII. Matrimonium ratum et consummatum est etiam extrinsecus prorsus indissolubile.

817. Quaestio non est, num Deus absolute sua potestate Matrimonium ratum et consummatum solvere possit, cum nulla sit ratio hoc negandi; sicut enim per libellum repudii matrimonium consummatum solvebatur in Vetere Testamento, et sicut Matrimonium per privilegium Paulinum solvitur, ita etiam potuit Deus dare potestatem solvendi in certis casibus Matrimonium consummatum Christianorum. Statuimus igitur simpliciter reapse Deum non concessisse talem potestatem. Supponimus Deum non statuisse aliquam legem, secundum quam in certis casibus Matrimonium consummatum sit ipso facto solutum, quia de tali lege nihil notum est. Quaerimus igitur solum, num Deus alicui auctoritati dederit potestatem Matrimonium ratum et consummatum solvendi.

818. *Arg.* „Si Deus ulli auctoritati concessisset potestatem solvendi Matrimonium ratum et consummatum, ecclesiae dedisset. Atqui ecclesiae non dedit. Ergo.

Maior constat, quia aut auctoritas civilis aut auctoritas ecclesiastica hanc potestatem haberet. Sed auctoritas civilis ne in ordine quidem naturali hanc haberet potestatem, ut iam dictum est; a fortiori nullam potestatem habet in Sacramentum Matrimonii, ut postea probabitur. Ergo si haec potestas data esset, ecclesia eam haberet.

Prob. min.: Ecclesia nullo unquam signo ostendit se hanc potestatem habere. Nullum enim exemplum exstat solutionis Matrimonii rati et consummati quoad vinculum. Ecclesiastica quidem traditio novit varios casus, in quibus vel lege a Deo statuta vel per ecclesiasticam auctoritatem Matrimonii vinculum solvatur. Sed inter hos numquam enumeratum est Matrimonium ratum et consummatum. Immo contrarium disserte declaratur in titulo de conversione coniugatorum (l. 3, tit. 32). Ita in c. 1: „Utrum laicus uxoratus, qui praesentibus sacerdotibus et monachis, ignorante episcopo, de licentia et permissione uxoris monasterium ingressus professionem fecit, uxore in saeculari habitu remanente nec transeunte ad religionem aut perpetuam continentiam vovente, ab episcopo possit ad torum revocari uxoris, an illa compellenda sit continentiam observare, dicimus, quod, nisi uxor ad religionem transierit aut perpetuam castitatem servare promiserit, vir potest et debet de monasterio revocari.“ In c. 13 statuitur: „Cum vir et uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti possit ad Deum et altera in saeculo remanere, profecto non est alter coniugum recipiendus ad observantiam regularem, nisi reliquis perpetuam continentiam repromittat.“

819. *Ratio, ob quam Deus voluerit Matrimonium ratum et consummatum esse prorsus indissolubile, neque ex ratione Matrimonii consummati tantum neque ex ratione solius Sacramenti repeti potest. Nam Matrimonium etiam consummatum infidelium solvi potest, quia non est Sacramentum, ex c. „Quando“ de divort. (Denzinger l. c. 351) Matrimonium ratum vero solvi potest, quia coniuges non sunt una caro effecti, ut vidimus in Prop. LXI. Ergo ratio Sacramenti et ratio Matrimonii consummati concurrere debent ad efficiendam perpetuam indissolubilitatem.*

820. *Itaque varios gradus indissolubilitatis Matrimonii distinguere possumus, secundum quod plus minusve perfecta significatio Matrimonio inest. Videlicet cum Matrimonium sit signum unionis Christi cum ecclesia, haec unio perfectius repraesentatur per Matrimonium ratum, quam per matrimonium legitimum tantum, quia Matrimonium ratum est signum gratiae, qua Christus cum ecclesia unitur, et theoreticum et practicum. Porro autem Christus non solum cum ecclesia unitur spiritualiter per vinculum gratiae, sed etiam corporaliter per incarnationem. Haec vero coniunctio repraesentatur praecipue per ipsam copulam, qua duo perfectius fiunt una caro quam per solum contractum conjugalem. Quia igitur mystica illa significatio perfectissime adest in solo Matrimonio rato et consummato, ideo hoc est maxime indissolubile et per solam mortem corporalem solvitur; minus perfecte adest in matrimonio rato tantum, quod in vinculo spirituali consistit et ideo morte spirituali professionis religiosae solvitur vel auctoritate*

pontificis, quando solutio huius vinculi est altius bonum spirituale quam eius conservatio. Minime perfecte adest in solo matrimonio legitimo, quod secundum interna constituenta manet in ordine naturali et ideo solvi potest, ut nectatur perfectius vinculum supernaturale. „Discrimen ergo erit in modo repraesentandi, sed res repraesentata eadem est. Porro quoniam indissolubilitas Matrimonii potissimum pendet ex re significata, oportebat, ut illud Matrimonium esset prorsus indissolubile, etiam extrinsece, quod perfecto modo repraesentat unionem indissolubilem Christi cum ecclesia per carnem assumptam. Tale autem est Matrimonium Sacramentum consummatum. Ratione ergo rei significandae cum aliquod Matrimonium indissolubile esse oporteret, sicut indissolubilis est prorsus unio Christi cum ecclesia, tale est Matrimonium christianum consummatum, quod ad eam rem significandam aptissime conducit. Cf. c. „Debitum“ de bigamis et S. Thomas q. 61, a. 2, ad 1“ (Palmieri, De Matrim. p. 202 sqq.). Haec igitur summa indissolubilitas partim est ex natura rei, quia Matrimonium naturaliter est indissolubile, nisi Deus dispenset; partim ex ratione Sacramenti, ob quam Deus abrogavit possibilitatem dissolutionis pro Matrimonio consummato Christianorum (cf. Tanner, De Matrim. disp. 8, q. 5, dub. 3).

ART. II.

DE VINCULO EXCLUSIVO SACRAMENTI MATRIMONII.

Prop. LXIII. *Sacramentum Matrimonii efficit vinculum exclusivum, quo durante coniuges inhabiles fiunt ad secundum Matrimonium cum aliis personis.*

821. Hactenus vidimus coniuges Sacramento Matrimonii ita inter se uniri, ut separari non possint. Nunc quaestio fit, num maritus post primum Matrimonium inire possit Matrimonium cum secunda muliere, immo cum pluribus; et similiter, num mulier se iungere possit pluribus viris. Haec unio unius cum pluribus vocatur *polygamia*, quae dividi potest in polyandriam, i. e. matrimonium unius mulieris cum pluribus viris; et polygyniam, i. e. matrimonium unius viri cum pluribus mulieribus.

Dividi iterum potest polygamia in *polygamiam successivam et simultaneam*. Illa habetur, si soluto vinculo prioris Matrimonii novum initur; haec, si manente vinculo priore simul alterum Matrimonium contrahitur. Loquimur hic de polygamia simultanea, quam dicimus Sacramento Matrimonii prorsus excludi.

822. Lutherus ad c. 16 Gen. dicit: Habere plures uxores ad exemplum Abrahae neque praeceptum neque prohibitum esse, et quamvis nolit ipse novam consuetudinem introducere, non magis se improbare, si quis velit exempla Patrum sequi. Et iterum: „Quod circa matri-

monium in lege Moysis fuit permissum, evangelium non revocat aut vetat, quod externum regimen non immutat, sed affert aeternam iustitiam" (*De Wette* 5, 241). Attamen haec doctrina plerumque reicitur a Protestantibus (cf. *Bellarm.*, De Matrim. c. 10).

823. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

a) Christus revocans Matrimonium ad primitivam institutionem ait: „Non legistis, quia, qui fecit hominem, masculum et feminam fecit eos et dixit: Propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo (*οί δύο*) in carne una? Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet" (*Matth.* 19, 4 sqq.).

Ergo secundum legem Christi duo, non plures, in Matrimonio debent fieri una caro; quare apostolus quoque, ubi Matrimonium commemorat, semper de uno viro et de una muliere loquitur (*Rom.* 7, 2. 3; *1 Cor.* 7, 10. 11; *Eph.* 5, 31).

b) Christus ait: „Dico vobis, quia, quicumque dimiserit uxorem suam . . . et aliam duxerit, moechatur" (*Matth.* 19, 9).

Ergo, qui praeter primam uxorem, quam duxit, simul aliam ducit, moechatur, i. e. adulterium committit. Ergo matrimonium cum secunda muliere attentatum est invalidum; secus enim non committeretur adulterium.

824. Caietanus quidem vult „legem de unitate uxoris nullibi in canonicis libris esse scriptam" (*In Marc.* 10, 11), et in *1 Tim.* 3, 2 notat: „Tunc temporis multi plures uxores habebant, imitantes Patres Veteris Testamenti, cum nullibi legamus hoc prohibitum." Haec dicta pertinent ad alienas Caietani opinionationes. Ceterum nullibi docuit Caietanus licere Christianis habere plures uxores, cum in *Matth.* 19, 9 afferat legem ecclesiasticam, „quod non licet habere plures uxores."

825. *Arg. 2. Ex SS. Patribus.*

Athenagoras: „Ut quisque vel qualis natus est, maneat, vel unicis in nuptiis. . . . Quicumque enim dimiserit, inquit [Christus], uxorem suam et aliam duxerit, moechatur, nec eam dimitti sinens, cuius virginitati quis finem imposuit, nec aliam insuper ducere" (*Legatio pro Christian.* n. 33; *M* 6, 967).

S. Theophilus Antioch.: Apud Christianos „temperantia adest, continentia exercetur, monogamia servatur, custoditur castitas" (*Ad Autolyc.* l. 3, n. 15; *M* 6, 1142).

Minutius Felix: „Unius Matrimonii vinculo libenter inhaeremus. Cupiditatem procreandi aut unam scimus aut nullam" (*Octav.* c. 31, ed. Halm. p. 45).

Clemens Alex.: „Dominus, dum vetera renovat, non amplius concedit polygamiam . . . sed monogamiam propter liberorum procrea-

tionem et domus curam, ad quam data est mulier adiutrix" (*Strom.* l. 3, c. 12; *M* 8, 1183).

S. Ambrosius: „Non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere, nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est adulterii" (*De Abraham* l. 1, c. 7; *M* 14, 442).

Idem docent omnes theologi cum *Magistro* 4, d. 33.

826. *Arg. 3. Ex legislatione ecclesiastica.*

Nicolaus I.: „Duas tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanae condicionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit" (*Ad consulta Bulg.* c. 51; *M* 119, 999).

Innocentius III.: „Pagani circa plures insimul feminas affectum dividunt coniugalem. . . . Verum absonum hoc videtur et inimicum fidei christianae, cum ab initio una costa in unam feminam sit conversa, et Scriptura divina testetur, quod propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una; non dixit tres vel plures, sed duo, nec dixit uxoribus, sed uxori. . . . Sane veridica etiam sententia probatur de testimonio veritatis testantis in evangelio: „Quicumque dimiserit uxorem. . . ." Si ergo uxore dimissa duci alia de iure non potest, fortius et ipsa retenta; per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia iudicentur, circa Matrimonium reprobendam" (*Decret. Greg.* l. 4, tit. 19, c. 8; cf. *ibid.* *Decret. Alex. III.* et *Conc. Milevit.* [a. 417] c. 17).

827. *Arg. 4. Ex doctrina Conciliorum.*

Conc. Lugdun. II. in confess. fidei Michaelis Palaeologi: „De Matrimonio tenet, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros" (*Denzinger* l. c. 388).

Conc. Trid. sess. 24, can. 2: „S. q. d. licere Christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege divina esse prohibitum, A. S." (*Denzinger* l. c. 848.)

828. *Arg. 5. Ex ratione congrua.*

Ut appareat, qua ratione unitas conveniat Matrimonio, distinguendum est triplex bonum Matrimonii: proles, fides, Sacramentum.

829. a) Quantum ad *bonum prolis* polygynia non absolute repugnat iuri naturae, quia unus vir sufficit ad gignendam prolem ex pluribus uxoribus eamque educandam, quamvis educatio sine dubio difficilior fiat; polyandria vero repugnat, quia saepissime impedit generationem prolis eamque semper periculo maximo exponit. Ideo polyandria semper est illicita; polygynia autem aliquando ex dispensatione Dei erat licita, quamdiu sel. multiplicatio populi Dei imprimis erat neces-

saria, quare patriarchis plures uxores habere licuit. Ita docet S. Augustinus: „Tum ipsius pietatis erat operatio, etiam carnaliter filios propagare, quia illius populi generatio nuntia futurorum erat et ad dispensationem prophetica pertinebat. Ideoque non sicut uni viro plures habere licebat uxores, ita uni feminae plures viros, nec prolis ipsius causa, si forte illa parere posset, ille generare non posset. Occulta enim lege naturae amant singularitatem, quae principantur. . . . Ita duobus seu pluribus maritis vivis nullam legimus servisse sanctarum; plures autem feminas uni viro legimus, cum gentis illius societas sinebat et temporis ratio suadebat. Neque enim contra naturam nuptiarum est. Plures enim feminae ab uno viro foetari possunt, una vero a pluribus non potest (haec est principiorum vis); sicut multae animae uni Deo recte subduntur. Ideoque non est verus Deus animarum nisi unus, una autem anima per multos falsos deos fornicari potest, non fecundari“ (De bono coniug. c. 17, n. 20; M 40, 387).

830. b) *Bonum fidelitatis* polygamia non quidem totaliter tollitur, quia potest una familia constitui ex uno viro ut capite et pluribus uxoribus (non vero vice versa, quia unum debet esse caput), attamen multum impeditur solet; „cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem; sicut figuli corrixantur ad invicem, et similiter plures uxores unius viri“ (S. Thomas, Suppl. q. 65, a. 1). Pacem familiae facile turbari per multitudinem uxorum iam constat ex historia patriarcharum. Neque polygamia aptum remedium concupiscentiae est. Ergo polygamia secundariis praeceptis legis naturae contraria est, ideoque sine dispensatione divina simultaneum matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus invalidum est (Tanner, De Matrim. disp. 8, q. 4, dub. 6, n. 99). Christus unitatem Matrimonii non instituit, sed docuit, ut ait *Tridentinum* sess. 24 (Denzinger l. c. 846).

831. c) *Bonum Sacramenti* quoad potiore partem significationis destituitur per polygamiam, quia non significatur coniunctio unius Christi cum uno corpore mystico ecclesiae; et remanet sola significatio coniunctionis Christi cum fidelibus singulis nondum in unam ecclesiam adunatis. Cum igitur post Christi adventum Matrimonium sit signum actualis unionis, quae existit inter ecclesiam et Christum, ideo ob hanc sacramentalem significationem omnino abrogata est licentia habendi plures mulieres (cf. S. Thomas, Contra gent. l. 4, c. 78). Quae quidem licentia, quia olim Iudaeis data est, eo ipso gentilibus data fuisse merito dicitur, quia secus Iudaei gentilibus perpetuo scandalo fuissent, quamvis quidam theologi hoc negent (Tanner l. c. n. 104). Nunc vero lege Christi abrogata est pro universo genere humano, quia Christus Matrimonium simpliciter ad primitivam institutionem,

quae ad omnes homines spectabat, revocavit, neque amplius ratio, ob quam licentia ad gentes extendebatur, subsistit. Ceterum gentes, si bona fide plures ducunt uxores, solum materialiter peccare manifestum est.

De hac significatione Sacramenti Matrimonii ita loquitur S. Augustinus: „Quoniam ex multis animis una civitas futura est habentium animam unam et cor unum in Deum, quae unitatis nostrae perfectio post hanc peregrinationem futura est. . . . propterea Sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad unum virum et ad unam uxorem redactum est, ut ecclesiae dispensatorem non liceat ordinare nisi unius uxoris virum. . . . Sicut ergo Sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis [V. Test.] significavit futuram multitudinem Deo subiectam in terrenis omnibus gentibus, sic Sacramentum nuptiarum singularium nostri temporis significat unitatem omnium nostrum subiectam Deo futuram in una caelesti civitate. . . . In nostrum quippe nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti quam fecunditas uteri“ (De bono coniug. c. 18; M 40, 387)¹.

Itaque secundae nuptiae, quas quis init post divortium iure civili factum, semper sunt turpis concubinatus.

832. Schol. De variis significationibus vocabuli concubinae.

Cum mulieres, quas multi in *Vetere Testamento* praeter primam uxorem habuisse leguntur, saepe nomine concubinae (שִׁבְיָה) vocentur, nonnulli concluderant illas mulieres non fuisse veras uxores, et consequenter ne in *Vetere* quidem Testamento polygamiam fuisse licitam, sed pluralitatem uxorum semper fuisse adulterium, quod excusari fortasse possit pro istis temporibus, sed obiective semper fuerit peccatum.

¹ Alibi S. Augustinus haec scribit: „Rursum quaeritur, utrum, si uxoris permissu sive sterilis, sive quae concubitum pati non vult, adhibuerit sibi alteram vir, non alienam neque a viro seiunctam, possit esse sine crimine fornicationis. Et in historia quidem Veteris Testamenti invenitur exemplum; sed nunc praecepta maiora sunt, in quae per illum gradum generatio humana pervenit. Tractanda illa sunt ad distinguendas aetates dispensationis divinae providentiae, quae humano generi ordinatissime subvenit, non autem ad vivendi regulas usurpandas. Sed tamen utrum, quod ait apostolos: „Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier“, possit in tantum valere, ut, permittente uxore, quae maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quae nec aliena uxor sit nec a viro disiuncta, concubere. Sed non ita est existimandum, ne hoc etiam femina, viro permittente, facere posse videatur, quod omnium sensus excludit.“ Dein narrat, quomodo Antiochiae mulier ad servandam mariti vitam, cum eius permissione, alterius libidini cesserit. Quo facto narrato ita concludit: „Nihil hinc in aliquam partem disputo; liceat cuique aestimare, quod velit; non enim de divinis auctoritatibus deprompta historia est, sed tamen narrato facto non ita respuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere, viro iubente, commissum est, quemadmodum antea, cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus“ (De serm. in monte l. 1, n. 49 sq.; M 34, 1253).

Verum haec sententia admitti nequit, tum quia incredibile est tales viros, quales fuerunt Abraham et alii patriarchae, aut ignorasse malitiam adulterii, aut non obstante hac notitia per totam fere vitam in adulterio vixisse; tum quia S. Scriptura non loquitur de hoc agendi modo ut de re detestanda, sed potius ut de re a Deo permissa (Deut. 21, 15 sqq. Cf. 25, 5 sqq. 2 Reg. 12, 8. Gal. 4, 22 sqq.). Praeterea non omnes mulieres post primam ductae vocantur concubinae; ita Lia et Rachel pari modo fuerunt coniuges. Porro excessus quidem in numero mulierum, sicut et in aliis rebus, interdicitur (Deut. 17, 17), unitas autem numquam praescribitur.

Recte igitur alii docent *plures uxores habere veteribus licuisse*. Quamvis enim haec res sit contra secundaria praecepta legis naturae, quia est modus minus conveniens finibus Matrimonii, nihilominus Deus potuit in hac re dispensare et reapse dispensavit, licet viam, qua hanc dispensationem cum hominibus communicavit, ignoremus, sive fuit locutio externa, sive inspiratio interna. Tempus autem dispensationis fuit probabiliter post diluvium, quia tunc diminutioni generis humani cito medendum erat. Ita post SS. Patres theologi communiter docent, ut S. Thomas (Suppl. q. 65, a. 2), Bellarminus (De Matrim. c. 11).

Itaque *quaedam uxores vocantur concubinae, non quasi non sint legitimae coniuges, sed quia non admittebantur ad societatem omnium bonorum neque ad totius domus gubernationem*. Hae igitur solum ducebantur ad filios ex iis legitime procreandos et educandos. In quo casu nomen concubinae significat uxorem, quae ad parem socialem condicionem atque uxor ingenua non admittebatur.

833. *Hoc sensu vox illa concubinae transit etiam ad veteres scriptores christianos et ad ipsum ius ecclesiasticum*. Ita Synodus Toletana I. (a. 400) c. 17 statuit: „Si quis habens uxorem fidelem concubinam habeat, non communicet. Ceterum is, qui non habet uxorem et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tantum ut unius mulieris aut uxoris aut concubinae, ut ei placuerit, sit coniunctione contentus.“ Quem canonem Gratianus in decretum transsumpsit (d. 34, c. 4), cui alium eiusdem tenoris ex Isidoro adiunxit (c. 5). His igitur locis concubina intellegitur mulier, cum qua vir iniit verum Matrimonium, sed sine „instrumentis dotalibus“, ut aiunt, quare coram lege civili concubina non potiebatur plenis iuribus uxoris. Talia Matrimonia posterioribus temporibus ea sunt, quae dicuntur „ad legem salicam“, vel „ad morganicam“, quia uxor et filii non habebant integrum ius hereditarium, sed ius certae cuiusdam dotis antea constitutae (Morgengabe, unde „ad morgengabicam vel morganicam“, „Ehen zur linken Hand“).

834. *Aliis vero locis apud scriptores ecclesiasticos concubina nihil aliud est nisi illegitima pellex, quo sensu nunc plerumque accipi solet vox*

concubinatus. Ita S. Leo (Ep. ad Rusticum c. 167, n. 4) scribit: „Aliud est uxor, aliud concubina. . . . Igitur cuiuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam coniugato dederit“ (M 54, 1205). Ergo hic vox concubinae sumitur malo sensu (cf. Palmieri, De Matrim. p. 337). Quando enim vir ancilla utebatur ut uxore, neque tamen eam coram lege ingenuam fieri neque publicis nuptiis honestare volebat, habebatur haec res tamquam concubinatus fornicarius, non matrimonium. Unde S. Leo in eadem Epistula (n. 6) ait: „Ancillam a toro abicere et uxorem certae ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugis, sed profectus est honestatis.“

Itaque si nomen concubinae apud scriptores ecclesiasticos occurrit, distinguendum est, utrum loquantur de Matrimonio vero an de re fornicaria (cf. Palmieri, De Matrim. p. 122 sqq.).

Prop. LXIV. Solutio vinculo prioris Matrimonii novae nuptiae licitae sunt.

835. *Nota*. Sicut praecedenti thesi ostendimus, polygamiam simultaneam prohibitam esse, ita hac thesi ostendendum est *polygamiam successivam* licitam esse. Plerumque vinculum prioris Matrimonii solvitur morte alterutrius coniugis. Quamvis autem thesis extendenda sit etiam ad eos casus, in quibus vinculum Matrimonii alio modo solvitur, quia hos casus iam consideravimus, sufficit hic agere de licetate novi Matrimonii post mortem prioris coniugis.

836. *Polygamiam successivam damnarunt Montanistae*, quorum errorem defendit Tertullianus libro De monogamia, hoc sophismate nixus: Sacerdotibus interdicta est polygamia successiva. Atqui omnes Christiani vocantur sacerdotes. Ergo. Errorem Montanistarum postea suum fecerunt Novatiani.

„Orientales polygamiam quoque successivam, i. e. plures nuptias successive initas reprobant; pro secundis quidem nuptiis habetur in Euchologiis praescriptus ritus, quas tamen ipsas post 45. aetatis annum reprobant; tertiae nuptiae censurae ecclesiasticae subiciebantur, quartae vero tamquam brutales damnabantur. . . . Iuxta hodiernam praxim episcopi dispensatione subvenitur, dum ea petitur, cum secus post Conc. Florent. plures successivae nuptiae prohibita non sint“ (Enchiridion iur. eccl. orient. cath. auct. I. Papp-Szilágyi de Illyesfalva [M.-Varadini 1862] p. 414).

Non negamus posse ecclesiam sua prohibitione invalidam reddere polygamiam successivam, id quod in ecclesia graeca quoad nuptias quartas statutum est a Nicolao I. patriarcha constantinopolitano (cf. De Augustinis, De Matrim. p. 249 sqq.). Sed negamus polygamiam successivam iure divino esse aut invalidam aut illicitam. Immo nunc

nullibi iam videtur subsistere ulla prohibitio ecclesiastica dirimens Matrimonii tertii et ulterioris.

837. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

S. Scriptura nusquam secundas vel tertias vel ulteriores nuptias prohibet, sed potius indefinite declarat post mortem coniugis novas nuptias licitas esse. „Dico autem non nuptis et viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Quodsi non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri. . . . Mulier alligata est viro, quanto tempore vir eius vivit; quodsi dormierit vir eius, liberata est; cui vult, nubat, tantum in Domino“ (1 Cor. 7, 8. 9. 39). „Nam quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro“ (Rom. 7, 2. 3). — Immo propter periculum incontinentiae vult apostolus viduas „iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Iam enim quaedam conversae sunt retro satanam“ (1 Tim. 5, 14. 15).

838. *Arg. 2. Ex SS. Patribus.*

SS. Patres saepe quidem valde suadent viduis, ne iterum nubant, numquam autem dicunt secundas aut ulteriores nuptias esse invalidas vel illicitas.

Hermas: „Dic, si vir vel mulier alicuius decesserit, et nupserit aliquis eorum, numquid peccat? Qui nubit, non peccat“ (Mand. 4, n. 4; F 1, 399).

S. Ambrosius: „Non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus saepe repetitas“ (De viduis c. 11; M 16, 254).

S. Hieronymus Ageruchiam viduam iuniorem vehementer dehortatur a secundis nuptiis; nihilominus addit: „Quid igitur? Damnamus secunda Matrimonia? Minime, sed prima laudamus. Abicimus ab ecclesia digamos? Absit, sed monogamos ad continentiam provocamus“ (Ep. 123 [al. 11] n. 9; M 22, 1033). „Erubescat calumniator meus, dicens me prima damnare Matrimonia, quando legit: Non damno digamos et trigamos et, si dici potest, octogamos“ (Ep. 48 ad Pammach. n. 9; cf. n. 18; M 22, 499. 507).

S. Augustinus: „De tertiis et quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Unde et breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare. . . . Quis enim sum, qui putem definiendum, quod nec apostolum video definivisse? Ait enim: „Mulier alligata est, quamdiu vir eius vivit.“ Non dixit primus aut secundus aut tertius aut quartus, sed „mulier, inquit, alligata est, quamdiu vir eius vivit; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est;

cui vult, nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit. Quid huic sententiae, quantum ad hanc rem attinet, addi vel detrahi possit, ignoro“ (De bono vid. c. 12; M 40, 439).

Clemens Alex.: „Si cui apostolus propter intemperantiam et unctionem veniam secundi concedit Matrimonii . . . hic quoque non peccat quidem ex Testamento (non est enim lege prohibitus); non implet autem summam illam vitae perfectionem, quae agitur ex evangelio“ (Strom. l. 3, c. 12; M 8, 1183). Cf. S. Gregor. Naz., Or. 29, n. 18 (M 36, 98); S. Epiphani., Haer. 59 etc.; Sardagna, De Matrim. n. 368.

Si quidam SS. Patres durissimis verbis vituperant tertias et quartas nuptias easque dicunt fornicationes peiores, ut S. Basilius c. 188 ad Amphil., hoc est, quia in iis vident magnae incontinentiae signum; numquam autem dixerunt tales coniuges ex lege divina separandos esse, sed paenitentia punitos volunt ad communionem admitti. Ita Basil. (l. c. c. 4; M 32, 674). Cf. Palmieri (De Matrim. p. 101 sqq.).

839. *Arg. 3. Ex definitionibus ecclesiae.*

Conc. Nicaenum I. c. 8: Catharos iubet admitti ad ecclesiam per impositionem manuum. „Ante autem omnia haec in scriptis ipsos profiteri convenit, quod adhaerebunt et sequentur catholicae ecclesiae decreta, i. e. et cum digamis communicabunt et cum iis, qui in persecutione lapsi sunt“ (Denzinger l. c. 19).

Conc. Lugdun. II. in confessione fidei Michaelis Palaeol.: „Solutio legitimo Matrimonio per mortem coniugum alterius secundas et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum aliud ex causa aliqua non obsistat“ (Denzinger l. c. 388).

Eugenius IV. in Decreto pro Iacobitis: „Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tamquam condemnatas respuere, ne peccatum, ubi non est, esse putetur, cum secundum apostolum mortuo viro mulier sit ab eius lege soluta et nubendi, cui vult, habeat potestatem, nec distinguat mortuo primo vel secundo vel tertio, declaramus non solum secundas, sed tertias et quartas et ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a coniugiis abstinentes in castitate permanserint, quia, sicut viduitati virginitatem, ita nuptiis castam viduitatem laude et merito protuendam esse censemus“ (Harduin. t. 9, col. 1028).

Similiter Benedictus XIV. in duabus Constitutionibus datis pro ecclesia orientali declarat secundas, tertias, quartas nuptias esse licitas, nisi aliud impedimentum obstat. „Secundas et tertias et ulteriores etiam nuptias Graeci non condemnent, sed illas tamquam legitimas et validas approbent inter personas, quae alias licite de iure ad invicem Matrimonio iungi possunt“ (Constit. „Etsi pastoralis“ d. 25. Mai. 1742, § 8, n. 3. Cf. Constit. „Eo quamvis tempore“ d. 4. Mai. 1745, §§ 28. 29).

Porro etiam *praxis ecclesiae* hanc doctrinam confirmat, neque sana ratio dissentit, quia nuptiae secundae et posteriores per se cum nullo fine sive primario sive secundo Matrimonii pugnant. Ut autem licitum sit Matrimonium secundum, moraliter certa esse debet mors prioris coniugis. Quodsi non constat de morte mariti absentis, inquisitio (per Ordinarium) instituenda est (cf. *Schmalzgrueber* p. 4, tit. 21 de secundis nuptiis, § 1).

SECTIO IV.

DE SUBIECTO ET DE NECESSITATE SACRAMENTI MATRIMONII.

Prop. LXV. Subiectum ad Sacramentum Matrimonii valide et licite ineundum sunt Christiani adulti, habiles, nondum ligati, in contrahendo liberi, nulla lege ecclesiastica impediti.

840. 1. *Sacramentum Matrimonii recipere non possunt nisi Christiani*, quia sine Baptismo nullum Sacramentum. Probabilius, ut supra diximus, adest in contrahente fidei Sacramentum, etsi altera pars contrahens non sit christiana; neque umquam ecclesia putavit Matrimonium inter Christianum et non-Christianum per se esse nullum. Talia Matrimonia, in quibus intercedit disparitas cultus, suis temporibus non rara fuisse testatur *S. Hieronymus* in l. 1 Contra Iovianum. Sanctam Monicam gentili nupsisse refert *S. Augustinus* in Confessionibus. Hodie quoque „apostolica sedes consuevit, iustis intercedentibus causis . . . coniugium permittere inter fidelem et infidelem apud barbaras gentes, quae ad christianam religionem convertuntur“ (*Perone*, De Matrim. II, 333, qui varia exempla huius concessionis affert).

841. Ceterum *iure divino naturali per se illicitum est matrimonium fidelis cum infideli*, et sola ratione necessitatis alicuius excusari potest. Ideo apostolus gravissimis verbis Christianos hortatur, ne talia matrimonia ineant (1 Cor. 7, 39; 2 Cor. 6, 14). Nam cum Matrimonium sit ad propagandos cultores Dei, huic fini non mediocriter repugnat inhabilitas alterius parentis prolem in fide catholica educandi; immo periculum perversionis, saltem ad indifferentismum in rebus religionis, vix umquam plane aberit. Mutua quoque inter coniuges amicitia et plena confidentia in periculum vocatur, immo impossibilis fit. Haec incommoda graphice describit Tertullianus: „Quis enim dubitet obliterari cotidie fidem commercio infideli? Bonos corrumpunt mores confabulationes malae; quanto magis convictus et individuus usus. Quaevis mulier fidelis Dominum observet necesse est. Et quomodo potest duobus dominis deservire, Domino et marito, adde gentili? Gentilem enim observando gentilia exhibebit formam, exstructionem,

munditias saeculares, blanditias turpiores, ipsa etiam Matrimonii secreta maculosa; non ut penes sanctos officia sexus cum honore ipsius necessitatis tamquam sub oculis Dei modeste et moderate transiguntur. Sed viderit, qualiter viro officia pendat. Domino certe non potest pro disciplina satisfacere, habens in latere diaboli servum, procuratorem domini sui ad impedienda fidelium studia et officia, ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas; si ieiunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat; si procedendum erit, numquam magis familiae occupatio obveniat. Quis enim sinat conjugem suam visitandorum fratrum gratia vicatim aliena et quidem pauperiora quaeque tuguria circuire? Quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo adimi libenter feret? Quis denique sollemnibus Paschae adnoctantem securus sustinebit? Quis ad convivium dominicum illud, quod infamant, sine sua suspicione dimittet? Quis in carcerem ad osculanda vincula martyris reptare patietur? . . .“ (*Ad uxorem* l. 2, c. 3 sqq.; *M* 1, 1293 sqq.). Cf. *S. Hieronym.* l. 1 Adv. Iovinian.

842. Itaque cum Christiani adeo ab his matrimoniis abhorrent, paulatim *consuetudine introducta est lex declarans talia matrimonia invalida et nulla*. „Quodsi obicias nullum esse ius ecclesiasticum irritans matrimonium fidelis cum infideli . . . fatendum quidem est nullum esse textum, quo haec irritatio inducatur, et ita eam non haberi ex lege aliqua ecclesiastica scripta, sed ex receptissimo ecclesiae usu vim legis obtinente et ex apostolorum traditione“ (*Sanchez*, De Matrim. l. 7, disp. 71, n. 8).

*Romani autem pontifices*¹ hanc consuetudinem confirmarunt, eo quod dispensationem ab hoc impedimento concesserunt; postea vero *Benedictus XIV.* speciali Constitutione hanc quaestionem tractavit: „Singulari nobis“, 9. Febr. 1749. Concedit pontifex hoc impedimentum non esse iuris scripti sed consuetudinalis; sed quia nonnulli theologi inde concludebant hoc impedimentum non valere iis locis, quibus consuetudo recepta nondum erat, ipse contrarium statuit, sed addit ab hac universali obligatione posse a romano pontifice dispensationem impetrari pro iis regionibus, in quibus pauci Christiani inter gentiles vivant.

Ut hoc impedimentum adsit, requiritur et sufficit, ut altera pars sit baptizata, sive est catholica sive haeretica sive schismatica sive apostata; et ut altera pars non sit baptizata, sive est idololatra sive mahometana sive iudaica sive catechumena verae fidei (cf. *Bellarm.*, De Matrim. c. 23).

843. 2. *Similiter non sunt apti ad licite contrahendum Matrimonium ii, quorum pars altera est catholica, altera haeretica vel schismatica.*

¹ Posse romanos pontifices impedimenta Matrimonii statuere ex ipsa eorum praxi immediate efficitur. Ceterum in hanc rem infra latius inquiremus.

Similes enim rationes pugnant contra hanc coniunctionem ac contra coniunctionem catholici cum infideli. Nam qui init matrimonium cum haeretico vel schismatico, favorem praestare videtur haeresi vel schismati, subit periculum perversionis, male providet saluti prolis futurae. Immo „cum Matrimonium unum sit ex septem ecclesiae Sacramentis a Christo Domino institutis, idem est Matrimonium contrahere cum haeretico ac unum idemque Sacramentum una cum eodem conficere vel percipere. . . . Utrumque autem illicitum et sacrilegum esse nemo dubitat“ (Benedictus XIV., De Syn. l. 6, c. 5, n. 3). Itaque haec matrimonia iure divino naturali illicita sunt.

Praeterea ecclesia haec matrimonia stricte prohibet, non vero irrita reddit. Ita post alias decisiones Bonifatius VIII. decrevit, ut dote privarentur mulieres, quae scienter nubent haeretico (6. Decret. l. 5, tit. 2, c. 14). Inter posteriores pontifices maxime Benedictus XIV. variis Constitutionibus legem ecclesiasticam inculcavit, quia „Sancta Mater ecclesia semper damnavit atque interdixit haec detestabilia coniugia“ (Constit. circa Matrim. Holland. d. 4. Nov. 1741; Denzinger l. c. 1326. Cf. 1330 et 1463).

844. His non obstantibus *possunt esse eae condiciones, ob quas matrimonium mixtum licite iniri possit.* Nam

- a) possunt esse causae graves, quae hoc suadeant,
- b) potest removeri periculum perversionis et sufficienter provideri catholicae educationi prolis,
- c) potest accedere dispensatio ecclesiae. Quae omnia si concurrunt, nihil iam obstat sive ex parte legis divinae sive ex parte legis ecclesiasticae, quominus tale matrimonium ineatur. Falsum igitur est, quod quidam dicunt, in hoc casu cessare quidem legem ecclesiasticam, manere autem prohibentem legem divinam, ideoque matrimonium mixtum semper esse grave peccatum. Recte autem docet Benedictus XIV.: „Tales concurrere possunt circumstantiae, quae, cum ab eo, qui facultatem dispensandi habet, expensae fuerint, aditum aperiunt concessioni legitima dispensationis, cuius vi matrimonium in partes haeticam unam alteramque catholicam licitum reddatur“ (De Syn. l. 6, c. 5, n. 4). Nam lex ecclesiastica cessat per dispensationem; lex vero divina cessat, quia cessant causae, quibus nititur. Quamdiu enim periculum proximum perversionis aut aliae causae adsunt, ecclesia nunquam dat licentiam. Una difficultas restare videtur quoad communicationem in divinis; sed suppositis supponendis haec communicatio est mere materialis. Pars enim catholica suo iure utens Sacramentum ita praebet, ut haeticus id cum fructu percipere possit, si velit. Materialis autem cooperatio ad aliquid malum licita est, si adsunt sufficientes rationes, quas adesse iudicat ecclesia, si licentiam Matrimonii mixti concedit, et huic iudicio standum est. Neque enim parva iniuria inferretur auctoritati ecclesiae, si haec diceretur non solum

tacendo, sed etiam positive licentiam concedendo permittere, ut fideles ea agant, quae sine peccato gravi fieri non possunt. Quare hanc sententiam Benedictus XIV. ut iniuriosam et temeritatis plenam reicit (De Syn. l. 9, c. 3, n. 3 et 4). Potest tamen accidere, ut ecclesia revera non det positivam licentiam, sed solum ad maiora mala vitanda minus malum toleret; ceterum hoc ecclesia semper satis clare manifestabit, neque haec exceptio pro regula statuenda est.

845. *Dispensationem autem concedendi nemo potestatem habet nisi romanus pontifex, qui tamen hanc facultatem cum episcopis non raro communicare solet.* Sola autem consuetudine matrimonia mixta licita evadere non possunt, ut docet idem Benedictus XIV. (l. c. n. 2) et saepe pontifices declararunt, ut. e. g. Gregorius XVI. (Denzinger l. c. 1479). Ceterum ecclesia, etiamsi permittit interdum matrimonia mixta, tamen omnia diligenter cavet, quibus iisdem favorem praestare videri possit, ideoque sacerdotem iubet ut testem tantum assistere, benedictionem autem et missam prorsus omittere, nisi pro aliqua regione expressa exceptio statuatur (Denzinger l. c. 1484. Benedictus XIV., De Syn. l. 6, c. 5, n. 5).

846. 3. *Subiectum capax Matrimonii non est nisi adultus, i. e. is, qui habet sufficientem rationis usum ad ineundum contractum matrimonialem et simul notitiam rei, de qua agitur.* Nam sine usu rationis aut sine sufficienti notitia rei nullus contractus valide iniri potest. Hinc amentes et ii, qui hic et nunc usus rationis incapaces sunt, Matrimonium valide inire non possunt.

Disputatur autem inter theologos, utrum sufficiat actualis usus rationis cum sufficienti notitia rei, *an requiratur etiam pubertas, i. e. potestas actus coniugalis.* Sed dicendum est sufficere per se et vi legis naturalis usum rationis sine pubertate. Nam sicut quis valide promittere potest summam pecuniae, quam nondum habet, sed postea habiturus est, ita impubes tradere potest potestatem in corpus suum, licet actu aptus non sit ad usum huius potestatis concedendum (cf. Sanchez, De Matrim. l. 7, disp. 104, n. 9).

847. *Nihilominus ecclesia statuit, ut impuberes inhabiles sint ad Matrimonium contrahendum.* Puella autem pubertatem assequi censetur post annum duodecimum completum, et puer post annum quartumdecimum completum, ut constat ex Decret. Gregor. l. 4, tit. 2, c. 6 et c. 10. Debere autem esse annum completum patet ex c. 14, ubi nullum declaratur matrimonium puellae, quae „circiter 12 annos habebat.“ In eodem capite haec restrictio additur, „nisi prudentia supplet aetatem.“ Haec vero prudentia non intellegitur sola discretio, sed etiam potentia generandi, ut habetur in c. 9: „Si ita fuerint aetati proximi, quod potuerint copula carnali coniungi, minoris aetatis intuitu

separari non debent, si unus in alium visus fuerit consensisse, cum in iis aetatem malitia supplevisse videatur." Et c. 3: "Certum est eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit et generare iam potest." Hinc tamen inferendum non est licere umquam sine speciali permissione ante legitimam aetatem, aut licere semper statim post legitimam aetatem Matrimonium inire, cum ea aetas ex natura rei postuletur, quae sufficiat ad onera Matrimonii ferenda. Matrimonia autem ante legitimam aetatem inita habentur pro sponsalibus, a quibus recedere sponsis non licet, nisi postquam ad annos pubertatis pervenerint (l. c. c. 14).

848. 4. *Eos, qui sunt sub tutela parentum, non debere sine horum consensu Matrimonium inire* naturalis aequitas dicit; neque tamen iniustum dissensum parentum filii sequi tenentur, neque obligantur ad Matrimonium ineundum contra suam inclinationem, ut parentibus placeant, quia in hoc plena libertas servari debet. "Unde non tenentur filii parentibus oboedire de Matrimonio contrahendo" (S. Thomas 2, 2, q. 104, a. 5). Quare multi docent filios debere quidem petere consilium parentum, at eos non debere illud necessario sequi (*Sanchez* l. 3, d. 23, n. 10). *Conc. Trid.* docet: "Sancta Synodus anathemate damnat. . . , qui falso affirmant Matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus sancta Dei ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit" (sess. 24, de reform. matrim. c. 1).

849. 5. Porro *Matrimonium, quia est contractus, ad suam validitatem supponit eam rem, de qua est contrahendum, vel in re vel in spe subsistere.* Res autem, de qua contrahitur, est ius copulae carnalis. Ergo qui (sive absolute sive relative) ineptus est ad copulam et quidem sine spe curationis, non est subiectum capax Matrimonii (saltem cum hac persona, relate ad quam est impotens). Hoc impedimentum est iuris naturalis, sed exactius definitum lege ecclesiastica (*Decr. Greg.* l. 4, tit. 15) et alibi explicandum. Si vero Matrimonium factum est inter personas habiles, et postea superveniat impotentia, non magis solvitur contractus coniugationis, quam solvitur contractus emptionis, si res rite empta postea corrumpitur.

850. 6. Praeterea ut quis possit potestatem in aliquam rem tradere, *contrahens debet libere disponere posse de ea re.* Ergo qui potestatem in corpus iam alteri tradidit, ineptus est ad eam tertio dandam. Similiter qui iure tradendi hanc potestatem se abdicavit per votum, non potest amplius hoc iure uti. Unde oriuntur impedimenta ligaminis et voti, quae diverso modo Matrimonio obsunt. Impedimentum ligaminis eatenus obest, quatenus Matrimonium postulat unitatem, de qua re iam supra diximus. Votum sollemne professionis et ordinis ex iure ecclesiastico

est impedimentum dirimens (*Conc. Trid.* sess. 24, can. 9); alia vota sunt impedimenta impediencia tantum, et hoc ex iure naturali, ut patet.

851. 7. Porro, ut quis contractum matrimonialem inire possit, *debet cum sufficienti libertate agere*, id quod non fit, si vel decipitur errore, vel vi et metu cogitur.

Error autem, ut obstet validitati Matrimonii, debet esse substantialis, i. e. vel versari circa ipsam personam vel in personam redundare, ita ut contrahens potestatem in corpus suum nolit tradere nisi personae tali modo a se specificatae secundum individuum qualitatem, quae qualitas abest ab ea persona, cum qua contractus fit. Ex iure ecclesiastico semper censetur error substantialis, si versatur circa servilem condicionem alterius partis.

Similiter *vis et metus* gravis irritant Matrimonium, si extrinsecus incutiuntur iniuste ad Matrimonium extorquendum. Potest quidem accidere, ut talis vis et metus faciant aliquem plane ineptum ad Matrimonium solo iure naturali, si scilicet eo quis redigeretur, ut incapax esset ad liberum consensum ponendum. Sed quia minime facile est diiudicare, utrum ob vim et metum aliquod Matrimonium iure naturae irritum sit necne, ecclesia satius duxit legem naturae ita explicare vel extendere, ut nemo, qui sub metu gravi sit, possit Matrimonium valide inire, etsi velit (*Decret. Greg.* l. 4, tit. 1, c. 14 et c. 28. Cf. *Sanchez*, De Matrim. l. 4, disp. 14).

Ad impedimenta, quae oriuntur ex defectu libertatis, etiam reducendum est impedimentum raptus, ob quod *Conc. Trid.* (sess. 24, de reform. matrim. c. 6) declaravit nullum Matrimonium initum, quamdiu rapta est sub potestate raptoris.

852. 8. Tandem iure naturae *Matrimonium iniri nequit inter eas personas, quae ex natura rei sine detrimento morum coniuges fieri non possunt.* Unde apud omnes theologos compertum est Matrimonium in primo gradu *consanguinitatis* lineae rectae ipso iure naturae esse invalidum, quia laedit valde reverentiam a filiis parentibus debitam, et quia possibilitas matrimonii viam aperiret continuis criminibus inter parentes et filios, qui in eadem societate arctissimo vinculo nexi simul vivere debent. Hinc vix non apud omnes gentes talia matrimonia nefanda habentur. Propter has duas ultimas rationes plerumque etiam censent, matrimonium inter fratres et sorores iure naturae esse nullum; et dubium non est, quin naturaliter horreant tale matrimonium homines moribus non corrupti. Quare ecclesia in his gradibus numquam dispensat, et infideles in his gradibus coniuncti separandi sunt, si ad fidem convertuntur. Neque tamen aderat hoc impedimentum tum, cum coniunctio fratrum et sororum necessaria erat ad conservationem generis humani, ut inter primos homines. Neque opus tunc erat divina dispensatione, quia ob illas speciales circumstantias matrimonium inter

fratres et sorores tunc non obstat legi naturali, sed potius erat unica via implendi eam (cf. Sanchez, De Matrim. l. 7, disp. 51. 52).

Ecclesia autem hoc impedimentum ad alios quoque gradus et ad *affinitatem* extendit; qua in re notandus est canon Conc. Trid. sess. 24, c. 3: „S. q. d. eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere, ut plures impediunt et dirimant, A. S.“ (Denzinger l. 849). Ad hanc categoriam referri etiam potest impedimentum *publicae honestatis*, quod oritur ex matrimonio nondum consummato et ex sponsalibus validis; et impedimentum *cognationis legalis*.

853. 9. Haec igitur sunt impedimenta, quae vel oriuntur ex lege naturali vel cum ea cohaerent aliquo modo. Praeterea autem ecclesia alia adicere potest et adiecit, quae sunt ecclesiae vetitum, sive speciale sive generale (prohibens Matrimonium sine bannis praemissis), tempus clausum, quo vel (in quibusdam regionibus) ipsius Matrimonii celebratio vel saltem sollemnitas interdicitur — et haec sunt impedimenta impediencia tantum. Dein cognatio spiritualis ex Baptismo vel Confirmatione, impedimentum criminis ob adulterium et coniugicidium, clandestinitas — et haec sunt impedimenta dirimentia, quae in theologia morali accuratius explicantur.

Prop. LXVI. Sacramentum Matrimonii nulli homini per se est necessarium ad salutem; immo praestat status caelibatus.

Pars I. Sacramentum Matrimonii nulli homini per se est necessarium.

854. *Arg.* Si susceptio Sacramenti Matrimonii esset necessaria, aut esset lege naturae, aut lege Dei positiva. Imprimis igitur probamus Matrimonium non esse praeceptum lege naturali.

Nulla lex naturalis existit, qua obligentur singuli homines ad Matrimonium, ut peccatum committant, nisi Matrimonium ineant; nam homo ad ea tantum obligatur, quae ad eius essentialem perfectionem seu ad finem ultimum assequendum necessaria sunt. Atqui Matrimonium est institutum ad bonum generis humani, non vero ad propriam singulorum individuorum perfectionem, quam potius sub multiplici respectu impedit, ut supra dictum est. Ergo propter propriam perfectionem nemo per se ad Matrimonium obligatur; per se, inquam, quia per accidens quis obligari potest; e. g. si ei Matrimonium unicum forte sit remedium ad caste vivendum; sed tunc non obligatur praecepto Matrimonii, sed praecepto caste vivendi, et similiter in aliis casibus. Neque quisquam obligatur ad Matrimonium, quia hoc est

utile generi humano; nam nemo tenetur ad omnia praestanda, quae generi humano utilia sunt; „alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam et aedificationem et ad huiusmodi officia, quae sunt necessaria communitati humanae; sed inclinationi naturae satisfit, cum per diversos diversa complentur“ (S. Thomas, Suppl. q. 41, a. 2). Et quia varia sunt maxime utilia generi humano, quae melius fieri possunt ab iis, qui non sunt Matrimonio iuncti, suis quisque erga humanum genus officiis fungi potest, licet a Matrimonio absteat. Nam genus humanum non corporaliter tantum debet crescere, sed etiam spiritualiter. „Et ideo sufficienter providetur humanae multitudini, si quidam carnali generationi operam dant, quidam vero, ab hac abstinentes, contemplationi vacent ad totius humani generis pulchritudinem et salutem; sicut etiam in exercitu quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant, quae tamen omnia debita sunt multitudini, sed per unum impleri non possunt“ (S. Thom. 2, 2, q. 152, a. 2).

855. *Praecepto quidem Dei aliquando obligabantur homines ad matrimonium.* Deus enim instituit ad genus humanum multiplicandum matrimonium (Matth. 19, 6) et dixit: „Crescite et multiplicamini et replete terram“ (Gen. 1, 28). Quamdiu igitur omnes homines matrimonium inire necesse erat ad hoc, ut haec voluntas Dei suum effectum haberet, tamdiu homines obligabantur praecepto matrimonii. Hoc autem accidebat, quamdiu genus humanum paucis tantum individuis continebatur. Tunc igitur singuli obligabantur ad matrimonium.

Multiplicato vero genere humano haec ratio quoad singulos cessat; et dummodo semper sint, qui Matrimonium ineant, voluntas Dei effectu non carebit, licet alii Matrimonio absteant. Ceterum verba illa „Crescite et multiplicamini“ non directe praeceptum morale enuntiant, sed solum finem a Deo intentum significant; nam eadem verba diriguntur ad animalia irrationalia (Gen. 1, 22) et iunguntur cum his aliis: „Subicite terram et dominamini piscibus“, quae verba nihil significant nisi intentionem finis. Eatenus igitur illa verba inducunt obligationem moralem, quatenus aliqua actio requiritur ad intentionem Dei exsequendam. Ad hoc autem matrimonium primorum hominum requirebatur, non vero singulorum posteriorum hominum.

856. *Num autem intentio illa Dei nullam iam obligationem imponat post multiplicationem generis humani, non convenit inter doctores.* Alii dicunt omnem obligationem cessasse, ut S. Bonaventura (In 4, d. 26, a. 2, q. 3); alii distinguendum censent. „Olim cum pauci homines erant, obligabat [voluntas Dei] singulos, nunc autem illis multiplicatis tantum obligat rempublicam in communi, ut necessitate occurrente compellat subditos“ (Sanchez, De Matr. l. 1, disp. 3, n. 3). Citatur pro hac sententia S. Thomas (In 4, dist. 26, q. 1, a. 2), qui nullum

verbum dicit de hac obligatione reipublicae, sed simpliciter statuit: „Inclinatio naturae ad Matrimonium non obligat per modum praecepti . . . nisi illo tempore, quo paucitas hominum exigebat, ut quilibet generationi vacaret“ (etiam in Suppl. q. 51, a. 2). *Potius dicendum videtur sine positiva lege impelli sufficientem numerum hominum inclinatione naturae ad Matrimonium ineundum*, donec numerus electorum compleatur. Sic rem explicat S. Thomas l. c. ad 4: „Natura humana communiter ad diversa officia et actus inclinatur . . . et ex hac diversitate simul cum divina providentia, quae omnia moderatur, . . . contingit, quod quidam eligunt matrimonialem vitam et quidam contemplativam. Unde nullum periculum imminet“, ne divina intentio effectu suo frustretur.

857. *Non igitur recurrendum videtur ad praeceptum morale reipublicae vel generatim communitati humanae impositum relate ad Matrimonium.* Nam:

a) praeceptum superfluum est, quia sine illo finis obtinetur, b) praeceptum esset inefficax; esset enim intolerabile iugum, si vellet magistratus binos compellere, ut Matrimonium inirent et contra suam inclinationem indissolubile vinculum necterent. Ergo nisi iam esset in hominibus naturalis inclinatio sine praecepto, post praeceptum a fortiore repugnarent, quia in hac re nemo cogi vult, et merito. Nam ius, quod in individuo et immediate e lege naturae nascitur, non subest humanae potestati. Est autem ius individuum et naturale cum nulla persona ineundi matrimonium, cum qua quis non vult. Unde S. Thomas dicit in Matrimonio contrahendo hominem non debere ulli homini obedire, sed Deo soli (2, 2, q. 104, a. 5). Si vero dicas non esse praeceptum a magistratu imponendum, sed communitatem disiunctive ita ex natura rei obligari, ut aut hi aut illi aut alii Matrimonium inire debeant, hoc nihil aliud est nisi dicere neminem obligari. Nam cum hoc praeceptum a binis tantum individuis impleri possit, et nulli bini sint, qui praecepto teneantur, praeceptum totum incassum recidit.

Ergo nulla existit lex moralis obligans voluntates hominum ad Matrimonium; existit vero lex moralis alio sensu, quatenus homines ita constituti sunt, ut moraliter certum sit semper futurum esse sufficientem numerum eorum, qui Matrimonium inirent. Nota igitur dupliciter dici legem moralem: alteram, quae sit praeceptum hominum voluntates obligans; alteram, quae sit constans agendi modus ex natura hominum sua sponte prodiens. Hoc altero sensu existit lex moralis Matrimonii, non vero priore sensu.

Pars II. Status caelibatus Matrimonio praestat.

858. Dicimus statum caelibatus praestare, i. e. stabile vitae genus, quod quis pro amore Dei vel generatim propter bonum melius suscipit. Sicut enim Matrimonium significat certum vitae statum, ita potest

etiam aliquis oppositum statum eligere et ad officia huic statui adnexa se perpetuo obligare, sive hoc fit simplici proposito sive voto sive alio modo, dummodo fiat ex intentione, quae ad exercitium virtutis requiritur; nam propositum laude dignum fit ex fine bono. Neque enim sola carentia vinculi coniugalis est morale bonum, sed bonum est propositum ex fine debito renuntiandi voluptatibus carnis et hoc sensu amplectendi statum caelibatus. Hunc igitur statum dicimus esse excellentiorem statu matrimoniali, dummodo debita intentione suscipiatur. Non igitur comparamus personas cum personis, cum possit accidere, ut coniuges sint sanctiores quam caelibes, sed comparamus unum stabile vitae genus cum altero, et quidem loquimur de Matrimonio consummato vel consummando, non vero de Matrimonio rato tantum, quod iungitur cum statu caelibatus.

859. *Arg. 1. Ex S. Scriptura.*

Christus Dominus, ab apostolis interrogatus, numquid non magis expediret homini non nubere, respondit: „Non omnes capiunt verbum illud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere, capiat“ (Matth. 19, 10 sqq.). Hoc loco Dominus loquitur de statu caelibatus seu de hominibus, qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum, i. e. qui ita abstinent a Matrimonio, quasi essent ex iis, quos vel natura vel hominum malitia ineptos fecit ad Matrimonium. Sic ex libero proposito propter regnum caelorum non ingredi statum Matrimonii dicit esse donum Dei, quod non omnibus datur, sed quibusdam tantum electis. Hos vero electos adhortatur, ut hoc donum libenter accipiant. *Ὁ δυνάμενος χωρεῖν χωρεῖτω.* Ergo et quia ut speciale donum datur a Deo, et quia est res consilii divini, status caelibatus est excellentior statu matrimoniali. Neque tamen putandum est hoc donum rarissime tantum concedi; nam si quid est tam excellens et adeo commendatione divina dignum, hoc certe Christus neque denegabit neque parce concedet ecclesiae suae. Praeterea Christus, qui venit in hanc terram, ut omnis perfectionis esset exemplar, virgo permansit et ex virgine nasci voluit; qua re praestantiam virginitatis quam efficacissime docuit.

860. S. Paulus scribit ad Corinthios: „Qui Matrimonio iungit virginem suam, bene facit, et qui non iungit, melius facit“ (1 Cor. 7, 38). Et de vidua: „Cui vult, nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit“ (v. 40). Ergo status caelibatus praestat statui matrimoniali.

Neve quis dicat S. Paulum ibi dare hoc consilium solum ob speciales istorum temporum circumstantias „propter instantem necessitatem“ (v. 26), non quod status caelibatus in se sit melior.

Resp.: Apostolus dicit commendando caelibatum se exhortari „ad id, quod honestum (εὐσχημον) est“. Ergo docet caelibatui specialem moralem honestatem inesse, quam etiam magis explicat: „Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier inupta et virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; quae autem nupta est, cogitat, quae sunt mundi, quomodo placeat viro“ (v. 32 sqq.). Ergo caelibatus ideo praestat Matrimonio, quia homini opportunitatem praebet, perfectius vacandi rebus divinis et „sine impedimento Dominum obsecrandi“ (v. 35). Non igitur propter solas temporum angustias commendatur caelibatus, quamvis verum sit „instantes necessitates“ etiam motivum esse hac ratione pietati ferventius studendi. Verumtamen necessitas non facit, sed supponit rem honestam. Consequenter etiam extra necessitatem servare caelibatum *καλὸν ἐστίν* (v. 8), i. e. res moraliter excellens. Quare ipse quoque apostolus „sic permansit“ et cupit omnes suum exemplum sequi. Neque solum Paulum fuisse caelibem, sed etiam reliquos apostolos post susceptum apostolatam caelibatum servasse traditio testatur.

861. *S. Ioannes* in Apocalypsi loquitur de quadraginta quattuor milibus, qui in regno caelesti soli „cantabant quasi canticum novum“; „hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocumque ierit; hi empti sunt ex hominibus, primitiae Deo et Agno“ (Apoc. 14, 1 sqq.). Qui textus iam inde a temporibus SS. Patrum dupliciter explicatur. Alii enim verba intellegunt sensu proprio, ut illis praedicetur laus virginitatis; alii putant verba sumenda esse sensu metaphórico de iis, qui semper fideliter Christo adhaeserunt. Sicut enim in S. Scriptura saepe idololatria et quaevis defectio a vera fide vocatur fornicatio, ita qui semper vero Deo fideles manserunt, recte vocantur virgines, sicut Christus omnes, qui intrabunt regnum caelorum, vocat virgines prudentes (Matth. 25, 1 sqq.). Utro sensu sumatur textus, semper commendationem magnam virginitatis continet. Si enim huic potius quam statui matrimoniali comparatur sanctitas caelestis, sequitur, ut virginitas sanctitate praestet Matrimonio.

Hanc ob causam sanctitas status finalis praecipue praedicatur ob absentiam Matrimonii: „In resurrectione enim neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in caelo“ (Matth. 22, 30).

862. *Arg. 2. Ex SS. Patribus.*

SS. Patres inexhaustis laudibus statum caelibatus et maxime virginitatem efferunt idque non obiter et per accidens, sed ex professo et integris voluminibus, ut Clemens Rom. (?) (Ep. ad virgines), Tertullianus, Cyprianus (De habitu virginum), Ambrosius (De virginibus

et de virginitate), Ioan. Chrysostomus (De virginitate), Augustinus (De sancta virginitate), alii. SS. Ambrosii et Cypriani dicta quaedam habentur in Breviario de communi virginum.

S. Ioan. Chrysostomus ait: „Bonum est virginitas, et ego consentio, ac Matrimonio etiam melior, et hoc confiteor. Et si placet, quanto etiam melior sit, addam: quanto caelum terra, quanto hominibus angeli. Nam angeli, etsi nec ducunt uxores nec ducuntur, non sunt carne nec sanguine coagmentati. . . . Viden' virginitatis decus! Eorum, qui in terris degunt, cum caelitibus vitae similitudinem molitur, corpore vestitos vinci ab incorporeis virtutibus non permittit, mortales angelorum aemulos reddit“ (De virginit. c. 10. 11; *M* 48, 540).

S. Augustinus: „Virginalis integritas et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio est et in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio. Cedat huic omnis fecunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis; illa non est in potestate, illa non est in aeternitate; fecunditatem carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam coniugalem non habet caelum. Profecto habebunt magnum aliquid praeter ceteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid iam non carnis in carne“ (De s. virginitate c. 12. 13; *M* 40, 401).

Idem docent theologi in 4, d. 33 et in S. 2, 2, q. 152, a. 4, ubi S. Thomas his rationibus probat praestantiam virginitatis, „quia bonum divinum est potius humano bono, tum quia bonum animae praefertur bono corporis, tum etiam quia bonum contemplativae vitae praefertur bono activae. Virginitas autem ordinatur ad bonum animae secundum vitam contemplativam, quae est cogitare ea, quae sunt Dei; coniugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani; et pertinet ad vitam activam, quia vir et mulier in Matrimonio viventes necesse habent cogitare, quae sunt mundi.“

863. *Arg. 3. Ex Conc. Trid.*

Conc. Trid. sess. 24, can. 10 definit: „S. q. d. statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et non esse melius et beatius manere in virginitate et caelibatu quam iungi Matrimonio, A. S.“ (*Denzinger* l. c. 856.)

864. *Obiectiones maxime vulgares contra statum caelibatus hae sunt:*

a) *Dicunt*: Melius est bonum speciei procurare quam propriae tantum utilitati studere. Atqui per Matrimonium promovetur bonum speciei, per caelibatum ad summum promovetur bonum individui. Ergo Matrimonii status est melior.

Resp.: Hanc argumentationem duplici falso supposito niti, primo posse bonum materiale et naturale generis humani comparari cum

bono spirituali et supernaturali individui. Nisi enim prius constat hominem obligari ad certum aliquod bonum materiale generis humani promovendum, semper melius agit homo, si hoc bonum negligit ad altiora bona supernaturalia sibi acquirenda. Alterum falsum suppositum est, per statum caelibatus non promoveri bonum speciei. Cum enim caelibatum non pure negativum intellegamus, sed eum, qui suscipiatur propter altiora bona, caelibatus quam maxime promovet bonum speciei. Immo historice constat ex iis, qui statum caelibatus elegerant, summa beneficia in humanum genus descendisse.

865. b) *Dicunt*: Facultas naturalis datur ad hoc a Deo, ut in actum transeat. Atqui Deus dedit facultatem et inclinationem generandi; ergo vult etiam actum generationis.

Resp.: Hoc argumentum fortasse aliquam vim haberet pro statu naturae purae; sed nunc generatio proles, quia multa et magna bona impedit, propter haec bona recte omittitur. Ceterum potentiam illam et inclinationem Deus dedit singulis, ut ita conservetur genus humanum. Ad hunc autem finem non est opus, ut omnes, sed ut satis multi generationi vacent. Quia igitur huic fini per naturalem inclinationem sufficienter provisum est, singuli liberi sunt ad amplectendum id, quod perfectius est, neque umquam timendum est, ne propter amorem caelibatus minuatur genus humanum.

866. c) *Dicunt*: Impossibile est, caelibatum servare, sicut impossibile est, cibo et potu abstinere.

Resp.: Haec obiectio disputat contra facta, quia constat multos homines servasse et servare caelibatum, et pugnat contra verbum Christi docentis hoc donum a Deo concedi quibusdam hominibus.

867. d) *Dicunt*: Ad servandum caelibatum homo continuo pugnare debet contra concupiscentiam. Atqui haec continua pugna maiorem inquietudinem affert quam moderatus usus concupiscentiae. Ergo Matrimonium melius est statu caelibatus.

Resp.: Quo maiore animo homo contra concupiscentiam pugnat, eo perfectius eam subiugat. Licet igitur ad tempus opus sit pugna, post quamlibet victoriam sequetur perfectius in concupiscentiam dominium. Contra usus delectabilium, si sit moderatus, potest quidem esse remedium contra peccatum, attamen nihilominus per se mentem abstrahit a bonis altioribus. Quamvis igitur Matrimonium melius sit ei, qui aliter concupiscentiam refrenare nequit, non est melius ei, cui Deus dedit facultatem sine Matrimonio concupiscentiam refrenandi (*S. Thomas*, Contra gent. l. 3, c. 130).

SECTIO V.

DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII.

Prop. LXVII. *Ministri Sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes.*

868. 1. *Fuit opinio Cani et aliorum sacerdotem, qui benedicit nupturientes, esse ministrum Matrimonii.* Sed haec doctrina iam sufficienter refutata est, nam cum Matrimonium perficiatur consensu contrahentium, sacerdos minister Sacramenti esse non potest, quia ipse non ponit consensum. Idem eo probatur, quod Conc. Trid. docet Matrimonia clandestina, i. e. sine sacerdote contracta, esse per se valida. Idem constat inde, quod parochi, qui ob temporum condiciones coguntur assistere Matrimoniis illicitis Catholicorum cum A catholicis, iubentur omittere omnes preces et benedictionem et se omnino passive habere. Ita e. g. *Pius VI.* (*Denzinger* l. c. 1362) et *Gregorius XVI.* (*Denzinger* l. c. 1484.)

869. 2. *Iisdem argumentis reicitur sententia, quae vult ordinarium ministrum Sacramenti esse sacerdotem, extraordinarios ministros esse ipsos contrahentes.* Hanc sententiam ut probabilem proponit *Berlage* (*Dogmatik* III, 827) secutus *Maldonatum* (*De Matrim.* Pars 1 in fine), sed *Maldonatus* obscure loquitur, quia brevi ante defendit materiam et formam absolvi solo consensu contrahentium. Ceterum illa sententia nullo modo est probabilis; nam forma Sacramentorum non potest esse modo haec, modo plane alia. Ergo si forma est consensus contrahentium, numquam potest esse benedictio sacerdotis. Deinde non eadem forma benedictionis ubique praescripta erat, neque aliud ecclesia postulat ad valorem Sacramenti propter caput „*Tametsi*“ nisi solam assistentiam sacerdotis, non vero benedictionem.

870. 3. *Nihil igitur remanet, nisi ut ipsi contrahentes soli et semper sint ministri Sacramenti, et vir mulieri, mulier autem viro administret Sacramentum.* Ergo hoc Sacramentum non habet ministros consecratos et recte dicitur Sacramentum laicorum. Nam etiamsi fortasse a sacerdote valide susciperetur, ita ut sacerdos etiam esset minister Sacramenti, tamen non esset qua sacerdos, sed qua Christianus habilis ad contrahendum. Rationem autem, cur minister, quando administrat Sacramenta, debeat esse in statu gratiae, inde tantum deduximus, quod minister specialiter consecratur. Ergo si duo contrahunt in statu peccati, committunt quidem peccatum grave, quatenus indigne Sacramentum suscipiunt, sed quatenus sunt ministri, „multo verius est non peccare letaliter, quia non sunt ministri consecrati ad id munus, sed solum illis concessum est necessitate quadam, quia oportuit materiam et formam in ipso contractu constitui. Contractus autem fieri

non potest nisi per contrahentium consensum, unde solum ministri consecrati letaliter delinquunt, si culpa mortali affecti ministrent* (Sanchez, De Matrim. l. 2, disp. 6, n. 4).

871. 4. *Nihilominus etiam sacerdotes sunt aliquo vero sensu ministri Matrimonii.* Nam Matrimonium, ut est res, quae publicos effectus adnexos habet et ius dat ad actionem iudicalem, pertinet ad forum ecclesiae et, ut est res religiosa, specialibus caerimoniis ab ecclesia circumdatum est. Sub priore igitur respectu sacerdos est testis „authorizabilis“ ex officio deputatus et per se essentialiter requisitus ad Matrimonium legitime contrahendum. Sub altero respectu sacerdotis est, ritus ab ecclesia praescriptos ad Matrimonium adhibere seu sollemnizare Matrimonium. Est igitur sacerdos minister non contractus et Sacramenti sed sollemnitatis Matrimonii.

Munus autem hoc sollemnizandi Matrimonium pertinet ad parochum (vel episcopum) proprium unius ex contrahentibus, potest tamen ab eo alteri sacerdoti deputari. Hoc statuit *Conc. Trid.* sess. 24, c. 1 de reform. Matrim.

872. *Schol. De caerimoniis Sacramenti Matrimonii.*

Parochus, certior factus de ineundo Matrimonio, imprimis *examen sponsum* instituere debet eosque privatim interrogare: a) num libero plane consensu contrahere velint, b) num nullum adsit impedimentum, c) si sponsi sunt minores, num parentes consentiant, d) num separati vivant, e) num in fide catholica sint sufficienter instructi, nisi hoc aliunde constat, f) ubi et quamdiu suis quisque locis habitaverit.

Dein *faciendae sunt proclamationes* secundum *Conc. Trid.* sess. 24, c. 1 de reform. Matrim.: „Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parochi continuis diebus festis in ecclesia intra missarum sollemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum.“ Si nullum impedimentum detectum vel, si quod detectum fuerit, remotum est, ad ipsam celebrationem Matrimonii procedi potest; sed si intra duos menses non fit Matrimonium, proclamationes renovandae sunt. Ita secundum *Rituale Rom.*

Matrimonium per se celebrandum est *in ecclesia* vel sacello publico, quia fieri debet „in facie ecclesiae“. Ex sufficienti autem ratione etiam alio loco fieri potest, quia sufficiens publicitas habetur per parochi et testium praesentiam.

Matrimonii sollemnitates fieri debent *tempore non clauso*, quod est „ab adventu Domini nostri Iesu Christi usque in diem Epiphaniae et a Fer. IV. Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive“. Ita *Conc. Trid.* sess. 24, c. 10 de reform. Matrim. Qui usus est veterrimus, ut patet ex *Conc. Laodic.* c. 52. Ratio est, quia illo tempore fideles mysteria sancta recogitare, non pompis et sollemnitatibus animum

advertere debent. Neque tamen aliud eo tempore per se interdicitur nisi sola sollemnitas.

873. Sponsos „*parentum vel propinquorum suorum praesentia coonestari decet*“, inquit *Rituale Rom.* Iam *Conc. Carthag.* IV. c. 13 statuit: „Sponsus et sponsa, cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel paranymphis offerantur.“ Cf. alia decreta apud Gratianum C. 30, q. 5. Haec res eo spectat, ut omnia fiant quam maxima publicitate, et quia similes caerimoniae olim lege civili vel consuetudine introductae erant.

Solebant velari sponsae ex usu antiquo, „ut noverint se semper maritis suis subditas esse et humiles“, ut ait Isidorus (in *Decreto* l. c. c. 7). Ab usu velandi nomen nubendi deducitur: „Nubes itaque sunt et graves nubes, quae nupserint; namque a nubibus verbum nubentium tractum arbitror. Denique operiuntur ut nubes, cum acceperint nupturae velamina. Et vere graves nubes, quae sustinent sarcinam Matrimonii“ (S. Ambros., *Exhort. virg.* c. 6, n. 34; *M* 16, 346). Et quidem olim nupturis rubra velamina imponebantur, virginibus vero Dei consecrandis alba; unde idem Ambrosius ait: „Utinam possem revocare nupturas! Utinam possem flammeum nuptiale pro integritatis mutare velamine!“ (De *virginit.* c. 5, n. 26; *M* 16, 272).

Olim sponsi *manibus gestabant candelas accensas*. „Quia semper nuptiis amicae sunt faces, luminum testimonio celebratur castitas nuptiarum. Sicut enim fugit lucem, illicita qui praesumit, sic multiplex in lumine coruscat, licita qui requirit“ (Petrus Chrysolog. *Serm.* 22; *M* 52, 262).

Sponsae habebant *coronas floribus contextas capiti impositas*, unde sollemnitas Matrimonii apud Graecos coronatio vocatur. Quae coronae significabant virginalem integritatem, unde bigamis non dabantur.

Anulus, quem sacerdos benedicit, significat fidem conjugalem et amorem indivisum; a sponso tamquam arrha fidei sponsae datur, quae dicitur anulo subarrhari. „Quarto digito anulus idem inseritur, quod in eo vena quaedam, ut fertur, sanguinis ad cor usque perveniat“ (Isidor., *De div. off.* l. 2, c. 19).

Nunc interdum *stola, olim vitta* sponsi quasi vinculo copulabantur, „quod videlicet eo fit, ne compagem conjugalis unitatis disrumpant“ (Isidor. l. c.).

Missae sacrificium celebratur et orationes speciales in fine funduntur super sponsos, quae orationes per se intelleguntur. Haec sollemnis benedictio numquam nisi ex privilegio danda est extra missarum sollemnia; neque danda nisi in primis nuptiis sponsae, neque umquam datur in matrimoniis mixtis, nisi alicubi ex dispensatione contrarius usus existat. Si omissa est haec benedictio in ipsa Matrimonii celebratione, non necessario postea supplenda est; at ecclesia hoc cupit, et fieri potest, etiamsi coniuges iam diu in Matrimonio vixerunt.

Ex his caerimoniis per se nullae sub gravi obligant, nisi quae requiruntur ad excludendam clandestinitatem; et aliae in aliis dioecibus observantur, id quod ipsum Trid. approbat.

SECTIO VI.

DE ECCLESIAE IN MATRIMONIUM POTESTATE.

Prop. LXVIII. Ecclesia habet potestatem a Christo acceptam statuendi pro suis subditis impedimenta Matrimonii dirimentia.

874. Matrimonium est et contractus et Sacramentum. Qua sacramentum pertinet ad iurisdictionem ecclesiasticam, quia ecclesiae est dispensare mysteria Dei (1 Cor. 4, 1). A Sacramento autem contractus matrimonialis fidelium separari nequit. Ergo consequenter ipse contractus subiacet curae et potestati ecclesiae. Est autem de natura contractuum, ut sint nulli et invalidi, nisi secundum debitas normas fiant. Quaeritur igitur in thesi, num ecclesia huiusmodi normas praescribere possit, quibus non servatis contractus matrimonialis sit invalidus, sive hoc fit reddendo consensum inefficacem sive contrahentes inhabiles ad contrahendum. Quod si potest ecclesia, habet potestatem statuendi impedimenta Matrimonii dirimentia, quia impedimentum dirimens est, quidquid obstat, ne contractus validus sit (cf. Palmieri, De Matrim. p. 228 sqq.).

Negant hanc potestatem *Protestantes* Lutherum secuti, qui in sermone De matrimonio reicit omnia impedimenta, exceptis iis, quae statuuntur in Levitico, quae putat omnia esse naturalia et indispensable (cf. Bellarm., De Matrim. c. 21 et c. 27).

875. **Arg. 1.** Ex facto historico.

Ecclesia statuit impedimenta dirimentia. Atqui hoc factum ostendit ecclesiam habere potestatem haec impedimenta statuendi. Ergo.

Prob. min. Nam hoc facto ecclesia implicite docuit se habere hanc facultatem a Christo acceptam et explicite normam morum praescripsit. Atqui in rebus fidei et morum ecclesia errare nequit.

Prob. mai. quibusdam exemplis.

Concil. Neocaesar. (a. 314) can. 2: „Mulier, si duobus nupserit fratribus, abiciatur usque ad diem mortis; sed propter humanitatem in extremis suis Sacramentis reconciliari oportet, ita tamen, ut, si forte sanitatem recuperaverit, Matrimonio soluto, ad paenitentiam admittatur.“

S. Basilius in Epist. 160 ad Diod. n. 2 (M 32, 623): „Primum quod in huiusmodi rebus maximum est, morem nostrum obicere possumus ut vim legis habentem, eo quod nobis a viris sanctis traditae

sunt regulae. Mos autem ille est huiusmodi, ut, si quis impuritatis vitio aliquando victus in illicitam duarum sororum coniunctionem inciderit, neque id Matrimonium existimetur, neque omnino in ecclesiae coetum admittatur, priusquam a se invicem dirimantur“ (cf. Epist. 199 ad Amphilocho. can. 22; M 32, 722).

Concil. Carthag. IV. can. 104 notari dicit „viduas, quae religionem mutaverunt, adulterii crimine, si devotionem, quam Deo sponte, non coactae obtulerunt, libidiosa corruperint voluptate atque ad secundas nuptias transitum fecerint.“

Gregor. M. in l. 6, ep. 1, l. 7, ep. 119, l. 12, ep. 31 varia impedimenta dirimentia tractat et docet quasdam coniunctiones permitti a legibus civilibus, sed ab ecclesia nullas declarari. Quod autem in ultima epistula ad legem Mosaicam appellat, sicut et alii Patres faciunt, hoc ostendit quidem Patres considerasse legem veterem in multis aptam normam, quam ecclesia in sua legislatione sequeretur; nequaquam vero eos putasse lege vetere per se obligari Christianos, cum contrarium saepe clarissimis verbis doceant. Porro saepe SS. Patres loquuntur de impedimento dirimente voti, quod supra humana lege statutum diximus.

S. Ambrosius: „Quae se sponndit Christo et sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortalis iuncta est viro. Etiam si voluerit nubere communi lege conubii, adulterium perpetrat“ (Ad virg. laps. c. 5; M 16, 375. Cf. Cypr., Ep. 60. 62; H. II, 691. 698. S. Basil., Ep. 188 ad Amphilocho. can. 6; M 32, 674. Innoc. I., Ep. 2 ad Victric. c. 13; M 20, 478 etc.).

876. Qui vero cum *Launoio* et aliis has leges irritantes ex imperatorum potestate derivare conantur, absurde loquuntur, tum quia nullum edictum ostendi potest, quo imperatores ecclesiae hanc facultatem concesserint, tum quia multa sunt impedimenta ecclesiastica, quae nunquam statuta sunt per leges civiles, immo quae statuta sunt contra oppositam dispositionem legis civilis. Saepe quoque principes christiani ad ecclesiam recurrunt in causis matrimonialibus, et ecclesia principes non minus quam alios Christianos suis legibus matrimonialibus teneri aperte ostendit (cf. Perrone, De Matrim. II, 88 sqq.).

877. **Arg. 2.** Ex Concilio Tridentino.

Conc. Trid. sess. 24, c. 3 docet: „S. q. d. eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum et dirimere contractum; nec posse ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere, ut plures impediunt et dirimant, A. S.“

Can. 4: „S. q. d. ecclesiam non potuisse statuere impedimenta Matrimonium dirimentia vel in iis constituendis errasse, A. S.“ (*Denzinger* l. c. 849. 850).

De quo canone plura inepta statuit *Launoy* in opere *De regia potestate in Matrimonium* (P. 1, a. 4, c. 4 et a. 2, c. 8). Ille enim a) vult canones non esse dogmaticos, sed disciplinares tantum. Sed aperte canonibus illis Concilium docet, quid sit credendum, scilicet ecclesiam habere potestatem impedimenta statuendi. Ergo haec potestas ecclesiae pertinet ad revelationem divinam.

b) Docet non agi ibi de potestate ecclesiae propria et originaria, sed de ea, quam a principibus acceperit. At potestas ecclesiae divina fide credenda debet ipsi esse propria eique iure divino competere. Si enim a principibus haec potestas pro placito concederetur, non posset esse obiectum fidei.

c) Dicit ecclesiae nomine in illis canonibus significari principes saeculares. Verum principes saeculares numquam a Concilio vocantur ecclesia, neque Tridentinum definire voluit principes saeculares numquam errasse in statuendis impedimentis matrimonialibus (cf. *Palmieri*, *De Matrim. thes.* XXVIII).

Ceterum hae explicationes a *Launoy* tam arbitrarie et sine ulla ratione in textum inferuntur, ut omnis refutatio superflua videri possit.

878. *Arg. 3. Ex declarationibus summorum pontificum.*

Pius VI. damnavit doctrinam synodi Pistor. (Prop. LIX): ius originarium statuendi impedimenta Matrimonii spectare ad potestatem civilem et ab hac posse ecclesiae concedi. Haec propositio ita intellecta, „quasi ecclesia non semper potuerit ac possit in Christianorum Matrimoniis iure proprio impedimenta statuere, quae Matrimonium non solum impediunt, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur, etiam in terris infidelium, in iisdemque dispensare: canonum 3. 4. 9. 12 sess. 24. Conc. Trid. eversiva, haeretica“ (*Denzinger* l. c. 1422).

Pius IX. in Syllabo damnavit has Propositiones (68. 69. 70): „Ecclesia non habet potestatem impedimenta Matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.“ — „Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat.“ — „Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intellegendi sunt“ (cf. *Palmieri*, *De Matrim. thes.* XXX).

879. *Schol.* Dubium esse non potest, quin ecclesia potestatem habeat statuendi impedimenta matrimonialia etiam pro haereticis.

Nam eo ipso, quod quis baptizatur, ecclesiae potestati et legislationi subicitur. Etiam de facto impedimenta Matrimonii ad haereticos

reticos extendi saepius summi pontifices declararunt. Ita *Benedictus XIV.* in declaratione, qua statuit valida esse Matrimonia ab haereticis in Hollandia sine forma Tridentina inita, addit: „dummodo aliud non obstiterit impedimentum canonicum“ (*Denzinger* l. c. 1325). Ergo haeretici impedimentis canonicis ligantur. — S. Congreg. Conc. d. 20. Aug. 1780 respondit Matrimonia ab haereticis in Hungaria contra leges canonicas inita invalida esse (*Denzinger* l. c. 1350). Pius VI. in Brevi ad Episc. Mogunt. d. 8. Oct. 1803 dato ait: „Quid dicendum erit de illorum sententia, qui iactant haereticos ecclesiae legibus nequaquam subici, atque inde posse illos novo coniugii foedere copulari, si primum publicae auctoritatis iudicio solutum fuerit, praepostere inferunt? Adversus illam clamant Scripturae, Concilia, Traditio denique universa. Omnium instar sit Trid. Synodus, quae s. 24, c. 11 non baptizatos a baptizatis distinguens illos tantum ecclesiae legibus non subici affirmat, cum ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus. Hi baptizati ergo ecclesiae filii, quamquam rebelles et transfugae, qui eiusdem ecclesiae legibus subiciuntur; quare suam in illos potestatem exercere numquam praetermisit ecclesia, potestate divinitus sibi tradita, quemadmodum infinitis fere historiae monumentis testatum est“ (*Roskovány*, *Matrim. I.* 461).

880. *Multi theologi catholici ab hac regula eximunt legem Trid. de clandestinitate*, quia, inquiunt, non videtur credibile ecclesiam velle tot haereticorum Matrimonia invalida reddere. Ita *Wirceburg.* n. 423 cum aliis, quos ibi citant. Sed obstat praxis Congregationum Romanarum, quae per se ut nulla considerant Matrimonia haereticorum contra legem Trid. inita (*Perrone*, *De Matrim.* p. 222 sqq.). Sed si coetus haereticorum ita constitutus est, ut iis caput „*Tametsi*“ promulgatum censi non possit, vel si specialis dispensatio data est, lex Trid. eorum Matrimonia irrita non reddit (cf. *Lehmkuhl* II, n. 781 sqq.).

Prop. LXIX. Potestas constituendi impedimenta dirimentia Matrimonii pro baptizatis est solius ecclesiae.

881. Praeter canonistas aulicos sunt etiam alii theologi, qui putant non solam ecclesiam, sed etiam potestatem civilem sua auctoritate statuere posse impedimenta dirimentia, etiam pro Christianis. Ita *Petrus Sotus* (*De Matrim. lect.* 4) et *Catharinus* (*Opusc. de clandest. coniug.*). — *Sanchez* censet per se quidem magistratum civilem habere hanc potestatem, sed ecclesiam per potestatem indirectam in res civiles hoc ius a principibus abstulisse et sibi reservasse. Consequenter principes non baptizati pollent hac potestate circa Matrimonium in subditos etiam fideles; nam infidelibus principibus ecclesia nullum ius auferre potest (*Sanchez*, *De Matrim.* l. 7, disp. 3, n. 2 sqq.).

882. *Arg. 1. Ex Concilio Tridentino.*

Conc. Trid. sess. 24, can. 12 statuit: „S. q. d. causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, A. S.“ (*Denzinger* l. c. 858.) Sensus autem huius canonis est *omnes* causas matrimoniales spectare ad *solos* iudices ecclesiasticos. Nam ratio, cur ecclesia sibi hanc potestatem attribuat, ea est, quod Matrimonium est unum ex Sacramentis, quorum cura solius ecclesiae est. Ergo principes civiles non habent potestatem propriam irritandi Matrimonia Christianorum, quia secus haberent potestatem in Sacramentum. Possunt tamen circa effectus mere civiles Matrimonii, qui rationem Sacramenti non afficiunt, leges validas statuere, sed in ipsius Sacramenti valorem nihil possunt.

Idem Concil. sess. 24, c. 1 de reform. Matrim. sine ulla limitatione docet Matrimonia clandestina esse valida, quamdiu ecclesia ea irrita non fecerit, et anathemate afficit contrariam sententiam. Sed haec doctrina vera non esset, si principes civiles independenter ab ecclesia irritare possent Matrimonia clandestina.

883. *Arg. 2. Ex declarationibus summorum pontificum.*

Pius VI. d. 16. Sept. 1788 ad episc. Motulensem scribit de canone Conc. Trid.: „Ignotum nobis non est quosdam adesse, qui saecularium principum auctoritati plus nimio tribuentes et verba huius canonis captiose interpretantes, illud defendendum susceperunt, ut, quoniam Tridentini Patres hac dicendi formula usi non fuerint: ad *solos* iudices ecclesiasticos, aut *omnes* causas matrimoniales — potestatem reliquerint iudicibus laicis cognoscendi saltem causas matrimoniales, quae sunt meri facti. Sed scimus etiam hanc captiunculam et fallax hoc cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim canonis ita generalia sunt, omnes ut causas comprehendant et complectantur. Spiritus vero sive ratio legis adeo late patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquat. Si enim hae causae non alia ratione pertinent ad unum ecclesiae iudicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicae Sacramentis, sicut haec Sacramenti ratio communis est omnibus causis matrimonialibus, ita omnes hae causae spectare unice debent ad iudices ecclesiasticos“ (*Roskovány*, Matrim. I, 420).

884. Benedictus XIV. in Brevi ad card. Eboracensem d. 9. Febr. 1749 ait de quadam lege matrimoniali Theodosii imperatoris: „Haec lex utpote a laico principe condita nullam habere vim in Matrimoniis debet“ (*Roskovány* l. c. p. 108).

Similia statuunt Pius VIII. in Encycl. d. 24. Mai 1829; Gregor. XVI. in Encycl. d. 15. Aug. 1832; Pius IX. in Brevi d. 22. Aug. 1851 etc. (cf. *Benedict. XIV.*, De synod. dioec. l. 8, c. 12, n. 6).

Similiter practice ecclesia hanc normam semper secuta est, ut variis factis ostendit *Perrone* (De Matrim. II, 374 sqq.).

885. *Arg. 3. Ex ratione.*

Si praeter ecclesiam etiam auctoritas civilis posset impedimenta dirimentia statuere, funestissima consecutaria accidere possent. Posset enim lex civilis nullum declarare Matrimonium, quod ecclesia validum iudicat, et maximae differentiae possent existere in variis regionibus, et hinc non solum pax publica saepissime perturbaretur, sed etiam fideles in gravissimas difficultates et conscientiae angustias conicerentur. Atqui non possumus supponere Deum talem statum rerum velle. Ergo cum constet ecclesiam habere potestatem statuendi impedimenta, etiam constat auctoritatem civilem hac potestate non frui.

Obiectiones, quas adversarii afferunt ex historia, ostendunt quidem ecclesiae saepe opportunum visum esse, sua potestate confirmare leges ab auctoritate civili latas, sed nequaquam probant ecclesiam umquam agnovisse ius principibus insitum ferendi leges Matrimonium irritantes. Cum singula hic afferre longum sit, conferatur *Palmieri*, De Matrim. p. 280 sqq.

886. *Schol. 1. De potestate gubernii civilis in Matrimonium.*

Occasione huius quaestionis de potestate magistratus civilis in Matrimonium, quod est Sacramentum, theologi solent movere dubium, *num gubernium civile fruatur potestate statuendi impedimenta dirimentia matrimonii, quod non est Sacramentum ecclesiae, sed quod fit inter non baptizatos.*

Multi quidem theologi id affirmant, ut *Sanchez* (De Matrim. l. 7, disp. 3, n. 5), *Schmalzgrueber* (De sponsal. n. 367), alii, quos allegat *Gasparri* (De Matrim. l. 1, p. 169, not. 1). Sed alii theologi id negant, ut *Perrone* (De Matrim. II, 439 sqq.), *Feije* (De imped. et dispens. Matrim. n. 67 sqq.), *Martin*, *Zigliara*, alii. „Est controversia, quae nostris praesertim temporibus inter Catholicos libere agitur“ (*Gasparri* l. c. p. 168). Audiamus prius negantis sententiae argumenta.

887. Imprimis auctoritas civilis ut civilis ideo non habet potestatem in Matrimonium, quia omne Matrimonium statim ab initio a Deo facta est res sacra. „Societas nuptiarum ab initio ita fuit constituta, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et ecclesiae Sacramentum“ (S. Leo M., Ep. 2 ad Rust. Narb., inquis. 4; M 54, 1204). Per Matrimonium igitur homo fit minister Dei et instrumentum eius ad propagandum populum et cultum Dei. Consequenter essentia Matrimonii est res tota quanta sacra, civilis autem res non est nisi secundum externas et accidentarias qualitates. In res autem hoc modo a Deo ipso constitutas et ad cultum Dei pertinentes auctoritas

civilis nullam potestatem habet. Ergo ad summum auctoritas civilis, in quantum fortasse in alio ordine simul esset auctoritas religiosa, haberet curam Matrimonii. Cum autem post institutionem ecclesiae alia auctoritas religiosa praeter ecclesiasticam iam non existat, consequenter dicendum est reipublicae civili nullam competere potestatem in substantiam Matrimonii. Idem igitur fere iudicium valet de Matrimonio atque de reliquis rebus religiosis gentilium (cf. Perrone, De Matrim. II, 443 sqq.). Quare Leo XIII. in Encyclica „Arcanum“ docet: „Iure civili res tantummodo ordinari atque administrari, quas Matrimonia efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum causa, scilicet nuptiale vinculum existat.“ Ergo ad auctoritatem civilem non spectat ipsum vinculum nuptiale, sed ea tantum, quae hoc vinculum sequuntur.

888. *Dicis:* Deus male providit societati civili, si, deficiente ecclesia, ne devolutive quidem ad eam pertineret cura rerum sacrarum.

Resp.: Deus non vult esse auctoritatem civilem, quae non sit subiecta ecclesiae. Ergo si hoc tamen fit, et mala eveniunt, haec mala non divinae providentiae, sed malitiae hominum ascribenda sunt.

889. *Dicis:* Gubernium civile posse etiam aliquid circa iuramentum et alias res sacras; ergo argumentum ex natura rei sacrae non valet.

Resp.: Nullam esse paritatem, cum iuramentum et similia sint res sacrae ordinis naturalis, Matrimonium vero sit signum unionis Christi cum ecclesia, quae est res plane supernaturalis. Iamvero circa res sacras ordinis supernaturalis potestas civilis nihil potest. Quidquid igitur est de Matrimonio in alio forte ordine, in hoc ordine eius essentia est materia potestati civili plane subducta.

890. *Porro matrimonii ius et institutum aderat ante societatem civilem, et ex ipsa natura secundum modum plane determinatum in individuo procedit.* „Fallitur proinde, quisquis existimat matrimonium, dummodo absit ab eo ratio Sacramenti, non esse nisi contractum mere civilem atque ideo civili auctoritate solubilem. Quod secus est, nam primo matrimonium non est contractus mere civilis, sed et contractus naturalis, divino iure ante omnem societatem institutus et firmatus, qui etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocumque mere civili contractu, quod in eo genere civili consensus certis de causis interdum per legem suppleatur; in Matrimonio vero nulla humana potestate suppleri consensus valeat.“ Ita Pius VI. ad episc. Agriens. 11. Jul. 1789 (*Roskovány*, Matrim. I, 291). Inauditum autem est posse auctoritatem civilem ordinare ea, quae in individuo ex ipsa humana natura procedunt, ut e. g. sunt omnia, quae ad sustentationem corporis requiruntur. Itaque omnes censerent intolerabilem tyrannidem, si gubernium civile singulis vellet praescribere, quid edere et bibere

deberent. Sed multo maior est tyrannis sese interponere rebus Matrimonialibus et quoad has res homines ultra leges naturales in conscientia obligare velle, ita ut fierent peccata fornicationis actus ii, quos natura licitos esse voluit. Nam si concedimus gubernium civile posse hoc modo tractare res homini adeo sacras et ad intimos animi sensus pertinentes, non apparet, quid tandem eius arbitrio traditum non sit.

891. *Dicis:* Nonne hoc argumentum aequè impeteret potestatem ecclesiae in Matrimonium baptizatorum?

Resp.: Negative. Nam licet Matrimonium sit prius quam ecclesia ratione contractus, est tamen post ecclesiam ratione Sacramenti. Atqui ecclesia habet ius in Matrimonium non ratione contractus, sed ratione Sacramenti.

892. *Iam audiamus, quae afferantur argumenta ad vindicandam hanc potestatem auctoritati civili.* Schmalzgrueber (De sponsal. n. 367) ait: „Ratio est expedita, quia matrimonia infidelium non sunt Sacramentum, sed contractus mere civilis; igitur sicut infideles potestati legislativae suorum principum ac magistratum subiecti sunt quoad alios contractus, ita etiam quoad Matrimonium.“

Respondent adversarii: *Nego ant.*, quia est contra disertam doctrinam plurium pontificum, ut Leonis Magni, Innocentii III. aliorumque (cf. supra n. 700 sq. 727). Porro per hanc falsam rationem plures ex auctoribus, ad quos provocat Schmalzgrueber, in errorem inducti sunt, ut Sanchez et Coninck, qui docebant principes infideles ob suum nativum ius in contractus civiles posse impedimenta dirimentia statuere etiam pro suis subditis baptizatis.

893. *Porro ita argumentantur:* Maxime interest societatis civilis quaedam matrimonia non solum illicita, sed etiam irrita declarare posse. Ergo haec potestas societati civili concedenda est.

Respondent adversarii: Quod interdum valde utile sit quaedam matrimonia ita impediri, ut vinculum coniugale omnino nequi non possit, nihil probat. Neque enim omnia potest respública, quae interdum utilia sunt, cum potestas eius hoc limite circumscribatur, quod ad ea omnia et sola se extendat, sine quibus publica salus exsistere nequeat. Sed tantum abest, ut legibus civilibus circa matrimonium latis publicum bonum communiter promoveatur, ut in nulla fortasse parte saepius et miserabilius erraverint legislatores civiles quam in legibus matrimonialibus.

894. *Habet quidem Matrimonium suos effectus civiles et externos, qui sine dubio curae auctoritatis civilis subsunt, ut ius dotis, ius actionis, ius hereditatis, iura omnia, quae civitas ex sua parte Matrimoniiis*

secundum legem factis attribuat. Si quod igitur Matrimonium impediendum esse videtur, hoc ita fieri potest, ut respublica tali Matrimonio omnes effectus et iura civilia deneget. In quantum autem Matrimonium est sive ad prolem religiose educandam sive ad remedium concupiscentiae, sive ad mutuum amorem fovendum mutuumque auxilium praestandum, sive ad rem sacram significandam, in tantum non subest placito societatis civilis. Sub his enim rationibus homo Matrimonium non contrahit ut civis, sed ut homo et Dei servus in ordine supernaturali, sive simul est civis sive non est. Hae autem rationes ipsam essentiam Matrimonii constituunt. Ergo essentia Matrimonii non subest potestati civili. Recte ait I. P. Martin S. J.: „Princeps nullam auctoritatem habet nisi in actus, quos cives ut mere cives, non vero ut Christiani [vel ut homines tantum] exercent. Ergo qualitas civis, sicut nihil infert in contractum coniugalem, ita nullum fundat ius, quo possit princeps ullo modo in contractum istum agere. Ergo nulla ratione potest princeps contractum hunc ordinare nec proinde irritum facere“ (De Matrim. [Lugduni 1844] Pars 2, p. 184). Explicat idem scriptor varia dicta S. Thomae, ad cuius auctoritatem utraque pars pro sua sententia provocat (l. c. p. 104 sqq.; cf. e. g. 2, 2, q. 104, a. 5; Suppl. q. 50, a. 1 ad 4; Contra gent. l. 4, c. 78; Quodl. 5, a. 15 ad 1; In 4, d. 39, a. 2 ad 3).

895. Tandem allegant varia responsa S. Congr. de prop. fide, quae pluries declaravit pro nullis habenda esse matrimonia inita ab infidelibus contra leges irritantes suae regionis (cf. Gasparri, De Matrim. 1, n. 287 sqq.).

Quod S. Congregatio semel vel iterum declaravit matrimonia gentilium inita cum impedimentis dirimentibus iuris civilis pro nullis esse habenda, est practica tantum decisio, qua doctrina theoretica non definitur. Praeterea in opposita quoque sententia haec practica decisio facile intellegitur. Illi enim gentiles censendi sunt aestimasse se propter illud impedimentum non potuisse verum Matrimonium inire et ideo non habuisse mentem nisi vivendi in concubinato. Matrimonia igitur eorum practice pro nullis habenda sunt, quia ipsi ea pro nullis habuisse dicendi sunt. Declaratio autem theoretica et authentica Sedis apostolicae hucusque pro neutra sententia habetur.

Quibus consideratis haec conclusio statui posse videtur: Sententia, quae affirmat illam potestatem principis civilis, pro se habere videtur maiorem auctoritatem externam. Sententia vero negans melioribus rationibus internis niti videtur.

896. Ceterum in hac re fortasse non alienum est in memoriam revocare, quod ait Benedictus XIV., qui, postquam inter alia de nostra quoque quaestione locutus est, citat verba Guil. Durandi iun.: „Saeculares potestates quasi per quandam alluvionem frustatim ad se

omnia trahunt. Et sicut frustatim lupo agnum comedit, ita et per ipsos iurisdictio ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur, quidquid ad ecclesiasticam iurisditionem, potissimum quoad temporalia pertinet, sibi competere putantes. Et pauci sunt casus ad ecclesiam pertinentes, in quibus directe vel indirecte per eos ecclesiastica iurisdictio non turbetur in diversis mundi partibus“ (De Synod. l. 9, c. 9, n. 11). Quae cum ita sint, nulla tribuenda est reipublicae civili potestas in res privatas et religiosas, quae evidenter probari non possit. Evidens autem non est rempublicam habere hanc potestatem, quippe quae a bonis doctoribus ob bonas rationes negetur. Ergo concedenda non videtur.

897. Schol. 2. De matrimonio civili.

Matrimonium civile intellegitur matrimonium, quod non secundum praecepta ecclesiae, sed secundum leges civiles et coram magistratu civili attentatur. Distinguitur matrimonium civile *facultativum*, si arbitrio contrahentium permittitur, num tali modo velint contrahere; *obligatorium*, si omnes, qui volunt Matrimonium inire, obligantur ad hunc modum; *subsidiarium*, si lex statuit, ut civiliter iungantur, quos ecclesia aut non vult aut non potest coniungere.

Cum vero Matrimonium Christianorum semper sit Sacramentum, cuius cura ad unam ecclesiam pertinet, sequitur administrationem Matrimonii, quam respublica civilis sibi arrogat, procedere ex principio haeretico, pugnare contra iura ecclesiae a Deo data, ducere ad contemptum religionis, protegere concubinatum, scandalis multis viam aperire. Hos fructus exitiales matrimonium civile tulit, ubicumque introductum est, nisi forte homines catholici solam externam formam matrimonii civilis ex necessitate servent, quamvis nequaquam admittant res matrimoniales ad gubernium civile pertinere. Ita enim necessitati cedere licitum esse potest, dummodo tales contrahentes leges ab ecclesia praescriptas servent (cf. Benedict. XIV., De Synod. l. 6, c. 7).

APPENDIX.

DE CAELIBATU CLERICORUM.

898. Cum supra ostenderimus caelibatum praestare Matrimonio ideoque a Christo et apostolis tum verbis tum exemplo fidelibus commendatum esse, mirum videri non potest, quod prae ceteris ii caelibatum observare debeant, qui in ecclesia ceteris exemplo perfectionis esse debent, i. e. clerici. Hinc factum est, ut omnibus temporibus praecipue inter clericos invenirentur, qui caelibatum colerent. Sed paulatim *ecclesia omnibus maioribus clericis caelibatum lege praescripsit.*

Et ecclesia quidem latina caelibatum omnibus subdiaconis, diaconis, presbyteris, episcopis praescripsit. Ita in *Decret. Gregor. IX.* l. 3, tit. 3; cf. *Conc. Trid.* sess. 24, can. 9.

899. *In ecclesia orientali non tam severa est lex caelibatus.* *Synodus Trullana* (a. 692) episcopis interdicit usum Matrimonii, aliis autem clericis permisit cum uxore vivere, quam ante subdiaconatum duxerant, et simul concessit, ut lectores uxorati ad maiores ordines promoveri possent, dummodo ne essent bigami et virginem duxissent, post ordinem vero subdiaconatus susceptum vetuit Matrimonium iniri. De qua re loquitur *Benedict. XIV.* in constitutione „Etsi pastoralis“ d. 26. Mai 1742: „Etsi optandum quam maxime esset, ut Graeci, qui sunt in sacris ordinibus constituti, castitatem non secus ac Latini servarent, nihilominus, ut eorum clerici, subdiaconi, diaconi et presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros ordines virgines, non viduas neque corruptas, duxerint, romana non prohibet ecclesia. Eos autem, qui viduam vel corruptam duxerint vel ad secunda vota, prima uxore mortua, convolarunt, ad subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum promoveri omnino prohibemus. Praeterea si quis subdiaconus, diaconus vel presbyter post sacram ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit vel, si uxorem non habebat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poena aliisque nostro et successorum nostrorum romanorum pontificum arbitrio infligendis severissime punietur, verum etiam statim ab ordine erit deponendus et ab illegitima uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos ordines contractum nullum irritumque declaramus.“

900. Ergo constat *legem caelibatus maiorum clericorum non esse iuris divini*, sed ecclesiastici, quia secus ecclesia tam universalem dispensationem concedere non potuisset, tum etiam quia nulla lex divina huius rei ostendi potest (cf. *Gregor. de Valentia* t. 4, disp. 9, punct. 5). Et haec est communis sententia theologorum.

901. Disputant autem theologi, *utrum praxis graeca an praxis latina fuerit primitiva praxis ecclesiae.* Legem caelibatus esse apostolicae originis censent *Gregorius de Valentia, Bellarminus, Vasquez, Thomasinus, Zaccaria*, ex recentioribus *Phillips* et *Bickell* (*Zeitschrift für kathol. Theol.*, Innsbruck 1878, p. 26 sqq.; 1879, p. 792 sqq.; 1880 p. 792), alii. Oppositam sententiam defendunt *Schelstrate, Natalis Alexander, Tillemont, Tournely* et ex recentioribus *Hefele, Probst, Funk* (*Theol. Quartalschrift*, Tübingen 1880, p. 202 sqq. et *Real-Encycl. der christl. Alterthümer* I, 304 sqq.), *Laurin*, alii. Inde a fine saeculi IV. in ecclesia occidentali legem caelibatus viguisse omnes concedunt. Cum vero de prioribus saeculis documenta sufficientia praesto non sint, quaestio semper disputata manebit. De subdiaconis hic non agitur, cum iis postea tantum universaliter caelibatum praescriptum esse constet, sed agitur de solis ordinibus sacramentalibus.

902. Primum documentum plane indubium spectans ad universam ecclesiam latinam est Epistula Siricii papae ad Himerium Tarracensem (a. 385), in qua c. 7 (*M* 13, 1138) ait: „Si beatus propheta (Ierem. 9, 1) ad lugenda populi peccata non sibi ait lacrimas posse sufficere, quanto nos possumus dolore percelli, cum eorum, qui in nostro sunt corpore, compellimur facinora deplorare. . . . Plurimos enim sacerdotes atque levitas post longa consecrationis suae tempora tam de coniugibus propriis quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, et crimen suum hac praescriptione defendere, quia in Veteri Testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa. . . . Dominus Iesus, cum nos suo illustrasset adventu, in evangelio protestatur, quia legem venerit implere, non solve. Et ideo ecclesiae cuius sponsus est, formam castitatis voluit splendore radiare. . . . omnes sacerdotes atque levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae sobrietati ac pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his, quae cotidie offerimus, placeamus.“ His verbis Siricius aperte non inducit novam legem, sed legem iam diu existentem inculcat. Fortasse autem usque ad ea tempora lex caelibatus potius ex consuetudine quam ex lege scripta observabatur. Nam recte quidam dixit hanc legem tum tantum coeptam esse scribi in charta, cum desiisset scripta esse in cordibus.

Ad apostolicam traditionem provocat iam *Conc. Carthag. II.* (a. 390) c. 2: „Decet sacrosantos antistites et Dei sacerdotes necnon

et levitas continentis esse in omnibus, quo possint suppliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut, quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus." Alia Concilia vide apud *De Augustinis* (De Ordine p. 148).

903. Ceterum non in occidentali tantum ecclesia, sed etiam in orientali ecclesia caelibatum observatum fuisse sancti Patres testantur. Imprimis exstat testimonium in ea parte „Canonum ecclesiasticorum“, quae a criticis saeculi secundi esse censetur. Ibi enim c. 16 legimus de episcopo: „Καλὸν μὲν εἶναι ἀγόναιος, εἰ δὲ μὴ, ἀπὸ μιᾶς γυναικός.“¹ Deinde vero de presbyteris statuitur: „Δεῖ οὖν εἶναι τοὺς πρεσβυτέρους ἢ δὴ χειροτονίας ἐπὶ τῷ κόσμῳ τρόπῳ τῶν ἀπεχομένων τῆς πρὸς γυναῖκας συνελύσεως.“

Eusebius Caesariensis de doctoribus et praedicatoribus verbi Dei scribit: „His autem ipsis, ut melioribus studiis vacent liberius, seiunctus a re uxoria victus adamatur, velut iis, qui divina et incorporea sobole propaganda occupati tenentur... Verumtamen eos, qui sacra sunt atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps se ipsos a commercio uxoris decet“ (Demonstr. evang. c. 9; *M* 22, 82).

S. Epiphanius docet: „Ex virginum ordine [sacerdotium] praecipue constat; aut si minus e virginibus, certe e monachis; si vero ex monachorum ordine ad illam functionem obeundam idonei non fuerint, ex his creari sacerdotes solent, qui se a suis uxoris continent aut secundum unas nuptias in viduatione versantur“ (Exposit. fid. cath. n. 21; *M* 42, 823).

„Cum sacerdotalia munera et ornamenta [Christus] cum iis, qui post unas nuptias continentiam servaverint aut in virginitate perstiterint, communicanda esse velut in quodam exemplari monstraverit, id apostoli deinde ecclesiastica sacerdotii regula honeste ac religiose decreverunt“ (Haer. 48, n. 9; *M* 41, 867). Ecclesia „eum, qui adhuc in Matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi ordinem admittit, sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit aut ea sit orbat; quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur. At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt. Respondeo non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam“ (Haer. 59, n. 4; *M* 41, 1023).

¹ Quod ultimum incisum Dr. Harnack vertit: „Eines Weibes Mann“, et addit: „Die Erklärung Pitras zu unserer Stelle, oportere episcopum esse aut caelibem aut unius uxoris viduum ist tendentiös“ (Die Quellen der apostol. Kirchenordnung p. 9). Sed revera versio doctoris Harnack est falsa; nam ἀπὸ μιᾶς γυναικός non potest significare „utens una uxore“, sed solum „separatus ab una uxore“.

S. Hieronymus scribens contra Vigilantium et Iovinianum, caelibatus osores, testatur etiam in Oriente caelibatum observari: „Quid enim faciunt Orientis ecclesiae? quid Aegypti et sedis apostolicae? quae aut virgines clericos accipiunt aut continentis aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt“ (Contra Vigil. n. 2; cf. Contra Iovin. l. 1, n. 34; *M* 23, 341. 256; Ep. 1 ad Pannach. n. 21; *M* 22, 510).

Similia habent *Origenes* (Hom. 6 in Levit. n. 6; *M* 12, 474) et *Cyrrill. Hierosol.* (Catech. 12, n. 29; *M* 33, 762), ut de posterioribus Patribus sileamus.

904. Quae contra apostolicam originem legis caelibatus afferuntur, sunt haec:

a) S. Paulus docet oportere episcopum esse „unius uxoris virum“ (1 Tim. 3, 2). Sed dicendum est hunc textum neque pro caelibatu citari posse neque contra caelibatum; namque S. Paulus certe non vult praescribere, ut nemo ordinetur, nisi qui habeat uxorem, sed solum, ne ordinetur bigamus. Ex eo autem, quod non ordinandus est bigamus, nullo modo solvi potest quaestio, num ordinatis liceat uti Matrimonio.

b) Cum meliore ratione afferuntur haec: Clemens Alex. ait: „Ναὶ μὴν καὶ τὸν τῆς μιᾶς γυναικός ἄνδρα πάντοτε ἀποδέχεται [ὁ ἀπόστολος 1. c.], καὶ πρεσβύτερος ἢ καὶ διάκονος καὶ λαϊκός ἀνεπιλήπτως γάμῳ χρώμενος, σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας“ (Strom. l. 3, c. 12; *M* 8, 1189). Sed illud incisum ἀνεπιλήπτως γάμῳ χρώμενος potest ad solum verbum λαϊκός referri; et sic obiectio solvitur ab iis, qui apostolicam originem legis caelibatus defendunt.

Synodus Ancyrana (a. 314) c. 10 diaconis usum Matrimonii permittit, si ante susceptum ordinem declaraverint se non posse continentiam servare. Sed responderi potest: Ergo quia cum his diaconis dispensat haec Synodus provincialis, per se et pro reliquis omnibus valebat lex caelibatus. Quod aliae Synodi declararunt episcopis et presbyteris non licere sub specie pietatis uxores e domo eicere, hoc non probat episcopos et presbyteros potuisse vel debuisse uti Matrimonio, sed eos debuisse secum retinere et alere uxores suas, quia tenebantur earum curam agere. Quod *Socrates* (1, 11; *M* 67, 102) et *Sozomenus* (1, 23; *M* 67, 926) narrant, S. Paphnutium in Conc. Nicaeno restitisse, ne clericis maioribus continentia praescriberetur, cum sufficeret post ordines susceptos uxores non ducere, non vero opus esset dimitti uxores antea ductas, a multis, ut *Bellarmino*, *Thomassino*, *Bickell*, historia fabulosa, fide non digna habetur.

Alia minoris momenti apud scriptores citatos videri possunt (cf. *Hurter* III, n. 577 sqq.). Fatendum est in hac quaestione ad certitudinem venire non posse, et utramque sententiam sua probabilitate non carere.

905. *Convenientia caelibatus* facile intellegitur; nam si in Vetere Testamento tempore sacrificii sacerdotes ab uxoribus abstinere debebant, quanto magis postulat reverentia sacrificii Eucharistici, ut sacerdotes sancti et incontaminati sint.

Quod Sacramentum Paenitentiae attinet, experientia docet multo maiori cum fiducia populum christianum sacerdoti caelibae conscientiam suam aperire quam uxorato.

Sacerdotes ad omnem sanctitatem, etiam ad virginitatem, populum christianum exhortari debent. Sed multo minus efficaciter hoc fit a sacerdote uxorato quam a caelibae.

Cura familiae impedit curam pastorem, maxime in rebus periculosis et difficilibus, ut tempore morbi contagiosi vel in missionibus apud barbaras gentes.

Caelibatu abusus cavetur, in quem sacerdotes induci facile possent, ut beneficia ecclesiastica non dignis, sed filiis suis procurarent, et bona ecclesiae non in usum pauperum, sed ad ditandam sobolem suam impenderent, ut docet e. g. exemplum sectae anglicanae.

906. *Obiectiones*, quae contra caelibatum proferuntur, plurimae sunt tam miserabiles, ut refutatione non indigeant.

Imprimis *nemo cogitur ad caelibatum*, sicut nemo cogitur ad clericatum, et cum nemo ante annum 22. ad subdiaconatum admittatur, sine dubio haec aetas sufficit, ut homo diiudicet, utrum possit et velit caelebs manere necne.

Caelibem vitam agere cum gratia Dei non est nimis difficile, cum permulti homines ad talem vitam agendam sine suo consensu ex sola necessitate cogantur. Ita omnes, qui nondum potuerunt Matrimonium inire, qui habent coniugem incurabili morbo laborantem, qui legibus civilibus propter officia publica Matrimonium inire prohibentur.

Tentationibus impugnari non est malum, sed potius occasio exercendae virtutis et acquirendi meriti. Ceterum constat eos, qui velint in Matrimonio caste vivere, non minores difficultates experiri, quam qui ob amorem Dei caelibatum colunt.

Chronicum scandalorum ex historia malorum sacerdotum componere ad impugnandum caelibatum est aut magna stultitia aut insignis malitia. Nititur enim haec argumentatio supposito plura scandala fieri inter caelibes quam inter uxoratos, cum contrarium sit manifestum. Adulteria enim non sunt adeo rara; et illi ipsi praedicatores verbi, qui tempore „reformationis“ uxores duxerant, nequam omnes erant in Matrimonio castitate praeclari. Multum abfuit. Ipse Lutherus saepius adulterii accusabatur (Epist. [ed. de Wette] V, 395. 506. 625. 753). Hodie quoque scandalosa facta ministellorum protestantium testimonio foliorum publicorum satis frequentia sunt. Illi, qui summa diligentia scandala clericorum collegerunt, pauca volumina impleverunt, in quibus plurima ad rem non pertinent; si vero

conscribenda essent scandala uxoratorum, ingens bibliotheca facile fieret. Quam rara in foliis publicis apparent peccata sacerdotum, si comparantur cum criminibus, quae ab hominibus Matrimonio iunctis patrantur. Ergo neque caelibatus est ratio neque Matrimonium remedium omnium scandalorum. Ceterum si quid illa facta scandalosa probarent, etiam probarent abrogandam esse unitatem Matrimonii, cum haec hominibus flagitiosis intolerabile iugum videatur, et ita occasio multorum criminum existat.

Quamvis igitur sub honestatis specie multi contra caelibatum pugnaverint, certum tamen est nullos inter hos impugnatores existisse sanctitate valde conspicuos, cum plurimi et maximi sancti sibi satisfacere non posse viderentur in praedicandis virginitatis laudibus. Quis ex caelibatus osoribus potuit sine impudentia dicere cum S. Paulo commendante caelibatum: „Puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam“ (1 Cor. 7, 40.)?

INDEX ALPHABETICUS.

(Numeri indicant paginas.)

A.

Absolutio sacramentalis numquam ab ecclesia denegata est morientibus dispositis 19 sq.; — neque clericis maioribus in graviora crimina lapsis 22; — in Gallia olim denegabatur capitis damnatis *ibid.*; — de absolute moribundorum 34 sqq. 81 sqq.; — necessario supponit confessionem 72 sqq.; — non potest absentem dari 81 sqq.; — peccata venialia sunt materia sufficiens absolute 84; — item peccata iam confessione remissa 85 sq.; — utrum in vetere ecclesia absolutio sacramentalis data sit ante an post satisfactionem impletam 110; — verba absolute 112 sqq.; — quis sit proprius eorum sensus 114 sqq.; — de absolute condicionata 117; — absolutio dari debet verbis 124 sq.; — paenitentiam praesenti 125 sq.; — absolutio per telephonium data 126 sq.; — soli episcopi et presbyteri valide absolvi possunt 173 sqq.

Actus paenitentis recte dicuntur materia proxima Paenitentiae 28; — cur dicantur *quasi materia* 31.

Adulterium alterutrius coniugis non solvit vinculum matrimoniale 349 sqq.

Adultus solus est subiectum capax Matrimonii 385; — num requiratur in eo pubertas 385; — quid ecclesia in hac re statuerit 385 sq.

Affinitas quaenam impediatur Matrimonium 388.

Albertus Magnus, B., de unctionibus in administratione Sacramenti Extremae Uctionis 231.

Alexander III; unus sacerdos sufficit ad Extremam Uctionem administrandam 245; — ex delegatione simplex presbyter potest esse minister quorundam Ordinum 294; — ad Matrimonium sufficit solus consensus 333; — proposi-

tum servandae virginitatis non repugnat contractui matrimoniali 337; — de indissolubilitate interna Matrimonii 343; — Matrimonium ratum solvitur per professionem religiosam 366.

Alexander VIII de attritione ex metu gehennae 60; — damnat lansenistas negantes satisfactionem sacramentalem impleri posse post absolute 109.

Alphonsus Maria de Ligorio, S., de absolute moribundorum 34; — de absolute moribundi sensibus destituti 82; — num confessarius possit satisfactionem imponere sine ulla obligatione 99; — de approbatione parochorum 184; — Matrimonium est indissolubile 343 sq.

Ambrosius, S., de ecclesiae potestate remittendi peccata contra Novatianos 9 sq.; — nullum omnino peccatum a potestate clavium excludi 16; — neque veterem ecclesiam prohibuisse, quominus post sollemnem paenitentiam relapsi absolventur 21; — peccatori adulto actum contritionis esse necessarium ad salutem 44; — opera poenalia satisfaciunt ex opere operantis 103; — paenitentia publica est valde utilis 107; — minister Paenitentiae est solus sacerdos 174; — de thesauro ecclesiae 209 sq.; — de munere diaconorum 260 sq.; — celebratio Matrimonii est res sacra 313; — Matrimonio anexa est gratia 314; — Maria et Ioseph fuerunt veri coniuges 329 sq.; — de indissolubilitate Matrimonii 353; — laudat S. Theclam ob virginitatem servatam 365; — polygamia simultanea inter christianos vetita est 375; — polygamia successiva licita est 380; — de velatione sponsarum 397; — de ecclesiae potestate in Matrimonium 399.

Ambrosius Vulgatus non negavit potestatem clavium ad omnia peccata extendi 18.

Amentes: num perpetuo amentes possint

recipere Extremam Uctionem 241; — possunt recipere Sacramentum Ordinis 284 sq.

Amor initialis requiritur ad attritionem 64.

Anastasius II ordinationes ab episcopo schismatico factas validas declarat 292.

Anastasius Sinaita de paenitentia publica 95.

Aneyrana Synodus: episcopi indulgentias concedere possunt 215; — de caelibatu clericorum 411.

Anulus in celebratione Matrimonii quid significet 397.

Approbatio ad confessiones audiendas quid sit 182 sq.; — a solo episcopo loci dari potest 183; — variis modis limitari potest 183 sq.

Arausicanum I: clericis petentibus Paenitentiam non esse denegandam 22; — de indulgentiis 213.

Arausicanum II: actum paenitentiae salutaris debere esse entitative supernaturalem 41.

Armeni: forma absolute sacramentalis ab ipsis usitata 121.

Athanasius, S.: condignam paenitentiam peccata eluere 17 sq.; — soli episcopi habent potestatem ordinandi 288.

Athenagoras: polygamia simultanea inter christianos vetita est 374.

Attritio quid sit 50; — a veteribus theologis alio sensu adhibetur atque nunc 67, nota; — concepta ex metu poenarum potest esse actus bonus et salutaris 58 sqq.; — quinam timor sit motivum bonum ad detestanda peccata 63; — attritio non appreciative magis aestimat malum poenae quam malum culpae 64; — de amore initiali ad attritionem requisito 64; — attritio est dispositio proxime sufficiens ad iustificationem per Sacramentum Paenitentiae obtinendam 65 sqq.; — quid sit: hominem attritum per absolute fieri contritum 70.

Augustinus, S., de duplici notione *paenitentiae* 2; — Sacramento Paenitentiae peccata sanantur 10; — de verbis *Matth. 12, 31. 32* 12 sq.; — sola positiva impaenitentia non habet remissionem 13; — ecclesia Dei omnia potest peccata dimittere 16; — cur in vetere ecclesia semel tantum concedebatur sollemnis paenitentia 21; — peccatori adulto actus contritionis est necessarius ad salutem 44; — contritio per se debet esse formalis 45 sq.; — caritas perfecta delet omnia peccata 52; — exhortatur ad timorem poenarum, quas Deus minatur pro peccatis 60; — de timore serviliter servili 62; — de confessione publica et secreta 91. 95; — paenitenti

debent imponi satisfactiones salutaris et convenientes 98; — opera poenalia satisfaciunt ex opere operantis 103; — de sensu verborum absolute 115; — de forma absolute sua aetate usitata 121 sq.; — Deus non semper totam poenam temporalem remittit 146; — de necessitate confessionis sacramentalis 154 sq.; — Ordo est verum Sacramentum 250; — ordinatio episcopi est Sacramentum et imprimit characterem 270 sq.; — de ordinationibus factis ab episcopis haereticis 291; — actus coniugalis voluptatis causa habitus peccatum est 304 sq.; — de verbis *Gen. 2, 24* 310; — Christus Matrimonium speciali modo sanctificavit 313; — Matrimonio anexa est gratia 314 sq.; — Maria et Ioseph fuerunt veri coniuges 330; — de indissolubilitate Matrimonii 353 sq.; — de privilegio Paulino 357; — de polygamia in Vetere Testamento 376; — significatio mystica Matrimonii non servatur in polygamia 377; — polygamia successiva licita est 380 sq.; — virginitas praestat Matrimonio 393.

B.

Baius erravit circa caritatem ad iustificationem requisitam 51; — propositiones damnatae 53; — damnantur eius theses de valore operum poenarum 102; — damnatur eiusdem propositio de efficacia indulgentiarum 207 sq.

Ballerini: sententia S. Thomae de materia proxima Paenitentiae 29, nota; — sententia Patrum Trident. de eadem 32, nota; — posse relinqui coniugem infidelem, nisi velit ad fidem converti 363.

Baltimoreense Concilium III de privilegio Paulino in favorem infidelis conversi 361.

Basilii, S., ostendit absolute sacramentalem necessario supponere confessionem 77; — de confessione secreta 91; — de materia Sacramenti Ordinis 275; — Maria et Ioseph fuerunt veri coniuges 331; — ob adulterium Matrimonium solvi non posse 353; — de ecclesiae potestate in Matrimonium 398 sq.

Bellarminus, Card.: non requiritur certus gradus intensionis neque mora ulla temporis ad veram contritionem 57; — explicat textum *Iac. 5, 14 sqq.* 152; — num ecclesia potuisset praecipere confessionem, nisi Christus eam praecepisset 160; — de facto Nectarii 163; — Matrimonium perficatur per consensum de praesenti 334; — num lex naturalis quasdam rationes assignaverit, ob quas

- licite solvi possit contractus matrimonialis 344 sq.
- Benedictus XI:** peccata confessione iam remissa esse materiam sufficientem Sacramenti Paenitentiae 85.
- Benedictus XIV:** posse ex commissione romani pontificis a simplici sacerdote benedici oleum infirmorum 229; — de forma Extremae Unctionis 233 sq.; — quibusnam hoc Sacramentum administrari debeat 242; — de materia Sacramenti Ordinis 276, 277, 278; — de supplenda traditione instrumentorum in ordinatione omissa 280; — infanti posse sacros Ordines conferri 285; — episcopi quoad licitatem debent a tribus episcopis consecrari 290; — inter B. Virginem et S. Ioseph verum et ratum fuisse Matrimonium 332; — de materia et forma Matrimonii 340; — de interna indissolubilitate Matrimonii 355; — privilegium Paulinum concessum esse iure divino 358 sq. 362; — summus pontifex ex iusta causa solvere potest Matrimonium ratum 369; — secundas et alteriores nuptias licitas declarat 381; — de Matrimoniis mixtis 384; — ecclesia potest statuere impedimenta pro haereticis 401; — solius ecclesiae est statuere impedimenta matrimonialia pro baptizatis 402; — de potestate gubernii civilis in Matrimonium 407; — de Matrimonio clericorum in ecclesia graeca 408.
- Benedictus Iustinianus** de privilegio Paulino in favorem infidelis conversi 357.
- Bernardus, S.:** caritatem perfectam iustificare 52.
- Bonaventura, S.:** ut contritio sit perfecta et iustificet, non requiritur determinatus gradus intensitatis neque determinata duratio temporis 57; — per se omnino requiritur contritio perfecta ad Sacramentum Paenitentiae 65 sq.; — de necessitate confessionis sacramentalis 157; — de potestate iurisdictionis 180.
- Bonifacius VIII** ratas habet indulgentias peregrinationis ad Urbem 216; — votorum sollemnitatem ab ecclesia institutam esse 366.
- Bosco:** episcopatum posse valide suscipi non praesupposito presbyteratu 286.

C.

- Cabillonensis Synodus II** de Sacramento Extremae Unctionis 225.
- Caelibatus:** status caelibatus Matrimonio praestat 390 sqq.; — obiectiones maxime vulgares 393 sq.; — *cael. clericorum* in ecclesia latina et orientali 408; — non est iuris divini 409; — num

praxis latina an graeca fuerit primitiva 409 sq.; — difficultates contra apostolicam eius originem 411; — convenientia 412; — obiectiones contra caelibatum 412.

Caerimoniae Extremae Unctionis quae sint et num sub gravi obligent 246; — *Matrimonii* quae sint et quomodo obligent 396 sqq.; — *ordinationum* locus et tempus 297 sq.; — interstitia servanda etc. 299 sq.

Caesarius Arelatensis: satisfactiones valent aut ad avertendas poenas temporales aut ad redimendas poenas purgatorii 103; — de Sacramento Extremae Unctionis 224.

Caletanus non recte exponit verba *Iac. 5, 14, 15* 222; singularis sententia de polygamia simultanea Christianorum 374.

Calvinus: Paenitentiam non esse nisi Baptismi recordationem 4; — negat et irridet Extremam Unctionem 221; — negat Ordinem esse Sacramentum 248 sq.; — Matrimonium non esse Sacramentum 309 sq.; — et solvi posse ob adulterium alterius coniugis 349.

Canones Apostolorum: episcopus a duobus vel tribus episcopis ordinetur 290.

Canones Ecclesiastici de caelibatu clericorum in ecclesia orientali 410.

Canonistae quid doceant de Matrimonio, num conferat gratiam 317; — olim nonnulli defendebant Matrimonium non perfici essentialiter per consensum de praesenti 327.

Canus, Melchior: eius sententia de contractu matrimoniali 321 sq.

Caritas perfecta cur dicatur contritio virtualis 47; — quandonam contritio sit caritate perfecta 51; — utrum homo actu caritatis iustificetur 47 sq. 50 sqq. 53; — actus caritatis sufficit ad obtinendam remissionem culpae venialis 49; — in Vetere Lege erat contritio caritate perfecta 51 sq.; — Propositiones Bani a S. Sede proscriptae 53.

Carthaginiense II de caelibatu clericorum 409 sq.

Carthaginiense III de ordinationibus factis ab episcopis haereticis 292.

Carthaginiense IV (vulgatum) de ordinatione Lectorum 253; — de Exorcistis 254; — de ordinatione diaconorum 263; — de munere diaconissarum 264 sq.; — de Matrimonio celebrando 397; — agnoscit ecclesiae potestatem in Matrimonium 399.

Catechismus Romanus de gravitate Sacramenti Paenitentiae 2 sq.; — cur actus paenitentis vocentur *quasi materia* huius Sacramenti 31; — contritio perfecta semper iustificat 53; — de contritione

appretiative summa 57; — unus homo pro altero potest satisfacere 108; — confessio sacramentalis deterret a peccando 159; — magnae utilitates confessionis 159 sq.; — de communione sanctorum 208; — convenientia olei olivarum pro materia Extremae Unctionis 227 sq.; — de Sacramento Ordinis 247; — de sacerdotio omnium Christianorum 268; — ad Matrimonium sufficit solus consensus de praesenti 333 sq.; — Matrimonium est indissolubile etiam iure naturae 344.

Causae matrimoniales exclusive pertinent ad forum ecclesiasticum 398 sqq.; — *Vide* Impedimenta Matrimonii.

Character imprimatur Sacramento Ordinis 282; — num in qualibet ordinatione detur novus character 282 sq.

Chirothecae quid significant 300.

Chrysologus, Petrus, S.: sponsi olim manibus gestabant candelas accensas 397.

Chrysostomus, S., Io., de ecclesiae potestate remittendi peccata 10; — est potestas iudicialis 26; — caritas perfecta tollit omnia peccata 52; — metus gehennae regni nobis affert coronam 60; — de timore serviliter servili 62; — docet reviviscentiam meritorum 136; — de necessitate confessionis 154, 165 sqq.; — de thesauro ecclesiae 207; — de Sacramento Extremae Unctionis 223; — Ordo est verum Sacramentum 250; — de ordinatione diaconorum 262; — de libello repudii et indissolubilitate Matrimonii 353; — status caelibatus praestat Matrimonio 393.

Clemens Alexandrinus commendat timorem poenarum, quas Deus minatur pro peccatis 60; — non novit Ordines minores 256; — adulterio Matrimonium solvi non posse 352; — polygamia simultanea inter Christianos vetita est 374 sq.; — licita vero polygamia successiva 381; — de caelibatu clericorum 411.

Clemens Romanus, S., de necessitate confessionis 152 sq.

Clemens VI exponit naturam indulgentiarum 195 sq.; — de thesauro ecclesiae 207.

Clemens VIII damnat doctrinam docentium validitatem absolutionis absenti datae 81; — quo sensu hoc decretum sit intelligendum 82; — de forma absolutionis Graecorum 124; — de sigillo confessionis servando 193; — ex delegatione summi pontificis posse etiam simplices sacerdotes oleum infirmorum benedicere 229.

Clemens XI damnat Quesnelli errores circa attritionem 60 sq.

Coelestinus I graviter vituperat morientibus Paenitentiam denegantes 19 sq.

Pesch, Praelectiones dogmaticae. VII.

Communio sanctorum quid sit 208.

Compunctio quid significet 43.

Concubinae quae vocentur in Vetere Testamento 377 sq.; — apud veteres scriptores christianos 378 sq.

Concupiscentiae remedium est bonum Matrimonii 306.

Confessio ascetica = laico vel diacono facta 175; — *publica* non est de necessitate Sacramenti 89 sq.; — num ecclesia umquam pro peccatis occultis publicam confessionem praescripserit 93 sq.; — confessiones publicae in historia occurrentes 94; — *sacramentalis* definitur 72; — secundum doctrinam protestanticam 5, nota; — est per se sola materia Sacramenti Paenitentiae 30; — quid de moribundo, qui non potest confiteri 34 sqq. 81 sqq. — *Integra:* ad Sacramentum Paenitentiae recipiendum requiritur confessio formaliter integra omnium peccatorum mortalium 72 sqq.; — deducuntur quaedam conclusiones 75; — declaranda sunt omnia peccata gravia secundum numerum et speciem 76; — quoniam circumstantiae necessario explicandae sint 76 sq.; — damnatur Lutheri doctrina 78; — rationes excusantes ab integritate materiali confessionis 78 sq.; — num confessio necessario verbis fiat 79 sqq.; — num sit de necessitate confessionis, ut paenitens sacerdoti praesenti immediate et per se ipsum revelet peccata sua 80 sq.; — confessio distincta necessaria est 86; — num ad valorem confessionis necesse sit accusari peccata mortalia dubia 87 sq. — *Secreta:* publica confessio non est de necessitate Sacramenti 89 sqq.; — neque confessio secreta 93; — num ecclesia umquam pro peccatis occultis publicam confessionem praescripserit 93 sq. — *Necessaria:* omnibus post Baptismum graviter lapsis 149 sqq. — Utilitates confessionis 159 sq. — Num ecclesia potuisset praecipere confessionem, nisi Christus eam praecepisset 160 sq.; — num ecclesia possit in hac lege dispensare aut eam abrogare 161; — factum Nectarii 162 sqq.; — praeceptum divinum confessionis obligat peccatores baptizatos saltem in articulo mortis et etiam interdum extra articulum mortis 168 sqq.; — de subiecto huius obligationis 168 sqq.; — de tempore obligationis 170 sq.; — de lege ecclesiastica annuae confessionis 171 sqq.; — confessio per interpretem 172. — *Soli sacerdoti* facienda 173 sqq.; — de confessione laicis vel diaconis facta 175 sq.

Congregatio s. Officii: privilegium Paulinum in favorem fidei concessum esse iuris divini 358.

Congregatio de Propaganda Fide de privilegio Paulino in favorem fidei 359 sq.

Coniugium B. V. Mariae cum S. Ioseph fuit verum Matrimonium 328 sqq.

Consanguinitas quatenus irritet Matrimonium 387.

Consensus de praesenti quid sit in Matrimonio 327; — Matrimonium essentialiter perficitur per consensum de praesenti 327 sqq.

Constitutiones Apostolicae: potestas clavium est potestas iudicialis 26; — de „reconciliatione“ 213 sq.; — Ostiariorum munus 252; — de Exorcistis 254; — de munere subdiaconorum 258; — de munere diaconorum 260; — de eorum consecratione 263; — de munere diaconissarum 264; — praecipunt episcopum ordinari a duobus vel tribus episcopis 290.

Contractus matrimonialis non potest separari a Sacramento 320 sqq.; — de variis contractibus matrimonialibus 324 sqq.; — num lex naturalis quasdam rationes assignaverit, ob quas licite solvi possit 344 sq.; — iure mere humano solvi nequit 345 sq.

Contritio: definitur 36. 43; — dividitur 50; — de quibusnam peccatis esse possit 42; — actus contritionis peccatori adulto est ad salutem necessarius 43; — contritio per se debet esse formalis 45 sqq.; — per accidens sufficit contritio virtualis 47; — quare sit necessaria aut in re aut in voto 48; — necessario debet esse appreciative summa 48; — debet esse universalis *ibid.*; — ad obtinendam remissionem culpae venialis sufficit sed non requiritur contritio perfecta 49. — Contritio perfecta = caritate perfecta semper iustificat, licet Sacramentum Paenitentiae re non suscipiatur 50 sqq.; — error Lutheri et Baii 51; — non tamen eo sensu iustificat, quod sit ipsa formalis causa iustificationis 54; — utrum sola contritio, quae caritate perficitur, iustificet an etiam ea, quae informatur alio motivo, cuius terminus est Deus 54; — ut contritio sit caritate perfecta et iustificet, non requiritur determinatus gradus intensitatis neque determinata duratio temporis 55 sqq.; — num possit contritio esse nimia 58. — Contritio imperfecta 58 sqq. *Vide* Attritio. — Num contritio debeat formaliter concurrere ad confessionem 72.

Copula carnalis: obiectum proximum contractus matrimonialis est ius ad copu-

lam 303; — extra Matrimonium est illicita 307; — ad coniugium non requiritur copula 327 sqq. 334 sqq.; — neque in ordine naturali ipsa facit Matrimonium indissolubile 344; — inhabilitas ad copulam est impedimentum Matrimonii dirimens 386.

Cornelius, papa, S., de materia Sacramenti Ordinis 275.

Cyprianus, S., de ecclesiae potestate remittendi peccata 8. 19; — peccatori adulto actum paenitentiae esse necessarium ad salutem 44; — de confessione secreta 90; — satisfactiones valent ad avertendas poenas temporales et ad redimendas poenas purgatorii 103; — concedebat absolutionem et communionem antequam tota paenitentia impleta esset 110; — de absolutione non sacramentali 110 sq.; — reconciliatio ob martyrum preces et merita 214. 215; — de materia Sacramenti Ordinis 275.

Cyrillus Alexandrinus: materia Extremae Unctionis est oleum olivarum 227; — Ordo est verum Sacramentum 250; — Matrimonium a Christo speciali modo sanctificatum est 313.

D.

Decretales Gregorii IX de Extrema Unctione 243; — subdiaconatum non esse Sacramentum 258 sq.; — de manuum impositione in administratione Sacramenti Ordinis 277; — sacerdotium ad valorem Ordinis non supponere diaconatum 287; — episcopum, quae Ordinis episcopalis sint, non posse delegare presbyteris 297; — Matrimonium per procuratorem contrahi posse 326; Matrimonium ratum esse verum Sacramentum 332; — ad Matrimonium sufficere solum consensum de praesenti 333; — propositum servandae virginis non repugnare contractui matrimoniali 337; — de indissolubilitate interna Matrimonii 343; — privilegium Paulinum in favorem infidelis conversi 359; — Matrimonium ratum solvitur per professionem religiosam 366; — polygamia simultanea Christianis interdicitur 375; — de pubertate nupturientium 385 sq.

Decretum Gratiani: quanta satisfactio paenitentibus imponi debeat 99 sq.; — dimissa peccata in ultionem ulterius non redeunt 132; — de necessitate confessionis 157; — ad coniugium requiri copulam 330. 335.

Denzinger de forma absolutionis deprecative apud Orientales 121; — doctrina Graecorum schismaticorum de necessitate confessionis sacramentalis 158.

Detestatio peccatorum = virtus paenitentiae 36 sqq. *Vide* Paenitentiae virtus. — Essentialiter requiritur ad contritionem 46. *Vide* Contritio. — Requiritur actus formalis detestationis ad remissionem culpae venialis sacramentaliter obtinendam 50; — qualis debeat esse, ut dari possit absolutio 65 sqq.

Diaconatus est Sacramentum 261 sqq.; — non requiritur ad valorem presbyteratus 287; num possit ex delegatione conferri a simplici sacerdote 294 sq.

Diaconi: de confessione diaconis olim facta 175 sq.; — de diaconorum nomine et munere 260; — ipsorum est baptizare, praedicare 261; — diaconi apud Protestantibus 261; — ordinatio diaconorum 263. 278 sq.

Diaconissae: nomen et qualitates 264; — munera diaconissarum 264 sq.; — ritus consecrationis 265; — diaconissae Protestantium 265.

Dionysius Areopagita (Vulgatus) de ordinatione diaconorum 263.

Divortium iure mere humano sanciri nequit 345; — incommoda, quae ex divortio auctoritate civili sancitis nascuntur 346; — quoad torum et cohabitationem 350 sq.

Doctrina duodecim Apostolorum de necessitate confessionis sacramentalis 152.

Dolor peccati quid intellegatur 37; — debet esse moderatus *ibid.*; — potest esse de peccatis alienis 42; — necessario requiritur ad contritionem 46; — debet esse obiective summus 48; — in omni casu aliquis dolor requiritur ad Sacramentum Paenitentiae 72. *Vide* Attritio. Contritio. — Confessarius, si necesse sit, debet paenitentem excitare ad dolorem 190.

Durandus de materia Sacramenti Ordinis 274; — de characterе Ordinis 282; — quid docuerit de existentia Matrimonii 316 sq.

E.

Eliberitana Synodus quid intellegat „communione“ peccatoribus denegare 19; — absolutionem privatam concedit clericis maioribus in graviora crimina lapsis 22; — ob adulterium Matrimonium solvi non potest 354.

Epiphanius, S., de sensu verborum *Hebr.* 6, 6: „rursus renovari ad paenitentiam“ 15; — docet reviscentiam meritorum 135 sq.; — de consecratione diaconissarum 265; — mulier non est subiectum capax Ordinis 284; — ad solos episcopos pertinet ordinatio 288; — Christus Matrimonium speciali modo

sanctificavit 313; — de caelibatu clericorum in ecclesia graeca 410.

Episcopatus est Sacramentum 269 sqq.; — obiectio adversariorum 272.

Episcopus: episcopi interdum vocabantur „sacerdotes“ 266; — ordinatio (consecratio) episcopi 279. 289. 298. 300; — minister ordinarius Ordinum quoad valorem est quilibet episcopus 287 sq.; — quoad licitatem est episcopus proprius 289; — de ordinationibus factis ab episcopis haereticis vel schismaticis 291 sqq.; — unguentur chrismate 300.

Error quondam obstat validitati Matrimonii 387.

Euchologium Graecorum de consecratione diaconorum 263; — de consecratione episcoporum 271.

Eugenius IV docet Sacramenti Paenitentiae quasi materiam esse actus paenitentis 31; — de forma Sacramenti Paenitentiae 125; — de materia Sacramenti Ordinis 277 sq.; — causa efficiens Matrimonii est mutuus consensus 322. 333. 341; — Matrimonii vinculum perpetuum est 354; — secundas et ultiores nuptias licite contrahi posse 381.

Eusebius Caesariensis de caelibatu clericorum in ecclesia graeca 410.

Examen sponsorum: de quibusnam rebus parochus id instituere debeat 396.

Exomologesis quid significet 12.

Exorcistarum munus 253.

Extrema Unctio est consummatio Paenitentiae 220; — nomen et definitio *ibid.*

Existentia: est verum Sacramentum 221; — convenientia huius Sacramenti 226; — „apud Marcum insinuat“ 226 sq.

Essentia: Materia remota est oleum 227; — convenientia huius materiae 227 sq.; — oleum debet esse benedictum 228 sq.; materia proxima est ipsa unctio 229 sq.; — cur praescribantur septem unctiones *ibid.*; — unctio renum quando omittenda 230; — cur quinque sensus unguentur 230 sq. — Forma est oratio significans effectum Sacramenti 231 sqq.; quatenus verba sint essentialia 233; — utrum necessario preferenda sint modo deprecativo 233 sq.

Effectus absolutus est augmentum gratiae sanctificantis 235 sq.; — et deletio reliquiarum peccati 236 sq.; — quid sit deletio reliquiarum peccati 236 sqq. — Effectus conditionatus est restitutio sanitatis corporis 238; — quando effectus conferantur 239.

Subiectum et necessitas: subiectum est adultus baptizatus 240; — num perpetuo amens 241; — non potest administrari nisi gravi morbo laboran-

tibus 241 sq.; — num adsit praeceptum divinum sub gravi obligans ad susceptionem Extremae Unctionis 243; — de eius iteratione 243 sq.

Minister: solus sacerdos potest valide administrare Extremam Unctionem 244 sq.; — unicus sacerdos sufficit 245; — solus pastor animarum potest licite suis subditis hoc Sacramentum potestate ordinaria administrare 246. — Caerimoniae praescriptae 246.

F.

Florentinum definit existentiam Sacramenti Paenitentiae 11; — docet formam Paenitentiae 113; — cur in administratione Extremae Unctionis praescribantur septem unctiones 229; — primarius effectus huius Sacramenti 237; — eiusdem effectus condicionatus 238; — administrari non potest nisi gravi morbo laborantibus 241; — de materia Sacramenti Ordinis 277.

Forma Extremae Unctionis est oratio significans effectum Sacramenti 231 sqq.; — forma latina 231 sq.; — forma graeca 232; — quanam verba sint essentialia 233; — utrum verba necessario preferenda sint modo deprecativo 233 sq. — *Matrimonii* (et simul materia) sunt ipsa verba vel alia signa, quibus consensus exprimitur 338 sqq. — *Ordinis* est oratio, quae cum impositione manuum iungitur 278 sqq. — *Paenitentiae* in quibusdam verbis consistat 112 sqq.; — proprius sensus horum verborum 114 sqq.; — debet esse formaliter indicativa 118 sq.; — per se tamen potest esse materialiter deprecativa 119 sq.; — talis forma deprecativa probabiliter aliquando in usu fuit 120; — quando in ecclesia latina introducta sit forma indicativa 121 sqq.; — ecclesia potest praecipere unam formam tanquam unice validam 123 sq.

Fornicatio est illicita 307 sq.; — lex, quae eam vetat, numquam exceptionem admittit 308 sq.; — ob fornicationem coniux quoad torum et habitationem separari potest et interdum debet 350.

Franzelin, Card., de doctrina vetustorum Scholasticorum quoad Ordines minores 255.

Freisen, Dr. Ios.: sententia quorundam Canonistarum de Matrimonio 327.

G.

Gasparri: ordinationes infra diaconatum non esse verum Sacramentum 255; — num abbatibus Cisterciensibus conces-

sum fuerit privilegium conferendi Ordines usque ad diaconatum inclusive 295; — de potestate gubernii civilis in Matrimonium 403.

Gelasius papa: ex delegatione simplicem presbyterum posse esse ministrum subdiaconatus et minorum Ordinum 294; — ordinationes certis quibusdam temporibus faciendas esse 298.

Gonet de reviviscencia meritorum 140.

Gratia sacramentalis Sacramenti Paenitentiae 127; — Extremae Unctionis 237; — Ordinis 281 sq.; — Matrimonii quid efficiat 341 sq.

Gregorius Magnus, S.: actus contritionis peccatori est necessarius 44; — contritio per se debet esse formalis 45; — caritas perfecta iustificat 52; — de satisfactione paenitentibus imponenda 98; — Deus non semper totam poenam temporalem remittit 146; — num in administranda Extrema Unctione quinque sensus sint ungenti 230 sq.; — Ordo est verum Sacramentum 250; — de caelibatu subdiaconorum 259; — de munere diaconorum 261; — de eorum consecratione 263; — de presbyterissis 267; — concedit, ut episcopus ab uno solo consecretur 290; — de ecclesiae potestate in Matrimonium 399.

Gregorius Nysenus, S.: Ordo est verum Sacramentum 249.

Gregorius IX num docuerit manuum impositionem esse ritum accidentalem 277; — episcopus, quae Ordinis episcopalis sunt, non potest delegare presbyteris 297.

Gregorius XIII de privilegio Paulino in favorem infidelis conversi 360.

Gregorius XVI: materiam Extremae Unctionis esse oleum ab episcopo benedictum 228.

Guillelmus Altisiodorensis: indulgentiae a b. Gregorio in stationibus Romae institutae 216.

Guillelmus Parisiensis de forma absolutionis sacramentalis 122; — num episcopus sit Sacramentum 270.

H.

Henricus Ostiensis: Matrimonio non conferri gratiam 317.

Hermae Pastor docet potestatem clavium 17; — de necessitate confitendi peccata 153; — de dimittenda uxore ob adulterium 352; — polygamia successiva licita est 380.

Hieremias Patriarcha de Sacramento Eucharistiae 225.

Hieronimus, S.: potestas remittendi peccata per Sacramentum Paenitentiae est

potestas iudicialis 26; — ostendit absolutionem sacramentalem necessario supponere confessionem 77; — opera mortificata reviviscunt per Paenitentiam 135. 136; — ministros Paenitentiae esse solos episcopos et presbyteros 174; — de materia Sacramenti Ordinis 275; — solus episcopus potestatem ordinandi habet 288; — de ordinationibus factis ab episcopis haereticis 292; — de coniugio B. V. Mariae cum S. Ioseph 331 sq.; — de verbis *Matth. 19, 9*: „nisi ob fornicationem“ 350; — de indissolubilitate Matrimonii 353; — permittit polygamiam successivam 380; — de caelibatu clericorum in ecclesia orientali 411.

Hilarius, S.: nullum omnino peccatum a potestate clavium excludi 16; — potestas remittendi peccata per Sacramentum Paenitentiae est potestas iudicialis 26.

Hinemarum Rhemensis: num copula necessaria sit ad verum Matrimonium 335.

Hugo Victor. de necessitate confessionis 156; — de traditione instrumentorum in ordinatione 277.

I.

Iansenistae docebant satisfactionem sacramentalem omnino implendam esse ante absolutionem 109.

Ignatius de Loyola, S., de insigni fructu indulgentiarum 219.

Ignatius Martyr, S., non novit Ordines minores 255; — de diaconorum munere 262; — presbyteros habere ministeria altaris 266; — celebrationem Matrimonii esse rem sacram 312.

Impedimenta Matrimonii dirimentia quanam sint 388; — ecclesia habet potestatem a Christo acceptam ea pro suis subditis statuendi 398 sqq.; — dubium esse non potest, quin ecclesia potestatem habeat statuendi eadem impedimenta etiam pro haereticis 400 sq.; — haec potestas est solius ecclesiae 401 sqq.; — obiectiones 403; — de potestate gubernii civilis in Matrimonium 403 sq. — *Impedimenta impedientia* quae sint 388.

Impositio manuum, nomen Sacramenti Paenitentiae 2; — non est pars essentialis huius Sacramenti 33 sq.; — est materia Sacramenti Ordinis 273 sqq.; — quid significet 300.

Impotentia est impedimentum Matrimonii dirimens 386.

Impubes sunt inhabiles ad Matrimonium contrahendum 385.

Indissolubilitas Matrimonii interna: Sacramentum Matrimonii efficit vinculum

inter virum et mulierem intrinsecus plane indissolubile 341 sqq.; — utrum indissolubilitas interna Matrimonii rati oriatur ex Sacramento tantum an etiam ex ipso contractu naturali 344 sqq.; — num libello repudii in Vetere Testamento solutum fuerit vinculum coniugale 347 sq.; — de obligationibus, quae ex hoc vinculo oriuntur 349; — ne ob adulterium quidem alterius coniugis coniux vinculum matrimoniale solvere potest 349 sqq. — *Indissolubilitas externa*: matrimonium infidelium, etiam consummatum, solvi potest quoad vinculum, quando altero coniuge manente in infidelitate alter ad fidem convertitur 355 sqq.; — num privilegium Paulinum etiam pro iis valeat, qui convertuntur ad sectam haereticam christianam 363; — num matrimonium in infidelitate contractum solvatur etiam per professionem religiosam coniugis conversi 364; — num Matrimonium possit solvi, si ex coniugibus fidelibus alter incidit in infidelitatem 364; — vinculum Matrimonii rati per professionem religiosam alterius coniugis solvitur 364 sqq.; — cur susceptio Ordinis sacri vel vota simplicia non solvant vinculum Matrimonii rati 368; — Matrimonium ratum ex iusta causa auctoritate summi pontificis solvi potest 368 sqq.; — Matrimonium ratum et consummatum est etiam extrinsecus prorsus indissolubile 371 sqq.; — varii gradus indissolubilitatis 372 sqq.; — soluto vinculo prioris Matrimonii novae nuptiae licitae sunt 379 sqq.

Indulgentia quid sit 195; — num sit etiam remissio culpae 196 sq.; — indulgentia „in remissionem peccatorum“ 197; — quid conferat ad remissionem culpae 197 sq.; — error Lutheri 198; — error Veronii 198 sq.; — quotupliciter dividatur 200. 206; — qua ratione et quando applicari possit animabus purgatorii 202 sqq.; — ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias 206 sqq. 211 sqq.; — indulgentiae stationum Romae 216; — expeditionis in Terram sanctam 217; — pro defunctis *ibid.*; — indulgentia Iubilaei 218; — insignis fructus indulgentiarum 218 sq.; — condiciones ad lucrandas indulgentias 219.

Infantes num possint recipere Extremam Unctionem 240; — possunt suscipere ordines 285.

Infideles: privilegium Paulinum in eorum favorem 355 sqq. *Vide* Privilegium Paulinum.

Innocentius I. in vetere ecclesia dabatur interdum absolutio, antequam tota paenitentia impleta esset 110; — de Sacra-

mento Extremae Uctionis 223 sq.; — materia Sacramenti Ordinis 275; — Matrimonio anexa est gratia 314.

Innocentius III de Extrema Uctione 243; — testatur subdiaconatum non esse Sacramentum 258 sq.; — sacerdotium ad valorem Ordinis non supponit diaconatum 287; — Matrimonium ratum est verum Sacramentum 332; — de indissolubilitate interna Matrimonii 343; privilegium Paulinum in favorem infidelis conversi 359; — Matrimonium ratum solvitur per professionem religiosam 366; — polygamia simultanea Christianis illicita est 375.

Innocentius VIII num abbatibus Cisterciensibus concesserit privilegium conferendi Ordines minores, subdiaconatum et diaconatum 295 sq.

Innocentius XI: venialium confessio ne fiat simplici sacerdoti non approbato 182; — de sigillo confessionis servando 193.

Instrumentorum traditio num sit materia Sacramenti Ordinis 273 sqq.; — de suppleta hac traditione omissa 280.

Integritas confessionis formalis omnium peccatorum mortalium requiritur ad Sacramentum Paenitentiae recipiendum 72 sqq.; — declaranda sunt omnia peccata mortalia secundum numerum et speciem 76; — quanam circumstantiae necessario declarandae sint 76 sq.; — damnatur Lutheri doctrina 78; — Materialis integritas quando non requiritur 78 sq.; — Confessarius debet curare integritatem confessionis 190.

Interstitia inter Ordines sunt servanda 298 sq.; — quo sensu concedatur dispensatio 299.

Irenaeus, S.: in vetere ecclesia etiam gravissima peccata remittebantur 19; — de confessione publica et privata 90.

Isidorus Hispalensis, S., de quibusdam caerimoniis Matrimonii 397.

Iubilaeum quid sit 218; — quando concedatur *ibid.*

Index quis vocetur 23; — quomodo sententiam ferre debeat *ibid.*

Iurisdictio: quid sit potestas iurisdictionis 176; — quomam distinguantur potestas iurisdictionis et potestas ordinis 176 sq.; iurisdicatio ordinaria et delegata 177; — variis modis limitari potest 183 sqq.; — de iurisdictione dubia et probabili 187 sq.

Iustinus Martyr, S.: adulterium non solvit vinculum Matrimonii 352.

K.

Krieg de vestimentis sacris in primaeva ecclesia 274, nota.

L.

Lactantius de nomine *paenitentiae* 1; — de necessitate confessionis sacramentalis 154.

Lateranense IV definit existentiam Sacramenti Paenitentiae 11; — de confessione peccatorum secreta et de sigillo servando 92; — ut sacerdos valide absolvat, requiritur potestas iurisdictionis 177 sq.; — confessarius curet integritatem confessionis 190; — indiscretas indulgentias abrogat 212.

Lectores interdum laici constituebantur 253; — eorum munus 253.

Leo Magnus, S.: Paenitentiae Sacramento peccata remittuntur 10; — nullis morientibus dispositis absolutio est dene-ganda 20; — clericis maioribus primis saeculis non ubique concedebatur paenitentia publica 22; — de peccatorum confessione secreta 91 sq.; — de satisfactione imponenda 98; — num episcopatus sit Sacramentum 271; — materia Sacramenti Ordinis 275; — quibus diebus episcoporum consecratio fieri debeat 298; — de institutione Matrimonii 311; — de potestate gubernii civilis in Matrimonium 403.

Leo X papa damnat Lutherum docentem peccata venialia non esse materiam sufficientem absolutionis 84; — romanum pontificem posse concedere indulgentias 196; — de thesauro ecclesiae 207.

Leo XIII docet Matrimonium esse verum Sacramentum 319; — in Matrimonio christiano contractum a Sacramento non esse dissociabilem 323; — etiam apud infideles existere Sacramentum Matrimonii 324; — incommoda, quae ex divortii auctoritate civili sancitis nascuntur 346; — de potestate gubernii civilis in Matrimonium 404.

Libellum repudii: Deus permisit dare in Vetere Testamento 347; — num hoc libello vinculum coniugale solutum fuerit 347 sq.

Libri paenitentiales quinam dicantur 12.

Lombardus, Petrus: omnino requiri contritionem perfectam ad Sacramentum Paenitentiae 65; — exponit sensum verborum absolutionis sacramentalis 114 sq.; — de necessitate confessionis 156; — num negaverit Matrimonium conferri gratiam 316; — Matrimonium perficitur per consensum de praesenti 334; — de privilegio Paulino 357.

Lugdunense II reprobatur polygamiam simultaneam 375; — secundas et ultiores nuptias licitas dicit 381.

Lugo, Card. de, de absolutione moribundorum 34; — defendit plura motiva

contritionis sufficientis ad iustificationem 54; — cur peccata iam confessione remissa sint materia sufficiens absolutionis 85 sq.; — de remissione indirecta peccatorum 88 sq.; — de sensu verborum absolutionis sacramentalis 116; — de forma Paenitentiae deprecative 119 sq.; — docet reviviscentiam meritorum 137; — num ecclesia potuisset praecipere confessionem, nisi Christus eam praeciperet 160 sq.; — effectus Sacramenti Ordinis est augmentum gratiae 281; — fornicatio in omni casu est illicita 308 sq.

Lupus, Christianus, describit caritatem „intensam“ 55.

Lutherus: Paenitentiam non esse verum Sacramentum 4; — erravit circa paenitentiae virtutem 36; — circa necessitatem contritionis 51; — reicit attritionem 59; docet confessionem omnium peccatorum non esse necessariam 78; — peccata venialia non esse materiam sufficientem absolutionis 84; — docet Deum semper totam poenam temporalem remittere 144; — eius error circa indulgentiarum efficaciam 198; — Extremam Uctionem reicit 221; — negat Ordinem esse Sacramentum 248; — Matrimonium non esse Sacramentum 309; — et solvi posse ob adulterium alterius coniugis 349, nota; — de polygamia simultanea Christianorum 373 sq.

M.

Maldonatus: quot sint Ordines 272; — inter B. V. Mariam et S. Ioseph verum fuisse Matrimonium 328.

Manuum impositio nomen Sacramenti Paenitentiae 2; — non est pars essentialis huius Sacramenti 33 sq.; — est materia Sacramenti Ordinis 273 sqq.; — quid significet 300.

Martene de forma Extremae Uctionis 233; — de forma Sacramenti Ordinis 279; — de materia et forma Matrimonii 339.

Martinus V damnat errorem Wiclifi circa necessitatem confessionis sacramentalis 158.

Materia Extremae Uctionis: remota est oleum olivarum 227; — convenientia huius materiae 227 sq.; — oleum debet esse benedictum 228 sq.; num simplex sacerdos illud benedicere possit 229. — Materia proxima est ipsa unctio 229; — unctio renum quando omittenda 230; — cur quinque sensus ungantur 230 sq. — *Matrimonii* (et forma eiusdem) sunt ipsa verba vel alia signa, quibus consensus exprimitur 338 sqq.; — materia

remota sunt corpora contrahentium 339. — *Ordinis*: variae sententiae 273 sq.; — est impositio manuum 274 sqq.; — doctrina Innocentii III et Gregorii IX, 277; — de suppleta traditione instrumentorum omissa 280. — *Paenitentiae*: remota ex qua, nulla est 28; — proxima sunt actus paenitentis 29 sqq.; — cur dicatur quasi materia 31; — num illi actus pertineant ad integritatem an ad essentiam Sacramenti 32, nota.

Matrimonium est institutum naturale 301; — Matrimonii nomen 301; — definitur 302; — de consensu 302 sq.; — obiectum proximum 303; — Matrimonium est licitum 304 sq.; — fines Matrimonii 306 sq.; — extra Matrimonium copula carnalis est illicita 307 sqq.

Essistentia: est verum Sacramentum 309 sqq.; — difficultates ex *Magistro* et canonistis 316 sqq.; — quando institutum sit 319 sq. — Contractus Matrimonii sine Sacramento inter Christianos existere non potest 320 sqq.; — de variis contractibus matrimonialibus 324 sqq. — Essentialiter perficitur per consensum de praesenti 327 sqq.; — difficultates solvuntur 334 sqq.

Materia et forma sunt ipsa verba (vel alia signa), quibus consensus exprimitur 338 sqq.; — reicitur obiectio 340 sq.

Effectus: Matrimonium efficit vinculum intrinsecus indissolubile inter virum et mulierem 341 sqq.; — utrum interna indissolubilitas Matrimonii rati oriatur ex Sacramento tantum an etiam ex ipso contractu naturali 344 sqq.; — de obligationibus, quae ex vinculo coniugali oriuntur 349; — ne ob adulterium quidem alterius coniugis coniux vinculum matrimoniale solvere potest 349 sqq. — Matrimonium infidelium, etiam consummatum, solvi potest quoad vinculum, quando altero coniuge manente in infidelitate alter ad fidem convertitur 355 sqq. *Vide* Matrimonium infidelium. — Vinculum Matrimonii rati per professionem religiosam alterutrius coniugis solvitur 364 sqq.; — cur susceptio Ordinis sacri vel vota simplicia non solvant vinculum Matrimonii rati 368; — Matrimonium ratum ex iusta causa auctoritate summi pontificis solvi potest 368 sqq.; — Matrimonium ratum et consummatum est etiam extrinsecus prorsus indissolubile 371 sqq. — Sacramentum Matrimonii efficit vinculum exclusivum, quo durante coniuges inhabiles fiunt ad secundum

Matrimonium cum aliis personis 273 sqq.
 — Solutio vinculo prioris Matrimonii
 novae nuptiae licitae sunt 379 sqq.
Subiectum ad Sacramentum hoc va-
 lide et licite ineundum 382 sqq.
Necessitas: Sacramentum Matrimonii
 nulli homini per se est necessarium
 388 sqq.; — status caelibatus Matri-
 monio praestat 390 sqq.
Ministri Sacramenti Matrimonii sunt
 ipsi contrahentes 395 sq.; — cur Matri-
 monium dicatur Sacramentum laicorum
 395; — quomodo peccent contrahentes
 in statu peccati 395 sq.
Caerimoniae Sacramenti Matrimonii
 396 sqq.
Potestas ecclesiae in Matrimonium: ec-
 clesia habet potestatem a Christo accep-
 tam statuendi pro suis subditis impedi-
 menta Matrimonii dirimentia 398 sqq.; —
 dubium esse non potest, quin potestatem
 habeat statuendi impedimenta etiam pro
 haereticis 400 sq. — Potestas consti-
 tuendi impedimenta dirimentia pro bap-
 tizatis est solius ecclesiae 401 sqq. —
 De potestate gubernii civilis in
 Matrimonium 403 sqq. — Obiectiones
 403. 404.
Matrimonium civile quid intellegatur,
 quomodo dividatur, quid de eo sit tenen-
 dum 407.
Matrimonium clandestinum quid sit
 338; — est verum Matrimonium, quam-
 diu ecclesia irritum non facit *ibid.*
Matrimonium consummatum est etiam
 extrinsecus prorsus indissolubile 371 sq.
Matrimonium infidelium, etiam con-
 summatum, solvi potest quoad vinculum,
 quando altero coniuge manente in in-
 fidelitate alter ad fidem convertitur
 355 sqq.; — conversus autem debet
 alterum Matrimonium inire 356; — pri-
 vilegium Paulinum 356 sqq.; — num
 hoc privilegium etiam pro iis valeat,
 qui convertuntur ad sectam haereticam
 christianam 363; — num Matrimonium
 in infidelitate contractum solvatur etiam
 per professionem religiosam coniugis
 conversi 364; — num Matrimonium
 possit solvi, si ex coniugibus fidelibus
 alter incidit in infidelitatem 364.
Matrimonium mixtum est illicitum
 383 sq.; — condiciones, ob quas licite
 iniri potest 384 sq.; — quis dispensa-
 tionem possit concedere 385.
Matrimonium ratum est verum Sacra-
 mentum 332; — intrinsecus indissolubile
 341 sqq.; — num ratione Sacramenti
 an ex contractu etiam naturali 344 sqq.;
 — per libellum repudii vere solvebatur
 vinculum coniugale 346 sqq.; — ob
 adulterium solvi non potest 349 sqq.;

— vinculum Matrimonii rati per pro-
 fessionem religiosam alterutrius coni-
 ugis solvitur 364 sqq.; — ex iusta causa
 solvi potest auctoritate summi ponti-
 ficis 368 sqq.

Maximus Taurinensis, S.: Christus Matri-
 monium speciali modo sanctificavit 313.

Metus gravis irritat Matrimonium 387.

Milevitanum II de indissolubilitate Matri-
 monii 354.

Minister Extremae Unctionis: solus sacer-
 dos potest valide hoc Sacramentum
 administrare 244; — unicus sacerdos
 sufficit 245; — num plures valide ad-
 ministrare possint *ibid.* — Solus pastor
 animarum potest licite suis subditis
 hoc Sacramentum potestate ordinaria
 administrare, alius vero ex eius delega-
 tione tantum 246.

Minister Ordinis ordinarius quoad
valorem est quilibet episcopus 287 sqq.;
 — quoad *licitatem* est episcopus pro-
 prius 289; — de ordinationibus factis
 ab episcopis haereticis vel schismaticis
 291 sqq. — *Minister extraordinarius*
 (ex delegatione) quorundam Or-
 dinum potest esse simplex presbyter
 294 sqq.; — quis possit delegare pres-
 byterum ad hos Ordines conferendos
 296 sq.

Minister Paenitentiae est solus sacer-
 dos 173 sqq.; — de confessione laicis vel
 diaconis facta 175 sq.; — praeter po-
 testatem ordinis requiritur in ministro
 potestas iurisdictionis 176; — num
 quisvis sacerdos possit absolvere a pec-
 catis venialibus 181 sq.; — de ap-
 probatione 182 sq.; — iurisdicatio et
 approbatio variis modis limitari possunt
 183 sqq.; — ministri obligationes 189 sqq.

Ministri Matrimonii sunt ipsi contra-
 hentes 395 sq.; — quomodo peccent, si
 contrahant in statu peccati 395 sq.; —
 quo sensu sacerdos possit vocari mi-
 nister 396.
Minutius Felix de monogamia Christia-
 norum 374.

Montanistae haeretici virtutem Sacra-
 menti Paenitentiae ad certa peccatorum
 genera restringi dicebant 4; — enu-
 merantur peccata, quae ab ipsis diceban-
 tur irremissibilia 11.

Moribundi sensibus destituti num et quando
 possint absolvi 34 sqq. 81 sqq.

Morinus: alias formas absolutionis sacra-
 mentalis ac deprecativas olim in usu
 non fuisse 120 sq.

N.

Nectarius, episcopus Constantinop.: factum
 eius nihil probat contra necessitatem

confessionis 162 sqq.; — quidnam abro-
 gaverit 165.

Neocaesariensis Synodus de ecclesiae po-
 testate in Matrimonium 398.

Nicaenum I: nulli morienti disposito „ne-
 cessarium viaticum“ esse denegandum
 20; — de poena temporali relaxanda
 215 sq.; — de ordinationibus factis ab
 episcopis haereticis 291 sq.; — de poly-
 gamia successiva 381.

Nicolaus I: peregrinatio ad sepulcrum
 principis apostolorum 216; — de sub-
 iecto Ordinis episcopalis 286; — ad
 Matrimonium sufficere solum consen-
 sum 333; — de indissolubilitate interna
 Matrimonii 342 sq.; — polygamia simul-
 tanea apud Christianos vetita est 375.

Novatiani haeretici nonnulli docebant esse
 peccata irremissibilia 4; — damnantur
 8; — quatenus fuerint illa peccata 11.

Novatianus haeresiarca num omnem ec-
 clesiae potestatem remittendi peccata
 negaverit 4.

O.

Obex gratiae in Sacramento Paenitentiae
 non est peccatum nondum remissum 70.

Oleum olivarum est materia Extremae
 Unctionis 227; — debet esse benedic-
 tum 228 sq.; — num etiam simplex
 sacerdos possit illud benedicere 229.

Opera mortificata quid sint 133; — per-
 fecte reviviscunt 133 sqq.; — *poenalia*
 satisfaciunt ex opere operantis 100 sq.;
 — variae classes bonorum operum
 103 sq.; — a confessario imposita satis-
 faciunt ex opere operato 105; — quanta
 poena remittatur 105 sq.; — utrum per
 formulam absolutionis omnia nostra bona
 opera in genere eleventur ad satisfaciendum
 ex opere operato 106.

Ordinationes factae ab episcopis haereticis
 vel schismaticis 291 sqq.; — caerimoniae
 ordinationum 297 sqq.

Ordines minores quot sint 251 sq.; — non
 sunt Sacramentum 252 sqq.; — scho-
 lastici veteres 255; — argumenta ad-
 versariorum 256 sqq.; — ex delegatione
 administrari possunt a simplici pres-
 bytero 294.

Ordo definitur et explicatur 247 sq.

Existentia: est verum Sacramentum
 248 sqq.; — de tempore institutionis
 251; — Ordines minores non sunt
 Sacramenta 251 sqq.; — obiectiones ad-
 versariorum 256 sqq. — *Subdiaconatus*
 non est Sacramentum 258 sqq. —
Diaconatus est Sacramentum
 260 sqq.; — de diaconissis 264 sq. —
Presbyteratus est Sacramentum
 265 sqq.; — de presbyterissis 267; —

de sacerdotio omnium christianorum
 267 sq. — *Episcopatus* est Sacra-
 mentum 269 sqq. — Quot sint Ordines
 272.

Essentia: materia est impositio
 manuum 273 sqq.; — forma est oratio,
 quae cum illa impositione coniungitur
 278 sqq.; — de supplenda traditione
 instrumentorum ommissa 280.

Effectus est augmentum gratiae 281;
 — impressio characteris 282 sq.; — col-
 latio novae potestatis 283.

Subiectum est solus mas 283 sqq.;
 — Ordinis episcopalis est solus pres-
 byter 285 sq.; — quid requiratur ad
 Ordines licite suscipiendos 287.

Minister quoad valorem est epi-
 scopus 287 sq.; — quoad licitatem
 est episcopus proprius 289 sq.; — de ordi-
 nationibus factis ab episcopis haereticis
 vel schismaticis 291 sqq. — Simplex
 presbyter potest esse minister ex-
 traordinarius quorundam Ordinum
 294 sqq.; — quis presbyterum delegare
 possit ad hos Ordines conferendos 296 sq.

Caerimoniae ordinationum: locus et
 tempus 297 sq.; — interstitia servanda
 298 sq.; — manuum impositio, unctiones
 etc. 299 sq.

Orientales ecclesiae omnes docent Paeni-
 tentiam esse verum Sacramentum 10;
 — forma absolutionis deprecativa apud
 Orientales 120 sq.; — docent necessita-
 tem confessionis sacramentalis 158; —
 docent Ordinem esse verum Sacramen-
 tum 250; — item Matrimonium esse
 unum ex septem Sacramentis 318; —
 sed ob adulterium alterius coniugis solvi
 posse 350.

Origenes: potestas remittendi peccata 9;
 — testatur in vetere ecclesia etiam
 post sollemnem paenitentiam relapsis
 concessam fuisse absolutionem 20; —
 absolutio sacramentalis necessario sup-
 ponit confessionem 77; — publica con-
 fessio non est de necessitate Sacramenti
 90; — de necessitate confessionis 153;
 — de Sacramento Extremae Unctionis
 223; — non novit Ordines minores 256;
 — Matrimonio anexa est gratia 314;
 — Maria et Joseph fuerunt veri coni-
 uges 331; — ob adulterium Matrimonium
 solvi non posse 352.

Ostiarum: eorum munus 252; — eorum
 origo 252 sq.

P.

Pacianus, S.: potestas remittendi peccata
 non fuit solis apostolis collata 7; —
 refutat Novatianos 8.

Paenitentia publica in pristina ecclesia

11 sq. 95; — cur tantum semel concessa sit 21; — non ubique concedebatur clericis maioribus 22; — num ecclesia unquam pro peccatis occultis publicam paenitentiam praescripserit 93 sqq.; — est valde utilis 107 sq.

Paenitentiae Sacramentum: Necessitas 1. — *Nomen* et duplex significatio 1; — alia nomina 2. — *Definitio* 2.

Exsistentia: est verum Sacramentum 4; — haeretici 4 sq.; — reiciuntur a SS. Patribus 8 sqq. — Extenditur ad omnia omnino peccata remittenda 11 sqq.; — Paenitentia publica et privata 11 sq.; — Difficultates ex S. Scriptura 12 sqq.; — ex Patribus 16 sq. — Ecclesia absolutionem numquam morientibus dispositis denegavit 19 sq.; — neque post sollemnem paenitentiam relapsis 20 sqq.; — neque clericis maioribus in graviora crimina lapsis 22. — Potestas remittendi peccata per hoc Sacramentum est potestas iudicialis 23; — de differentia iudicii paenitentialis a foro externo 27.

Materia. *Exsistentia*: materia ex qua recte dicuntur actus paenitentis 28 sqq.; — secundum quem respectum actus paenitentis sint pars materialis Sacramenti 30; — obiectiones 33; — de manuum impositione in hoc Sacramento 33 sq.; — de absolutione moribundorum 34 sq. — *Detestatio* peccatorum i. e. paenitentia est vera virtus specialis 36 sqq.; — error Lutheri 36; — in homine, qui est in statu peccati, paenitentia non est virtus infusa 40; — actus paenitentiae salutaris debet esse entitative supernaturalis 40 sq.; — obiectum materiale 41 sq. — *Actus contritionis* peccatori adulto est ad salutem necessarius 43 sqq.; — paenitentia est necessaria necessitate medii 45; — et necessitate praeccepti *ibid.*; — quod tamen non obligat pro omni tempore *ibid.*; — contritio per se debet esse formalis 45 sqq.; — per accidens sufficit contritio virtualis 47 sq.; — contritio necessario debet esse appetitive summa 48; — et universalis 48 sq.; — quod tamen non valet de peccato veniali 49; — quid requiratur ex parte hominis ad obtinendam remissionem culpa venialis 49 sq. — *Contritio perfecta* semper iustificat, licet Sacramentum re non suscipiatur 50 sqq.; — haeretici 51. 53; — sed non eo sensu iustificat, quod sit ipsa formalis causa iustificationis 54; — utrum sola contritio, quae caritate perficitur, iustificet 54; — ut contritio sit caritate perfecta et iustificet, non requiritur determinatus gradus intensi-

tatis neque determinata duratio temporis 55 sqq.; — num possit contritio esse nimia 58. — *Attritio* concepta ex metu poenarum, quibus Deus peccatores punit, potest esse actus bonus et salutaris, qui positive excludat affectum peccandi 58 sqq.; — error Lutheri et aliorum 59 sq.; — de amore initiali ad attritionem requisito 64 sq.; — attritio est dispositio proxime sufficiens ad iustificationem per hoc Sacramentum obtinendam 65 sqq.; — de obice gratiae in Sacramento Paenitentiae 70; — de Sacramento Paenitentiae valido sed informi 70 sqq.; — num contritio debeat formaliter concurrere ad confessionem 72. — *Confessio* peccatorum mortalium formaliter integra ad Sacramentum hoc recipiendum requiritur 72 sqq.; — rationes excusantes ab integritate materiali 78 sq.; — num confessio necessario verbis fiat 79 sq.; — num sit de necessitate confessionis, ut paenitens sacerdoti praesenti immediate et per se ipsum revelet peccata sua 80 sq.; — peccata venialia non necessario accusanda sunt 83 sq.; — constituunt tamen materiam sufficientem absolutionis 84 sq.; — etiam peccata iam confessione remissa sunt materia sufficiens Sacramenti 85 sqq.; — num ad valorem confessionis necesse sit accusari peccata mortalia dubia 87 sq.; — de indirecta remissione peccatorum 88 sq.; — publica confessio non est de necessitate Sacramenti 89 sqq.; — secreta confessio non est de necessitate Sacramenti 93; — num ecclesia unquam pro peccatis occultis publicam paenitentiam vel confessionem praescripserit 93 sqq. — *Satisfactio* definitur 96; — minister Sacramenti per se debet paenitentibus salutare et convenientes satisfactiones imponere 96 sqq.; — quanta sit haec obligatio 99; — quanam satisfactio imponenda sit 99 sq.; — paenitens satisfactionem accipere et implere tenetur 100; — quandonam eam implere debeat *ibid.*; — opera poenalia satisfaciunt ex opere operantis 100 sqq.; — opera poenalia a confessario imposita satisfaciunt ex opere operato 105 sq.; — num remissionem poenae temporalis etiam aliter obtinere possimus 106 sq.; — num unus homo pro altero satisfacere possit 107 sq.; — satisfactio ante absolutionem impleri potest 108 sq.; — satisfactio impleri potest post absolutionem 109 sq.; — utrum in vetere ecclesia absolutio sacramentalis data sit ante an post satisfactionem impletam 110 sqq.

Forma consistit in verbis: „Ego te absolvo“ vel aliis aequivalentibus 112 sqq.; — quis sit proprius sensus horum verborum: „Ego te absolvo a peccatis tuis“ 114 sqq.; — de absolutione condicionata 117 sq.; — forma debet esse formaliter indicativa 118 sq.; — per se potest esse materialiter deprecativa 119 sq.; — talis forma deprecativa longe probabiliter aliquando in usu fuit 120 sq.; — quando in ecclesia latina introducta sit forma indicativa 121 sqq.; — ecclesia potest praecipere unam formam tamquam unice validam 123 sq.; — absolutio dari debet verbis 124 sq.; — et quidem paenitentis praesenti 125 sqq.

Effectus: hoc Sacramento peccata ita remittuntur, ut numquam propter subsequens peccatum redeant 127 sqq.; — quomodo peccatum dici potest redire 130 sqq.; — peccata remissa ne quoad poenam quidem redeunt propter peccatum subsequens 132 sq.; — merita mortificata perfecte reviviscunt 133 sqq.; — variae sententiae reiciuntur 139 sqq.; — num statim restituatur etiam totus habitus infusus gratiae sanctificantis 143 sq.; — culpa remissa non semper simul tota poena a Deo remittitur 144 sqq.; — quid sit in hoc Sacramento „res et Sacramentum“ 148; — num Paenitentia sit unum Sacramentum 148 sq.

Subiectum et necessitas: est omnibus post Baptismum graviter lapsis iure divino necessarium 149 sqq.; — num ecclesia potuisset praecipere confessionem, nisi Christus eam praecipisset 160 sq.; — num ecclesia possit in hac lege dispensare vel eam abrogare 161 sq.; — de facto Nectarii 162 sqq.; — de doctrina S. Ioannis Chrysostomi 165 sqq.; — de subiecto obligationis 168 sqq.; — de tempore obligationis 170 sqq.; — de lege ecclesiastica annuae confessionis 171 sqq.

Minister est solus sacerdos 173 sqq.; — de confessione laicis vel diaconis facta 175 sq.; — praeter potestatem Ordinis requiritur in eo potestas iurisdictionis ad validam absolutionem 176 sqq.; — num quis sacerdos possit absolvere a peccatis venialibus 181 sq.; — de approbatione 182 sq.; — iurisdictionis et approbatio variis modis limitari possunt 183 sqq.; — de iurisdictione dubia et probabili 187 sqq.; — recensentur obligationes ministri 189 sqq.

Paenitentiae virtus: paenitentia est vera virtus specialis 36 sqq.; — error Lutheri 36; — definitio Tridentini *ibid.*; — in homine, qui est in statu peccati,

paenitentia non est virtus infusa 40; — ut sit actus salutaris, debet esse entitative supernaturalis 40 sq.; — obiectum materiale paenitentiae 41 sq.; — est necessaria necessitate medii 45; — et praeccepti *ibid.*; — quod praecceptum non obligat pro omni tempore *ibid.*; — paenitentiae actus salutaris quid adiunctum habeat necesse sit 46 sq.

Palmieri: potestas remittendi peccata per Sacramentum Paenitentiae est potestas iudicialis 25 sq.; — de forma Paenitentiae deprecativa 120; — ecclesia non potest dispensare in lege confessionis neque confessionem abrogare 161 sq.; — censet pristinam „reconciliationem“ fuisse indulgentiae concessionem 214; — iure divino solvi Matrimonium ratum per professionem religiosam 366; — cur Matrimonium ratum et consummatum Christianorum sit indissolubile 373.

Paludanus docet validitatem absolutionis absenti per litteras missae 81, nota; — putat peccatum veniale posse probabiliter per indulgentias deleri 196 sq.; de characteribus Sacramenti Ordinis 282.

Paschalis II: ordinationes ab episcopis haereticis vel schismaticis factas esse validas 293.

Paulus V: materiam Extremae Unctionis esse oleum ab episcopo benedictum 228.

Peccatum (mortale) *dubium* num ad valorem confessionis necesse sit accusari 87 sq.

Peccatum iam remissum in confessione est materia libera et sufficiens Sacramenti Paenitentiae 85 sq.; — requiritur distincta eiusdem confessio 86; — quanta determinatio requiratur 87.

Peccatum contra Spiritum Sanctum: quo sensu non remittatur 12 sqq.

Peccatum veniale: ad obtinendam eius remissionem quid requiratur 49 sq.; — non necessario accusandum est in confessione 83 sq.; est tamen materia sufficiens absolutionis 84; — quomodo ex opere operato remitti possit 84 sq.; — num quis sacerdos ab eo absolvere possit 181 sq.

Petrus Cantor de subdiaconatu 259.

Petrus Chrysologus, S.: caritas perfecta delet omnia peccata 52.

Petrus Damianus, S.: opera poenalia satisfaciunt ex opere operantis 103; — de Sacramento Extremae Unctionis 224.

Petrus de Osma: damnatur eius doctrina de satisfactione sacramentali ante absolutionem implenda 109.

Pictaviensis Synodus abolevit abusum, quo diaconi confessiones audiebant 175.

Pius V de matrimonii infidelium, qui ad fidem convertuntur 362.

- Pius VI** damnat declarationem Synodi Pistoriensis de peccatorum venialium confessione 84; — item doctrinam eiusdem de satisfactione sacramentali ante absolutionem implenda 109; — damnat doctrinam eiusdem Synodi docentis ad absolvendum sufficere potestatem ordinatione acceptam 179; — item eiusdem errorem circa thesaurum ecclesiae 207; — contractus matrimonialis et Sacramentum separari nequeunt 323; — Matrimonium legitimum nullo iure mere humano solvi potest 345 sq.; — de ecclesiae potestate in Matrimonium 400. 402. 404; — ecclesia potest statuere impedimenta matrimonialia etiam pro haereticis 401.
- Pius IX:** Matrimonium inter fideles dari non posse, quin sit Sacramentum 323; de ecclesiae potestate in Matrimonium 400.
- Poenae temporalis** non semper tota a Deo remittitur simul cum culpa 144 sqq.
- Polycarpus, S.:** nullum peccatum a potestate clavium excludi 16.
- Polygamia** quid sit et quomodo dividatur 373; — error Lutheri 373 sq.; — polygamia simultanea Christianis interdicitur 373 sqq.; — veteribus tamen licita erat 378; — polygamia successiva licita est 379 sqq.
- Pontificale Romanum:** Ostiariorum munus 252; — munus Lectorum 253; — de Exorcistis 254; — de munere subdiaconorum 258; — de munere diaconorum 260; — de eorum consecratione 263; — munera presbyterorum 265.
- Potestas clavium** extenditur ad omnia omnino peccata 11 sqq.; — haeretici negantes *ibid.*; — est potestas iudicialis 23 sqq.; — cur differat a iudicio fori externi 27; — competit solis episcopis et sacerdotibus 173 sqq.
- Potestas Ordinis et iurisdictionis** quomodo distinguantur 176 sqq.
- Presbyter:** solus presbyter est minister Sacramenti Paenitentiae 173 sq.; — num quisvis presbyter possit absolvere a peccatis venialibus 181 sq.; — solus presbyter potest valide administrare Sacramentum Extremae Unctionis 244; — presbyterorum munera 265; — vocantur etiam „sacerdotes“ 265 sq.; — ordinatio presbyteri 279; — solus presbyter est subiectum capax Ordinis episcopalis 285 sq.; — simplex presbyter ex delegatione potest administrare Ordines minores et subdiaconatum 294; — utrum tales concessionem factae sint 295; — quis presbyterum delegare possit ad hos Ordines conferendos 296 sq.
- Presbyteratus** est Sacramentum 266 sq.; — ad valorem Ordinis non supponit diaconatum 287.
- Presbyterissae;** quae ita vocabantur 267; — in ecclesia graeca *ibid.*
- Privilegium Paulinum:** matrimonium infidelium, etiam consummatum, solvi potest quoad vinculum, quando altero coniuge manente in infidelitate alter ad fidem convertitur 355 sqq.; — num etiam pro iis valeat, qui ad sectam haereticam christianam convertuntur 363.
- Proclamationes bannorum** sunt faciendae 396.
- Procurator:** Matrimonium per procuratorem contrahi potest 326.
- Professio religiosa** alterutrius coniugis solvit vinculum Matrimonii rati 364 sqq.; — num Matrimonium in infidelitate contractum solvatur etiam per professionem religiosam coniugis conversi 364; — num iure divino solvatur Matrimonium ratum per professionem religiosam 366 sqq.; — cur vota simplicia non solvant vinculum Matrimonii rati 368.
- Propositum non peccandi de cetero** est elementum contritionis 46; — utrum debeat esse explicitum et formale 47.
- Prosper Aquitanus, S.:** peccata remissa non reviviscunt 130.
- Protestantes hodierni** quid doceant de existentia Sacramenti Paenitentiae 4 sq.; — negant potestatem remittendi peccata per Sacramentum Paenitentiae esse potestatem iudicalem 23; — nonnulli affirmant attritionem ante saec. XIII fuisse ignotam 67, nota; — reiciunt Extremam Unctionem 221; — quoad Sacramentum Ordinis magna est inter eos confusio 249, nota; — docent ob adulterium alterius coniugis et ob alias quoque rationes Matrimonium solvi posse 349; — negant potestatem ecclesiae in Matrimonium 398.
- Pseudo-Ignatius** de nomine presbyterorum 265.
- Pubertas** an requiratur in contrahente Matrimonium 385; — quid statuerit ecclesia 385 sq.

R.

- Ratramnus** de subiecto Ordinis episcopalis 286.
- Reconciliatio** quid fuerit in pristina ecclesia 12. 110. 213 sq.; — num fuerit indulgentiae concessio 214.
- Remissio indirecta** peccatorum 88 sq.
- Remittere peccata** quid significet 5 sq.
- Reservatio casuum** quid sit 184; — error Lutheri 184 sq.; — qua ratione probetur

- haec potestas 185; — quinam a reservatis absolvere possint 186.
- Reviviscentia meritorum:** peccata remissa numquam reviviscunt 128 sqq.; — quomodo peccatum dici possit redire 130 sqq.; — peccata remissa ne quoad poenam quidem redeunt propter peccatum subsequens 182 sq. — Per paenitentiam, qua peccata delentur, merita mortificata perfecte reviviscunt 133 sqq. — Discrimen inter peccata et bona opera quoad reviviscentiam 138. — Omnes habitus infusi amissi redeunt 143.
- Rituale Romanum:** materia proxima Sacramenti Paenitentiae 32; — de casu, quo paenitens verbis confiteri nequeat 80; — de unctione infirmi aliquo membro mutili 230; — de effectu Extremae Unctionis 235; — de eiusdem subiecto 241; — quibusnam administrari possit 242; — de iteratione huius Sacramenti 243; — de Matrimonio celebrando 397.
- Robertus Pullus** de necessitate confessionis 155.

S.

- Sacerdos** solus est minister Sacramenti Paenitentiae 173 sqq.; — solus potest valide administrare Sacramentum Extremae Unctionis 244 sq.; — sacerdotum munera 265; — solus sacerdos est subiectum capax Ordinis episcopalis 285 sq.; — ex delegatione potest administrare nonnullos Ordines 294 sqq.; — quo sensu sit minister Matrimonii 396.
- Sacerdotium omnium christianorum** quid sit 267 sq.; — sacerdotium ad valorem Ordinis non supponit diaconatum 287.
- Sanchez** de Matrimoniis fidelium cum infidelibus 383; — Matrimonium nulli homini per se est necessarium 389; — quomodo peccent contrahentes Matrimonium in peccato mortali 395.
- Satisfactio** definitur 96. 97; — minister Paenitentiae per se debet paenitentibus salutare et convenientes satisfactiones imponere 96 sq.; — quanta sit haec obligatio 99; — quae et quanta satisfactio imponi possit et debeat 99 sq.; — paenitens satisfactionem accipere et implere tenetur 100. — Opera poenalia satisfaciunt ex opere operantis 100 sqq.; — condiciones ad satisfactionem requisitae 104 sq.; — opera poenalia a confessario imposita satisfaciunt ex opere operato 105 sq.; — num satisfactio sacramentalis etiam causet gratiam ex opere operato 106; — num remissionem poenae temporalis etiam aliter obtinere possimus quam per opera poenalia 106 sq.; — num unus homo pro altero satis-
- facere possit 107 sq.; — num Deus infallibiliter acceptet hanc satisfactionem 108; — satisfactio imposita ante absolutionem impleri potest 108 sq.; — et potest impleri post absolutionem 109 sq.
- Schanz, Dr.:** quo sensu peccatum contra Spiritum Sanctum non remittatur 14, nota; — in verba *Matth. 1, 20:* „accipere Mariam coniugem tuam“ 328, nota; — de verbis *Matth. 19, 9:* „ $\mu\eta$ $\epsilon\pi\iota$ $\pi\omicron\rho\nu\epsilon\iota\alpha$ “ 350, nota.
- Schmalzgrüeber** de potestate gubernii civilis in Matrimonium 405.
- Scotus** de materia proxima Sacramenti Paenitentiae 29; — de reviviscentia habituum infusorum 143; — de necessitate confessionis 151. 156; — omnes sacerdotes posse a venialibus absolvere 181; — Matrimonium esse verum Sacramentum 316.
- Sigillum sacramentale** quid sit 191; — de sigilli obligatione 92. 191 sq.; — sigilli materia 192 sqq.
- Siricius, papa:** relapsos morti proximos viatico posse refici 21; — clericis in quibusdam ecclesiis non concedi paenitentiam publicam 22; — celebratio Matrimonii est res sacra 313; — de celibatu clericorum in ecclesia latina 409.
- Sixtus IV** damnat doctrinam Petri de Osma docentis satisfactionem sacramentalem implendam esse ante absolutionem 109; — damnat errorem eiusdem circa necessitatem confessionis 158.
- Soto, Dominicus,** de reviviscentia meritorum 139; — num diaconatus sit Sacramentum 261; — consensum contrahentium Matrimonium esse ipsum Sacramentum 322; — num summus pontifex possit solvere Matrimonium ratum 370.
- Sozomenus:** ad impetrandam veniam peccatorum necessario confiteri oportet 78; — de confessione peccatorum secreta 92; — narrat factum Nectarii 162. 164.
- Spiritus Sancti** blasphemia = peccatum contra Spiritum Sanctum, quo sensu non remittatur 12 sqq.
- Suarez:** Paenitentiae Sacramentum cur administretur per modum iudicii 27; — sola contritio, quae caritate perficitur, iustificat 54; — num possit contritio esse nimia 58; — de absolutione absentis data 81 sq.; — peccata iam confessione remissa esse materialiter sufficientem huius Sacramenti 85 sq.; — quisnam sit effectus ex opere operato satisfactionis sacramentalis 105; — de sensu verborum absolutionis 115 sqq.; — forma per se potest esse materialiter deprecativa 119; — quanta debeat esse propinquitas inter paenitentem et con-

fessarium 127; — peccatum remissum non posse reviviscere 129 sq.; — de remissione poenae temporalis 147; — minister est solus sacerdos 174; — de iure accipiendae absolutionis 189; — si confessarius causavit damnum tertii 190 sq.; — de sigilli sacramentalis materia 193.

Indulgentia „a culpa et a poena“ quid significet 197; — conceditur vivis per actum iudicialis potestatis 202; — num habeat effectum infallibilem 203.

Extrema Unctio: num unctiones „renum et pedum“ sint necessariae 230; — utrum verba formae necessario proferenda sint modo deprecativo 233, 234; — posse interdum primam gratiam producere 236; — de subiecto huius Sacramenti 240.

Matrimonium ratum, verum ac proprium fuisse inter B. V. Mariam et S. Ioseph 328.

Subdiaconatus: de subdiaconorum nomine et munere 258; — subdiaconis licebat Matrimonio uti 259; — subdiaconatus non est Sacramentum 259 sqq.; — ex delegatione administrari potest a simplici presbytero 294.

Subiectum Extremae Unctionis est adultus baptizatus 240; — num etiam perpetuo amens 241; — non potest administrari nisi gravi morbo laborantibus 241 sq.; — quibus dari nequeat 242; — num adsit praeceptum divinum sub gravi obligans ad eius susceptionem 243; — de iteratione huius Sacramenti 243 sq. — *Matrimonii*: subiectum ad hoc Sacramentum valide et licite ineundum sunt Christiani adulti, habiles, nondum ligati etc. 382 sqq. 388 sqq. — *Ordinis* capax est solus et omnis mas baptizatus 283 sq.; — benedictio abbatissarum 284; — subiectum capax Ordinis episcopalis est solus presbyter 285 sq. — *Paenitentiae*: Sacramentum Paenitentiae est omnibus post Baptismum graviter lapsis iure divino necessarium 149 sqq.; — subiectum huius obligationis 168.

Syllabus: Matrimonium inter fideles semper esse Sacramentum 323; — iure naturae indissolubile 344; — divortium auctoritate civili sanciri nequit 345; — de ecclesiae potestate in Matrimonio 400.

T.

Tanner de forma Extremae Unctionis 233; — presbyteratus est Sacramentum 266 sq.; — de materia Sacramenti Ordinis 274.

Tempus clausum matrimonio celebrando 396.

Tertullianus: esse peccata irremissibilia 4; — testatur Catholicos etiam gravissimis criminibus veniam non denegare 18; — virtus paenitentiae est peccatori necessaria necessitate praecepti 45; — exhortatur ad timorem gehennae 60; — opera poenalia satisfaciunt ex opere operantis 103; — paenitentia publica est valde utilis 107; — de necessitate confessionis 153; — „reconciliatio“ ob martyrum merita 214 sq.; — de sacerdotio omnium Christianorum 268; — mulier non est subiectum capax Ordinis 284; — celebratio Matrimonii est res sacra 313; — adulterio Matrimonium solvi non posse 352; — reprobatur Matrimonia cum infidelibus 382 sq.

Theodulfus Aurelianensis de unctione infirmi in administratione Extremae Unctionis 231; — forma quaedam graeca huius Sacramenti 232.

Theophylus Antiochenus, S.: monogamiam servari a Christianis 374.

Thesaurus ecclesiae definitur 207; — exstat in ecclesia thesaurus constans ex satisfactionibus Christi et sanctorum 206 sqq.; — quomodo scire possimus hunc thesaurum nondum esse exhaustum 210; — sub qua ratione concurrat ad indulgentias 210 sq.

Thomas Aquinas, S.: *Paenitentiae* Sacramenti materia proxima 29; — de paenitentiae virtute 37; — esse virtutem specialem 39; — obiectum eius materiale 41; — contritio de quibusnam peccatis esse possit 42; — nomen contritionis 43; — quid sit attritio 50; — explicat verba Christi *Matth. 22, 37*: „ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex tota virtute“ 56; — contritio perfecta, quantumcumque parva, delet omnem culpam 57; — num confessio necessario verbis fieri debeat 80; — peccata iam confessione remissa esse materiam sufficientem huius Sacramenti 85; — cur publica peccatorum confessio non sit de necessitate Sacramenti 92 sq.; — Deum infallibiliter acceptare satisfactionem pro altero susceptam 108; — de forma Paenitentiae 114; — de proprio sensu verborum absolutionis 115; — forma huius Sacramenti debet esse formaliter indicativa 118; — de forma sua aetate usitata 122 sq.; — quomodo peccatum dici possit redire 130; — de reviviscencia meritorum 140 sq.; — ecclesia non potest in lege confessionis dispensare neque eam abrogare 161; — de confessione laico facta 175; — iurisdictio non datur in ordinatione 178; — in articulo mortis omnes sacerdotes iurisditionem habent

179; — num quis sacerdos possit absolvere a peccatis venialibus 181; — alius modus confessionis venialium 182.

Indulgentiae: quid possint conferre ad remissionem culpae 198; — non solum sunt remissio poenae in foro ecclesiae debitae 198; — indulgentiae stationum Romae institutae 216.

Extremae Unctionis materia est oleum olivarum 227; — cur quinque sensus ungantur 230; — principalis effectus est deletio reliquiarum peccati 236; — subiectum est adultus baptizatus 240.

Ordo: de Ordinibus minoribus 254, 255, nota; — num episcopatus sit Sacramentum 269, 270; — Sacramentum Ordinis est unum 272; — de effectibus huius Sacramenti 281; — solus mas est subiectum capax Ordinis 284; — num infantibus possit episcopatus conferri 285.

Matrimonii bonum est remedium concupiscentiae 306; — de significatione mystica Matrimonii 311; — Matrimonio confertur gratia 317 sq.; — ad verum Matrimonium cur non requiratur copula 337; — legem naturalem nullas assignare rationes, ob quas licite solvi possit contractus matrimonialis 345; — de libello repudii apud Iudaeos 347; — de privilegio Paulino 358, 363; — num Matrimonium ratum iure divino solvatur per professionem religiosam 367; — de incommodis polygamiae 376; — de consensu parentum in Matrimonio filiorum 386; — Matrimonium nulli homini per se est necessarium 389, 390; — virginitas praestat Matrimonio 393.

Ticinensis Synodus de Sacramento Extremae Unctionis 225.

Timor filialis quid sit 61; — *poenarum*, quas Deus minatur pro peccatis, commendatur in S. Scriptura 59; — a SS. Patribus 60; — ab ecclesia 60 sq.; — *simpliciter servilis* quid sit 62; — quomodo differat a timore serviliter servili 62 sq.; — est motivum bonum ad detestanda peccata 63; — *serviliter servilis* quid sit 61 sq.

Titulus coloratus quid sit 187; — si quis habet titulum coloratum, quid dicendum de iurisditione 188.

Toletana Synodus I: quo sensu usurpet nomen „concupinae“ 378.

Toletus, *Card.*, de reviviscencia meritorum 142.

Tonsura (prima) non est Sacramentum neque Ordo 252; — eius significatio *ibid.*; — praerequiritur Confirmatio 287.

Tribunal paenitentiale inde a primis saeculis in ecclesia exsistebat 26.

Tridentinum: *Paenitentiae* Sacramenti ne-

cessitas 1; — explicat verba Christi apud *Io. 20, 21 sq. 7*; — definit existentiam huius Sacramenti 11; — potestas clavium est potestas iudicialis 26 sq.; — quasi materia huius Sacramenti sunt actus paenitentis 31; — definit contritionem 36; — actum paenitentiae salutaris debere esse entitative supernaturalem 41; — eundem esse peccatori ad salutem necessarium 44; — contritionem perfectam iustificare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur 52; — utilitatem attritionis ex metu gehennae commendat 60; — contra Lutherum statuit necessarium esse confiteri omnia et singula peccata mortalia 78; — peccata vero venialia non esse necessario accusanda 83; — esse tamen materiam sufficientem absolutionis 84; — de confessione peccatorum secreta 92; — debitam paenitentibus satisfactionem esse imponendam 98 sq.; — opera poenalia satisfacere ex opere operantis 101 sq.; — quanam sint haec opera 104; — satisfactiones habent etiam valorem ex opere operato 105; — docet formam Paenitentiae 113; — Deus non semper totam poenam condonat 146; — de necessitate confessionis 151, 158; — eiusdem utilitates 159; — confessio lapsis post Baptismum iure divino est necessaria 161; — peccator nisi praemissa confessione Eucharistiam ne sumat 171; — lex ecclesiastica annuae confessionis 171; — ministerium clavium extendi ad solos episcopos et sacerdotes 175; — minister debet habere iurisditionem 178; — de approbatione 182; — de reservatione casuum 184 sq.

Indulgentias conferendi potestas a Christo ecclesiae concessa est 212; — commendat earum usum fidelibus 212 sq.

Extremae Unctionis Sacramentum exponit 220; — explicat verba *Iac. 5, 14, 15* de hoc Sacramento 221 sq.; — est verum et proprium Sacramentum 225; — materia est oleum ab episcopo benedictum 228; — potest interdum primam gratiam infundere 235; — primarius effectus 237 sq.; — condicionatus effectus 238; — administrari non potest nisi gravi morbo laborantibus 241; — de iteratione huius Sacramenti 243; — solus sacerdos est minister Extremae Unctionis 244.

Ordo est verum Sacramentum 251; — subdiaconatus refertur ad maiores Ordines 259; — diaconatum esse Sacramentum 264; — presbyteratum esse Sacramentum 267; — de episcopatu 271; — de materia Sacramenti Ordinis 278; — episcopos esse presbyteris superiores

288; — minister Ordinum ordinarius quoad liceitatem est episcopus proprius 289; — abbates possunt suis subditis minores Ordines conferre 294; — interstitia servanda sunt 298 sq.

Matrimonium est verum Sacramentum 318 sq.; — continet gratiam 322; — Matrimonium ratum esse verum Sacramentum 332; — ad Matrimonium sufficit solus consensus de praesenti 333; — de materia et forma 338; — propter adulterium alterius coniugis vinculum Matrimonii non posse solvi 354 sq.; — Matrimonium ratum solvitur per professionem religiosam 366; — reprobatur polygamiam simultaneam 375; — de consensu parentum in Matrimonia filiorum 386; — status virginitatis praestat Matrimonio 393; — proclamationes sunt faciendae 396; — de ecclesiae potestate in Matrimonium 399. 402.

U.

Uctio cum oleo olivarum est materia proxima Extremae Uctionis 229; — quaenam unctiones omitti possint et debeant 230; — cur quinque sensus ungantur 230 sq.; — unctio quid significet 300.

Urbanus II concedit indulgentias fidelibus contra infideles arma suscipientibus 217; — enumerat Ordines sacros 256; — de episcopis illicite ordinatis 293.

Urbanus VIII de indissolubilitate Matrimonii 355; — romanus pontifex potest solvere Matrimonium inter fidelem conversum et infidelem 361.

V.

Valentia: subiectum capax Ordinis episcopalis est solus presbyter 285.

Vasquez docet subdiaconatum esse Sacramentum 258; — de materia et forma Matrimonii 339.

Velatio sponsarum quid significet 397.

Veronense concilium: Matrimonium esse verum Sacramentum 318.

Vinculum Matrimonii intrinsecus et extrinsecus indissolubile 341 sqq. 355 sqq. *Vide* Indissolubilitas Matrimonii. — Sacramentum Matrimonii efficit vinculum exclusivum, quo durante coniuges inhabiles fiunt ad secundum Matrimonium cum aliis personis 373 sqq.

Virginitas: propositum servandae virginitatis non repugnat contractui matrimoniali 337; — praestat Matrimonio 390 sqq.; — cuius rationem reddit S. Thomas 393; — obiectiones maxime vulgares contra statum virginitatis 393 sq.

Vis gravis irritat Matrimonium 387.

Vota simplicia: cur non solvant vinculum Matrimonii rati 368.

Z.

Zezechwitz: Protestantium doctrina de existentia Paenitentiae et remissione peccatorum 5, nota.

Zill de sensu verborum *Hebr. 6, 6*: „rursus renovari ad paenitentiam“ 15, nota.

Zwinglius: Paenitentiam non esse nisi Baptismi recordationem 4.